UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Via Veritatis Ad Vitam Sev Exercitia Spiritvalia

Haineuve, Julien

Antverpiae, 1652

urn:nbn:de:hbz:466:1-60125

Visual Library

Th. 4480.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Hayneufue

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

VIA VERITATIS AD VITAM SEV EXERCITIA SPIRITVALIA, IN VIGINTI QVATVOR VERITATES TRIBVTA.

Authore
R. P. IVLIANO HAYNOVIO,
Interprete
R. P. MICHAELE CVVELIER
vtroque Societatis IESV
Sacerdote.

Editio altera correctior & præcipuis scripturæ & Patrum locis auctior.

Collegii Soc. Jesu Paderbrun.

ANTVERPIÆ,
Typis CORNELII WOONS, sub signo Stellæ aureæ, Anno 1652.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

APPROBATIO.

HÆc *Via Veritatis, authore R.P.* IVLIANO HAYNOVIO, *Interprete* verò *R.P.* MICHAELE CVVELIER, *vtroque Societ.* IESV, nulla sui parte ab Orthodoxa fide aut bonis moribus recedens; per solida perfectioris vitæ principia ad veras virtutes, earumque perfectionem & futura præmia, ducit. Quare eandem prælo dignissimam censeo. Actum 18. Iulij M. DC. LII.

GVIL. BOLOGNINO *S.Th.L. Can. & Lib. Censor. Ant.*

IN-

INTERPRES
Lectori S.

QVa mente, viginti quatuor haſce Propoſitiones, ſeu Veritates, tranſtuli ex idiomate Gallico in latinum ſermonem, eadem quoque nomen authoris Hayneulve modica inflexione, & ſine ſignificationis iniuria, verti Haynouium; vtroq; ſtudui. Beneuole Lector, ijs prodeſſe, qui Gallicam linguã ignorarẽt, quos nolebam tam ſolida vitæ perfectioris neſcire fũdamenta, neq; patiebar in pronũtiatione peregrini Nominis, vti pronũ apud ignaros eſt, qui ſyllabas ex litteris colligũt, hallucinari: Et æquũ ſanè videbatur, vt tãti viri nomẽ eloqui ſine vitio cõdiſcerẽt, cuius doctrinã eſſent aliquãdo sũmoperè cõmendaturi. Hæc nolui te ignorare de Nomine.

De Meditationum autem vſu modoq;, quid ſentiã, audi hæc paucula, quæ bona authoris pace tibi ſignifico: Putauit ille, ex inflammato ſuo omnes iuuandi deſiderio, ſe non minùs quàm olim gentium Apoſtolum (a) ſapientibus iuxta ac inſipientibus, doctis ac indoctis eſſe debitorem: in horũ ergo gratiam propoſita argumenta fuſiùs petractauit, vt paulatim rudibus animis facem præluceret, & quaſi porrecta manu deduceret ad claram Veritatum intelligentiã, eoſque motus

(a) Rom. 1.

atque affectus exercitaret, sine quibus tota hæc Exercitatio frustra susciperetur; illis verò, qui præstant acie ingenij, ac artem meditandi callẽt, materiam contraxit in cõpendium, ratus, abundè se fecisse, quòd momenta rationum, & affectuum fontes, velut intento digito commõstrasset. Neutris ergo cùm defuerit, quocumque sis ex genere, calculum hic tuũ reperies: Imperito non debebit nimia videri prolixitas, si sensim ea te doceat, quæ tuopte assequi ingenio nequiuisses; peritus autẽ, qualem te, vel inde, suspicor, quod talia latinè scribentem legas, & intelligas, vtere compendijs, eorumq; lectione ad meditãdum te para, tuo deinde Marte propositam materiam excocturus, quantum ferent ingenij vires & vnctio Spiritus S. ad hoc, vti par est, implorata. (a) *Tamẽ, si me audis,* ne vlla particula boni doni te prætereat, *quod ab authore tam liberaliter offertur, peracta meditatione tua, illius quoq; meditationẽ per leges attẽto animo; vt enim nihil inde noui luminis tibi accederet (quod tamen haud facilè mihi persuaserim) id saltem consequêris emolumẽti, vt veritas iterũ considerata, veluti repetitis ictibus, altiùs menti infigatur, atq; ita totius fructus operis ad te pertineat; Id animitus tibi voueo, atque adprecor.* Vale.

(a) Eccl. 14.

DISTRI-

DISTRIBVTIO MEDITATIONVM & *MONITA NONNVLLA*

Methodum in vsu Exercitiorum seruandam contingentia.

I.

EXercitiorum libellus admirabilis à S. Ignatio Societatis IESV fundatore concinnatus, tam perfectus, numerisque omnibus absolutus est, vt ad fructum ex eo colligendum, satis sit illum intelligere, & præscriptam in eo methodum sectari: verùm vt hæc illius intelligentia euadat amplior, fructusque vberior, potest quiuis methodum illam generalem peculiari aliquo medio, quod aptum censebit ad finem illum, quem sibi in Exercitijs proposuerit, assequendum, reddere magis expeditam, quemadmodum libellus ipse permittit, (a) commendat, committitque discretioni Directoris, cuius partes sunt, attendere ad diuersitatem personarum, exercitijs incumbentium, earumque conditioni dispositionique sese attemperare.

(a) *Annot.* 18. 19. 20. *Exerc. de Inferno*, & *in Direct. c.* 10. §. 11. & 12.

II.

A diuina prouidentia est hæc statuum conditionumque, quam in alijs atque alijs aduertimus, varietas, à qua etiam disposita sunt varia media ac methodi, vt cuique liberum sit,

istud deligere, quod videbit esse in rem vtilitatemq; suam, sed caueat, ne dum methodum aliquam alteri anteponit, alteram vilipendat; vt enim censere possimus hanc, quàm illam nobis esse accommodatiorẽ aptioremq; nefas tamen est, eandẽ absolutè meliorẽ & quibuslibet personis conuenientiorem iudicare. (a)

(a) *Non enim omnia omnibus expediunt, & non omni animæ, omne genus placet.* Eccl. 37.

III.

Ne puta igitur hanc tibi methodum offerri, velut exquisitissimam commodissimamque earum omnium, quæ produci queant: verùm experire, sitne ea tibi commoda, & crede, illam meditandi, sacrisque exercitationibus vacandi rationem, eatenus fore bonam, quatenus tibi apta fuerit & proficua.

IV.

Huius methodi ea commoditas est, quòd veluti compendio proponat ob oculos totam Exercitiorum, ipsiusque vitæ spiritualis ideam: ita vt nullo negotio clarissimè videri queant ea, quorum maximè studio tenemur; illic discatur vnde ordiendum, quà progrediendum, & vbi finiendum sit.

V.

Vulgaris quidem ascetarum opinio est, tres vias esse perfectionis, quibus incedendum sit, & priorem quam vocant Purgatiuam, conuenire incipientibus; alteram, quam Illuminatiuam indigitant, esse proficientium; & tandem

tandem tertiam, Unitiuam nomine, spectare ad perfectos: sed intelligere qua ratione hic progressus fiat facilè, æquè, ac securè, id demum mysterium est, & tota sanctæ huius diuinæque scientiæ industria.

VI.

Libellus Exercitiorum plurimum affert luminis dum trium hoc viarũ ordine, meditationes omnes disponit, sumpto ab illis initio, quæ seruiunt Purgatiuæ, & deinceps alias proponendo: at quia plurima permiscet documenta, quæ potiùs ijs conueniunt, qui nullum adhuc statum, in quo Deo seruiant, inierè, quàm illis, qui iam stabili conditioni inhærent, fierique inde procliue sit, vt non planè pateat ordo & consecutio eorum, quæ in libello continentur, hîc ostenditur nexus mutuaque meditationes inter congruentia, quod ad hunc declarandum ordinem non parum prodest.

VII.

Hanc ob rem referuntur hæ omnes meditationes ad certa quædam principia seu effata, Maximas, & veritates fundamentales perfectionis, quæ semel rectè comprehensæ intellectum instruunt ijs omnibus quæ scire, agereque necesse est; voluntatem ad ea prosequenda inflammant, & memoriæ seruiunt, vt eorum nusquàm neque vnquam obliuiscantur, & vt oblata quacumque occasione opere ipso exerceantur.

VIII.

In eo igitur præcipuè sita est hæc methodus, quòd methodicè regulariterque tractet exercitia, totumque ordinem & progressum vitæ spiritualis: quòd tradat breuem & expeditum illius vsum, quem facilè intelligentia assequaris, mediteris, memineris & exercites opitulante gratia spiritus sancti, qui cùm libuerit, quiduis sine ordine & methodo quidem potest, facere tamen omnia mavult in pondere, numero & mensura, hoc est, regulariter & ordinatè.

IX.

Hæc effata fundamentalia seu præcipuæ Veritates sunt numero 24. quæ præbent materiam totidem meditationibus, per dies octo; reperiunturq; separatim in initio cuiusque meditationis & iunctim omnia ad finem horum monitorũ, tum vt tabellæ vicem subeant, tum vt appareat nexus, quem habent & inter se, & cum ordine libelli exercitiorum.

X.

Vt verò perfectè agnoscatur hæc connexio veritatum & progressus perfectionis, quo quotidie gradatim meditando promoues; scire ante omnia oportet, necessariam esse vivam apprehensionem finis, propter quem sumus in hoc mundo, qui est veluti scopus & terminus, quò contendendum est, quod primo die Exercitiorum per tres illic propositas veritates commonstratur. Et quoniam plerumque à fine nostro non auertimur, nisi

quod

quod obsequamur inclinationibus à natura inditis, genioque nostro, qui aliò nos abducit, sollicitè illi est attendendum: & vt clarius innotescat periculum, quo natura nostra nititur nos à fine nostro diuellere, tantum conijciendi sunt mentis oculi in vitæ præteritiæ rationes, quantum ijs ab illo aberrauerimus, aduertendumque nos solius genij, cui nimiùm indulsimus, vitio, in tot scelera prolapsos, quod secundo die in tribus oblatis ad meditandum veritatibus intelligemus.

Verùm vt eius rei calamitas meliùs apprehendatur, dumtaxat opus est, seriò sibi mortem, iudicium atque æternitatem proponere, istic enim tandem concluditur negotium salutis nostræ, & inde optimè discitur, quanti ea sit momenti: atque hoc argumentum est veritatum tertio die considerandarum, quæ id etiam efficient vt serio animi proposito decernamus, mores vitamque perfectè corrigere, quò gradum reuocemus in veram viam, quæ nos ad scopum, finemque nostrum vnde exerraueramus, deducet. Et cum alia eò perueniendi via non sit, quàm Exemplum Christi Iesu, ostenditur id reduci ad tres illos perfectionis actus: *abstinere, agere & pati*, qui sunt tres præstantissimi modi illum imitandi, perueniendique ad finem nostrum, iuxta illud, quod nobis inculcauit: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum & tollat crucem suam & sequatur me.* (a) Quarto die hæ veritates expendun-

(a) *Luc.* 9.

tur. Quinto verò, peculiariter in mysterijs infantis Christi aduertitur, qua ratione sit *abstinendum*. Sexto, quo modo *agendum*, ex consideratione Dei hominis inter homines versantis, agentisque. Die septimo, discimus *pati* ad exemplum nobis in eius passione propositum. Ex quo denique accidit, vt homo cum Christo sic suis inclinationibus, affectibusque naturæ parùm ordinatis, qui auertere illum à suo fine possent, mortuus, cum eodem resurgat, euadatque in hominem omnino spiritualem, qui non viuat iam ex legibus stimulisque naturæ, sed gratiæ qui non referat amplius imaginem Adami terreni, sed cælestis, per constantem ac firmam æstimationem vitæ spiritualis, quæ illo pacto fit via Vnitiua, via amoris, quæ tantum Deo nos vnit quantum auellit à reliquis rebus creatis omnibus; quæque tam nos efficit spirituales, vt nihil non spirituale, Deoque dicatum, in nobis patiatur. Eò nos ducunt veritates vltimæ diei exercitiorum. Posteà verò, quàm meditando has vsurpaueris, melius agnosces, vnius ab altera dependentiam consecutione prorsus naturali, sentiesque notitiam huius ordinis, & seriei non iucundam solùm esse, verùm etiam perutilem ad meditandũ, fructumque Exercitiorum capiendum, qui est corrigere atque ordinare semper vitam in melius ex præscripto vitæ spiritualis, quæ tota in eo consistit, vt quis seipsum exuat, induatque Iesum Christum,

ſtum, atque ita finem ſuum conſequatur: Hinc vrgetur perpetuò hæc ſui aggrediendi, oppugnandi, vincendiq; neceſſitas, inde enim pendent omnia, & teſtatur S. Ignatius non alio ſe fine ſacras Exercitationes compoſuiſſe.

XI.

Hæ veritates hoc ordine digeſtæ, propoſitæque ad meditandum, continent epitomen librorum omnium, cunctarumque inſtructionum, quæ tradi cuiuis poſſunt, vt ad ſtatus ſui perfectionem promoueat; quare oportet illas ſibi reddere familiares, ſibi applicare, earum memoriam retinere & affectum, vt quibuſuis caſibus vſui ſint & præſidio: Guſtus enim ille, qui in meditationibus perſentiſcitur, diffluere facilè poteſt, at veritas perpetuò manet, & aliàs nõ minus ſtimulare nos debet, ad opus ſtatui noſtro conueniens benè peragendum, quàm tum, cùm eius guſtu ſenſuque in oratione caperemur, *ſi vos manſeritis in ſermone meo*, inquit Chriſtus, *verè diſcupuli mei eritis, & cognoſcetis veritatẽ, & veritas liberabit vos*, Ioan. 9.

XII.

Veritates hæ tam fœcundæ ſunt, plenæque documentorum, vt neceſſe fuerit ad eas explicandas primo puncto diutiùs inhærere. quò declararetur earum præſtantia, & quam continent, vtilitas decerperetur: at quoad affectus & propoſita, quæ in duobus reliquis punctis eliciuntur, ſufficit ea paucis perſtringere, vt cuique foret liberum, in eadem ex-

currere, pro modulo suæ deuotionis.

XIII.

Materia, vt patet, varia est, ideoque pro ratione argumenti poterũt præparatoriæ orationes atque præludia variari : forma tamen moduſque meditandi in omnibus meditationibus est idem, quandoquidem primum punctum contineat declarationem veritatis propositę, vt eadẽ occupetur intellectus, eamque bene cognoscat ; secundum aduertit animum ad vitam anteactam, & statum præsentem vt applicata veritate veluti normâ, appareat quantum illi congruant vitæ nostræ rationes, & quantum à natura compositi simus, affectique, vt ad illam nos effingamus. Punctum tertium futuris prouidet, dum nos cogit ad elicienda proposita consentientia veritati, & affectibus ab ea commotis : non quòd non liceat subinde hunc punctorum ordinem immutare, cum eò præter morem abripimur insolito stimulo, (tunc enim ordo nullius melior est, quàm stimulo obsequi) sed vt ostendamus, nisi accedat ordo sublimior, huic tamquam accommodatissimo, & ad persuadendum aptiori, esse insistendum.

XIV.

Excitare quis se potest diuina aspirante gratia, in primo puncto ad teneros quosdam affectus fidei. Gratiarum actionis, admirationis, laudis & amoris Dei, tales veritates nobis manifestantis ; at in secundo puncto affectus

ctus sunt longè acriores vehementioresque: nam simul atque animaduersa est vitæ nostræ nostrarumque naturalium inclinationũ cum veritate dissensio, illicò pudore suffundi debemus, atque humiliari, ac de præteritis efflagitanda venia est, & sinceris contritionis actibus satisfaciendum, seria & non fucata sui accusatione. Tertio verò puncto conduplicantur affectus ad exercitationem oblatæ veritatis, generosè repellendo, quidquid obicis apponi posset, seu ab vtroq; nostro appetitu, seu ab humanis mundanisque rationibus; designando loca, tempora, aliasque circumstantias vt opere ipso cum diuina gratia exequamur, quod didicerimus esse faciendum adeò vt, tametsi omnes animæ facultates singulis punctis impendantur, magis nihilominus occupetur intellectus in primo puncto, voluntas in secundo, & in tertio memoria, vt factorum propositorum recordetur.

XV.

Recollectio seu examen consequens orationem, vt alibi dictum est, omitti numquam debet, atque ita instituenda, vt non solùm aduertatur, benéne prosecuti simus materiam, quoad operationem intellectus, verùm etiam multoque magis, an affectus & proposita elicuerimus consentanea Veritatibus.

XVI.

Singulis diebus tres dumtaxat meditationes assignatæ sunt, quarum binæ matutinis horis

horis absoluentur, tertia vespertinis, eò quòd tempus pomeridianum sit, ad meditandum ineptius, at tum instituenda est consideratio, quæ leuius aliquod, faciliusque meditandi genus est, nam sufficit legere, sibique proponere materiam considerandam, quæ non est tam speculatiua & interior, quàm externa, & practica, cùm plerumque desumpta sit aut circa regulas Religiosorum, aut circa quotidianas solitasque actiones, congruè ad vnius cuiusque statum & conditionem, quarum aliquam designationem hîc habes, in exemplum alterius argumenti, quod expendere fortasse magis adluberet: verùm imprimis semper attendenda est obligatio seu regulæ, seu actionis, quæ consideratur, expendendo incitamenta & rationes; deinde notandi defectus præteriti; demum capienda emendationis consilia, & inquirenda media, quæ in sua cuiusque conditione offeruntur.

XVII.

Est & aliud quoddam genus considerationis liberius, minusque fixum, cui per diem vacare possumus, ad modum occupationis interioris, ijs præcipuè temporibus, quæ quasi vacua sunt, vt, à sumptione cibi, tempore recreationis, & alijs horarum particulis, quæ designatas occupationes non habent, modicè animum applicando, siue interea deambules per cubiculum, siue domum obeas. Non oportet esse omninò otiosum, sed neque mentem

tem nimiùm contendere, quid igitur? ſuauiter te occupa, recolendo quaſdam orationis, conſiderationis & meditationis reliquias.

XVIII.

Non eſt fatigandus & exhauriendus animus multa lectione, ſed conſeruandus in meditationem & conſiderationes, quæ ſunt propria exercitiorum ſtudia, tamen, cùm aliquod ſit tempus lectioni deſtinatum, neceſſe eſt eam fieri ex libris ſelectis, quique aliud non ſpectent, quàm animæ profectum. Eius generis eſt ſcriptura ſacra, libellus exercitiorum, Thomas de Kempis nunquam negligendus, diſſertationes Saleſij, Granatenſis, Rodericius, vita Sancti alicuius, apta ad motus in te concitandos, & ſimiles alij: ipſa etiam lectio harum meditationum, vicem obtinere poterit lectionis ſpiritualis.

XIX.

Etiam tempus ſumendum eſt, ad annotandas veritates, affectus & propoſita, quæ maximè mentem affecerunt, vt ſit ad manum, quo nos vrgeamus ſtimulemuſque ad ea quæ facere decreuimus, adimplenda.

XX.

Præcipuè autem habeas omnes diei horas ita diſtributas, earumque ordini ſic inhære, vt ſola te ratio caſus alicuius, qui præuideri non potuit, inde abducat, non affectus, qui ſæpe latet ſub ſpecie pietatis vni potiùs exercitio, quàm alteri, addictæ. Tolerari iſtud po-

teſt

test in personis aut valde imperfectis, aut omninò perfectis, sed in exemplum aliorum abire non debet. Quædam sæpe indulgentur imperfectioribus, vt nondum aptis ad solidã illam omnimodamque sui victoriam, quique possent à pietate resilire, si illa omnibus illorum affectibus repugnaret. Perfectioribus etiam, & in vita spirituali absolutis, laxantur habenæ, tanquam ijs, qui Deo coniuncti sunt, & à Spiritu S. ducuntur, nullum alium ab ijs ordinem exigendo, quàm quem illi sibi præfigũt per instinctum Spiritus sancti & gratiæ, à quibus possidentur, quod verò ad te attinet, nisi hoc tibi arroges, ut censeas te esse ex numero perfectorum, aut te nimiùm palpes in tuis imperfectionibus, regi te permitte, certumque habeas & exploratum, nunquam te securiùs ambulaturum cùm Deo, quàm cùm minimè tibi ipsi, tuisque viribus inniteris, & cùm fidelissimè obseruabis ordinem quem vel alius tibi præscripsit, vel tu ipse præfinieris, iuxta typum sequentem, cui addi, & demi, prout conditio feret exercitantis, potest.

TYPVS ORDINIS DIVRNI pro Tempore exercitiorum.

Manè.

Hora 5. surgitur.

5. *& dimidia*, Prima meditatio horaria.

6. *& dimidia*, Recollectio, & Officium Primę,

si

si legitur Breuiarium, aut Officium paruum B. V. vsque ad Tertiam.

7. *vel circiter* scribi potest aut confessio generalis, aut lumina in oratione excepta, & proposita in futurum, aut simile quid.

7. *& dimidia* Lectio libelli exercitiorum, prout in singulos dies annotatum est.

3. *quadrante ad* 8. Officium Tertiæ & præparatio ad sacrum.

8. Sacrum.

3. *quadrante ad* 9. Lectio & præparatio meditationis secundæ, & si tempus supersit, caput Thomæ de Kempis eo die præscriptum.

9. Altera meditatio.

10. Recollectio, Officium sextæ, & examen temporis matutini.

10. *& dimidia circiter*, Prandium.

Diebus ieiuniorum à medio 11. ad medium 12. scribi aliquid potest per semihoram, alterâ legi in libro spirituali, quem aut selegeris, aut legendum à directore accepisti.

à Prandio.

Quadrante post 11. aliqua remissio animi, aut colloquendo cum directore, seu illo, quem is submiserit; aut deambulando loco apertiore, mentemque aliqua consideratione, de qua monito 17. occupando.

Quadrante post 12. Officium Nonæ.

Medio

Medio 1. Examen particulare circa ordinem diurnum, & regulas exercitiorum.

3. *Quadrante* Lectio libelli exercitiorum.

Hora 1. Rosarium.

1. *Quadrante* Lectio scripturæ sacræ, aut Thomæ Kempensis.

Medio 2. Consideratio magis seria de argumento, eo die, proposito.

Quadrante post secundam Vesperæ.

Medio 3. Visitatio Ven. Sacramenti, & si commoditas est horti, fauetque aura, nonnihil laxare animum, aut corpus aliquo opere exercere, aut deambulare in cubiculo, vacando piæ alicui cogitationi, aut ordiri id quod sequitur.

Hora 3. Adnotare fructus meditationum & considerationum.

Medio 4. Completorium & lectio vitæ alicuius sancti.

Hora 4. Officium matutinarum, aut B. V. aut alia vocalis oratio pro ratione temporum & affectuum qui nos stimulant.

3. *Circiter quadrante* Præparatio orationis, & aliquid ex Thoma Kempensi pro modulo temporis.

5. Tertia meditatio.

6. Recollectio

1. *Quadrante* lectio annotatorum eo die.

Medio 7. Cœna.

Hora 7. Recreatio seu colloquium spirituale.

8. Litaniæ B. Virginis, & Sanctorum.

1. *Qua-*

1. *Quadrante* Præparatio meditationis in sequentem diem.

Medio 9. Examen totius diei, aut ab examine meridiano.

3. *Quadrante*. Cubitum itur.

Diebus ieiunij cuncta fiunt vna hora tardiùs vsque ad 1. quadrantem post septimam, quando Collatio sumitur, cætera sunt, vti diebus alijs.

Quòd si experiaris primo die, tempus aut abundare, aut deficere ad præstandas res præfinitas, poterit illud aut præueniri, aut differri, omissis ijs, quæ minùs necessaria videbuntur.

TABELLA

Viginti quatuor Veritatum quæ per octo dierum Exercitia Meditationibus materiam subministrant; & considerationum quotidie instituendarum.

PRIMO DIE.

De fundamento Exercitiorum & Fine Hominis.

PRIMA VERITAS.

Primum principium vitæ spiritualis in eo consistere, vt cognoscatur finis noster vltimus: nos ideò solùm viuere, vt eum assequamur neque tam necessarium esse, nos viuere quàm non alio viuere, quàm ad illum finem.

SECVNDA VERITAS.

Tã vniuersim in omnibus actionibus nostris contendendũ esse ad finem illum, vt, si aliqua pars vitæ, non ea intentione ordinetur, dicere nõ possimus nos nõ viuere, nisi ad hunc finẽ.

TER-

DISTRIBVTIO
TERTIA VERITAS.

Omnia vana esse in hoc mundo, nisi nos ad finem nostrum promoueant; & hominem esse vanitatẽ vanitatum, omniaque vana reddere, nisi ijs, ad hunc finem obtinendum vtatur.

Consideratio hodie instituitur de statu vitæ, aut munere aliquo, quo quis fungitur.

SECVNDO DIE

De inclinationibus naturalibus, vnde promanãt imperfectiones & peccata, quæ à fine nostro nos abducunt.

QVARTA VERITAS.

Vti gratiâ nos duci ad finem nostrum, sit à natura corrupta nos abduci; malum omne esse a nobis ipsis; suspectum adeoque cauendum esse appetitum nostrum, qui nos perdet, nisi illum perdamus.

QVINTA VERITAS.

Pernicioſiores, quàm existimemus, esse inclinationes nostras naturales, cùm ne illas æstimemus, nos impediant; & cum ad plura patranda scelera nos impulerint, tum demum efficiunt, vt existimemus minus nos esse peccatores.

SEXTA VERITAS.

Nos, quòd summi peccatores non simus non ideo non esse in statu pessimo periculosissimoq;, quandoquidem tepidum esse in Dei seruitio, maius malũ sit, quàm esse frigidum.

Consideratio hodierna est de distributione diei, & actionum, quibus ratione status tui incumbendum est, & de bono vsu temporis.

TER-

TERTIO DIE.

De Nouissimis, quæ efficiunt, vt pericula in quæ nos præcipitamus, melius agnoscantur, apprehendanturq;.

SEPTIMA VERITAS.

Quod si ad vitam alteram periculum immineat, inde esse, si malè moriamur, malè autem moriendi periculum inde oriri, si ex legibus inordinatorum nostrorum affectuum viuamus.

OCTAVA VERITAS.

Iudicium, quod post mortem fit, longè diuersum esse ab eo, quod nobis in hac vita dictat noster appetitus.

NONA VERITAS.

A cruciatuum æternorum consideratione sensim nos induci, vt agnoscamus, quò nos miseriarum rapiant peruersæ nostræ inclinationes, quamque necesse sit easdem oppugnare; & quanto discrimini pugna illa, per omnem vitam exercenda, nos exponat.

Consideratio fit de prima actione Diei, seu modo surgendi, deinde de Meditatione, & Consideratione.

QVARTO DIE.

De emendatione Vitæ ad exemplum Christi Domini, quod ad tres illos actus perfectionis, abstinere, agere, & pati, *reducitur.*

DECIMA VERITAS.

Quod, nisi conuertamus nos, & paruulorum

rum instar efficiamur, nunquam simus salutem consecuturi.

VNDECIMA VERITAS.

Ad inchoandam nouam vitam, tanti referre, se adiungere Christo Domino, vt qui cum illo non est, sit contra illum.

DVODECIMA VERITAS.

Totam scientiam Euangelicæ, moralisque doctrinæ Jesu Christi, in eo consistere, vt scias eius exemplo, abstinere, agere, & pati.

Consideratio de Orationibus quæ voce proferuntur, siue eæ fiant ex obligatione, seu vltronea pietate.

QVINTO DIE.

De abstinendo, ex Mysterijs Infantiæ Christi.

DECIMATERTIA VERITAS.

Sicut, quidquid in mundo est, est amor voluptatum, diuitiarum & honorum, ita quidquid est in præsepi Christi, est instructio vt abstineamus à tribus hisce pessimis amoribus, & præsertim ab amore diuitiarum.

DECIMAQVARTA VERITAS.

Maiorem esse voluptatem, abstinere propter Christum voluptatibus omnibus, quàm ijsdem indulgere.

DECIMAQVINTA VERITAS.

Honorificentius esse, cum Iesu mundanis honoribus abstinere, quàm cum hominibus eosdem sectari.

Consideratio hodie instituitur de sacro & Communione.

SEXTO DIE.

De agendo, ad exemplum Christi inter homines versantis.

XVI. VERITAS.

Considerationem id præstare actionibus nostris, quod corpori præstat oculus.

XVII. VERITAS.

Spectare ad fortitudinem id exequi, quod agendum esse dictat Consideratio, & Fortitudinem istam nos à Christo accipere.

XVIII. VERITAS.

Fortius nos agere animi mansuetudine, quàm ipsa Fortitudine.

Consideratio, de studio & occupatione, cui quis plerumque vacat, & de remissionibus animi, quæ à prandio, aliasq; capi possunt.

SEPTIMO DIE.

De patiendo, ad exemplum nobis à Christo, in Passione, exhibitum.

XIX. VERITAS.

Malum internarum nostrarum tolerantiarum, non tam esse à patiendo, quàm à nolendo pati.

XX. VERITAS.

Qui paratus non est pati, à quouis genere hominum, quoduis genus molestiarum, eum non esse paratum pati.

XXI. VERITAS.

Modum mensuramque patiendorum, esse dispo-

dispositionem & voluntatem Dei.

Consideratio, de Concionibus & exhortationibus, de Lectione, & colloquio spirituali.

OCTAVO DIE.

De statu vitæ perfectæ, ex vita Christi gloriosa, desumpto.

XXII. VERITAS.

Vti nemo vitam adipiscit glorioſam, niſi mortuus vita naturali, ita neminem inire vitam ſpiritualem & perfectam, niſi defunctum vitæ ſenſuali.

XXIII. VERITAS.

Sicut portauimus imaginem hominis terreni, ita nobis portandam eſſe imaginem Cæleſtis, & conſtantiam in ſtatu vitæ ſpiritualis eſſe, quæ cæleſtis hominis imaginem componat, vti, ab inconſtantia, terreni imago formabatur.

XXIV. VERITAS.

Amorem ſpiritualem, nos tantum, tamque perfectè Deo vnire, quantum à reliquis nos rebus omnibus abſtrahit, nihilque in nobis tolerat, quod non ſit omninò ſpirituale.

Consideratio, de examine conscientiæ & confessione.

PRIMVS DIES EXERCITIORVM.

De Fundamento Excitiorum, & Fine Hominis.

PRIMA VERITAS.

Primum Principium vitæ ſpiritualis in eo conſiſtere, vt cognoſcatur Finis noſter vltimus; nos ideò ſolùm viuere, vt eum aſſequamur, neque tam neceſſarium eſſe, nos viuere, quàm non aliò viuere, quàm ad hunc Finem.

Porrò, vnum eſt neceſſarium. Luc. 10.

MEDITATIO

De I. hac Veritate.

I. PVNCTVM.

Declaratio præſentis Veritatis.

NIsi præoccupet te Spiritus Dei, qui tuum aliò, vbi libuerit abripiat, da operam, vt tam ſerues ordinem in conſideratione cuiuſque puncti, quàm animaduertis Meditationes omnes ſuo ordine diſtributas; euincendus enim perſuadenduſque eſt animus, ad quod nihil eſt potentius, quàm gradatim eniti in conſiderationem propoſitæ veritatis. Itaque vt habeas regulam in hac Meditatione,

ne, quæ tibi sit Methodi loco in cæteris, partire Considerationes tuas hac ratione.

Primò, Cogita res omnes à DEO creatas esse ad aliquem Finem; & Finem cuiusque rei suam esse perfectionem, vltimumque complementum: nam donec finem suum fuerit assecuta, perfecta non est, vbi verò illum obtinuerit, jam perfectionis est compos. Secundò, adverte, præmittendam semper esse hujusce finis considerationem, cùm ille prima sit causa cæterarum omnium considerationum, quæ circa quamcumque rem creatam instituí possunt; ideoque cùm Homo æquè, ac cæteræ Creaturæ, habeat finem suum, necesse est, vt ante omnia illum cognoscat, ut inde ordinet, componatque vitam & mores suos.

His benè perceptis, expende jam Principium, Fundamentumque Exercitiorum: *Creatus est Homo ad hunc finem, ut Dominum suum laudet ac revereatur, eique serviens in hac vita tandem salvus fiat, eoque fruatur in altera.* Vide quàm Finis ille sit nobilis, eximius, amabilis, consentaneus rationi, adeoque amplectendus: Elice actus quosdam Fidei, Spei, Caritatis, Resignationis, & Submissionis tuæ voluntatis, ad hanc notitiam accommodatos. Fac per hæc verba, *servire* DEO, altè animo imprimas duo sublimia illa Principia, quæ, vt verissima, maximique momenti, præcipuum, iure, locum in tuis omnibus Exercitiis debent occupare.

Ho-

Horum primum est: ex creatis rebus quasdam pendere à te, quasdam verò non; alterum est, ut sis indifferens ad eas recipiendas quæ non pendent à te prout DEVS disponet, & ut reipsa, secundùm ejus dispositiones, lubens volensque illas acceptes; quod verò spectat ad eas, quæ sunt in potestate tua, cujus generis censentur omnes actiones tuæ liberæ, ut de iis non aliter disponas, quàm secundum Rationem, & juxta Finem, ad quem à DEO creatus es, & nullo modo propter voluptatē, propter honorem, propter emolumentum, aut finem aliquem alium naturalem, qui ad supernaturalem non referatur. An non id æquum est? quid justius, quid conuenientius, & magis necessarium, quàm suum Finem sectari? si ergo Finis tuus non sit alius, quàm vt DEO seruias, eaque seruitus, aliter quàm hisce medijs non perficiatur, an non æquè atque Finis amplectenda sunt?

Ne hîc siste, sed progredere vlteriùs, & agnosce tam manifestè & à fide, & à ratione, & à sensu communi, omnibusque alijs argumentis demonstrari hanc Veritatem, vt, quēadmodum satis agnoscitur, Hominem esse creatum à DEO, ita dubitari non possit, quin idem non sit creatus nisi propter illum, quandoquidem DEVS agere nequeat, nisi propter finem, neque habere queat alium, quàm seipsum: vna enim ex perfectionibus diuinitatis essentialibus est, ut rerum omnium tam

sit finis vltimus,quàm est primum(a) Principium & origo, (b) *Propter me, propter me,* inquit per Prophetam ,*feci.... & manus mea fundauit terram,*&c.*Gloriam meam alteri non dabo;ego ipse, ego primus & nouissimus.* (c) & quisquis vellet hanc in DEO Veritatẽ impugnare, (d) vellet eâdem peruicaciâ in dubium vocare eius diuinitatem. Tam igitur verum est, non esse alium Finem hominis; quàm DEVM, eiusque gloriam & obsequium , quàm verum est, DEVM esse DEVM, adeoque nihil est indubitatius,nihil certius , nihil æquè necessarium.

Insiste peculiariter huic verbo : *Necessarium,* quod tribus modis intelligendum est. 1. esse omninò necessarium & infallibile , quod DEVS sit finis noster vltimus,quemadmodum necessariò DEVS est DEVS. 2. Necessarium esse,vt credamus altèque animo imbibamus hanc Veritatem cùm inde pendeat totus successus perfectionis nostræ. 3. Esse necessarium, vt tota vita omnesque actiones nostræ in hunc Finem dirigantur, propter quem vita nobis vsusque creaturarum omnium , quæ idcircò nobis seruiunt , vt nos seruiamus Crea-

a *Et nunc hæc dicit Dominus,creans te Iacob,& formans te Israel: Meus es tu* Isa.43.

Et omnem qui inuocat nomen meum , in gloriam meam creaui eum,formaui eum & feci eum. Ibid.

b *Is.*48. c *Ego sum α & ω, Principium & Finis.* Apoc.1. d *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus* Prou.16.

Creatori, concessa sunt.

Hæc necessitas non viuendi, nisi propter DEVM, tam vera est, & hæc Veritas quæ necessitatem illam nobis manifestat, tanti est ponderis & momenti, vt asseuerare meritò possimus, id vnicum esse, quod nobis in hac vita degentibus sit necessarium, vt DEVM cognoscamus, illique seruiamus. nam vt cætera desint omnia, hoc vnico excepto, nihil, quod omninò sit necessarium, tibi deest, quandoquidem, ne hoc quidem, vt viuas, sit necessarium. Nónne verum est, nullam esse necessitatem vt viuas, nisi quantùm te DEVS viuere voluerit; & vbi visum illi fuerit, te inde euocare, tam parum te mundo fore necessarium, atque eras, cùm nondum existeres? Quòd si vita tua necessaria non est, cæteræ sanè res, quæ non sunt, nisi ad sustentationem vitæ tuæ, (a) sunt minùs necessariæ. Verùm, supposito, quòd viuas, absolutè necessarium est necessitate debiti & obligationis nunquam soluendæ, vt viuas propter DEVM, fieri enim nequit vt viuas, & non ad aliquem finem viuas, ac finis alius esse non potest, quàm DEVS. Itaque meritò affirmatur hoc vnicum esse tibi necessarium.

Hæc necessitas, non est necessitas coa-

 ctionis,

a *Nemo nostrùm sibi viuit, & nemo sibi moritur, siue enim viuimus, Domino viuimus; siue morimur, Domino morimur, siue ergo viuimus, siue morimur, Domini sumus.* Rom. 14.

ctionis,quæ aduersatur libertati nostræ, possumus enim nos ipsos ab hoc fine auocare, statuendo finem vitæ actionumque nostrarum aut voluptates aut opes, aut honores, quemadmodum, heu! nimis quàm frequenter vsu venit; sed auocare nos non debemus: Necessitas est debiti officij, vt loquitur S. Paulus (a) necessitas moralis, quæ nos obligat ad libertatem arbitrij nostri sic seruitio diuino impendendam, vt carere libertate videamur: nam,etsi integrum nobis sit,quemadmodum diximus,si velimus,finem aliquem alium spectare, non debemus tamen illud velle,sed potiùs libero lubentique animo velle illum finem,propter quem conditi sumus: & ad hoc officium tam sumus obligati, vt hæc obligatio dicatur necessitas: eò quòd, tam parùm ab ea desciscere debeamus, atque si compelleremur eâdem, quâ cæteræ Creaturæ,necessitate;in creatura enim compote rationis,cognitio officij tam æqui, iureque debiti, non minùs vrgere debet, quàm ipsa necessitas.

Sed vt adhuc clariùs moralis hæc necessitas ob oculos tibi proponatur, consydera, quod, cùm homo duplex habeat genus existentiæ, alterum Physicum, ratione corporis & animæ,quibus viuit;morale alterum,ratione

a *Si euangelizauero, non est mihi gloria, necessitas enim mihi incumbit: væ enim mihi est,si non euangelizauero.* 1. Cor. 9.

ne finis supernaturalis ad quem viuendum est; sit indubitata veritas, sicut necessarium est necessitate physicâ seu naturali, vt homo ad viuendum existentiâ suâ naturali, corpus habeat & animam, sic esse necessarium ad viuendum existentiâ suâ morali, vt habeat finem: ita vt, quemadmodum sine corpore & anima, homo non esset homo naturaliter, ita sine Fine moraliter non foret homo, idem enim ad esse morale hominis præstat Finis, quod ad esse naturale confert anima. Vnde colligere potes, an non sit necessarium contendere ad hunc finem, cùm id æquè requiratur, atque ad viuendum, corpore ac anima est opus. Vrge argumentum vlteriùs, & expende vtrum hæc Moralis necessitas non præstet Physicæ: cùm enim Esse morale sit nobilius sublimiusque naturali, consequens est, vt necessitas eius conseruandi, sit quoque maior: vti de facto, si de perdendâ corporis vitâ, per animæ separationem, vel animæ, per separationem gratiæ diuinæ, quæ finis illius & vita moralis est, ageretur, satius longè foret illius, quàm huius facere iacturam; cur autem id, nisi quòd hæc vita moralis sit alterâ præstantior, adeoque grauior necessitas incumbat illam conseruandi? quod adhuc patebit clariùs, si vitæ huic morali adiungas vitam æternam, quæ ab illa, velut medio, ad illam obtinendam necessario, pendet; adeò vt, quantum DEVS & æternitas excedunt cor-

pus & vitam hanc mortalem, tantum fateri oportet, excedere necessitatem moralis vitæ conseuerandæ, suique finis prosequendi.

Hinc illa vox Sapientis: DEVM *time, & mandata eius obserua, hoc est enim omnis Homo*, (a) quasi diceret, ad veram hominis capiendam notitiam, potiùs considerari atque inspici debere, morale & spirituale esse illius, quàm physicum & naturale; vt enim aliquid sit, corpore constans & animâ, id tamen nihil esse, si cum Fine illius, qui est, DEVM timere, & obsequi eius mandatis, conferatur. atque adeò hoc vnum est necessarium; ea est tota hominis conditio, vt sic viuat; id demum est, cui penitùs impendere se debet, vt DEO fini suo, & propter DEVM, viuat.

Num percipis hasce Veritates? id testificare per actus peculiares tum Fidei, tum assensus & subiectionis animi, tum laudum & gratiarum actionum DEO exhibitarum, quòd nos ad finem tam sublimem condiderit, quodque nos eò tam necessariò ac ex æquo adstrinxerit, vt necesse sit aut nos carere Esse nostro nobilissimo, aut prosequi hunc finem, à quo nobis hoc Esse conceditur. O quàm inde gaudeo! quàm lubens amplector hanc necessitatem! nunquam illa meæ libertati nocebit, cùm illam volens acceptem: sed neq; mea libertas aliquid decerpere

(a) *Eccles.* 12.

pere debet de hac neceſſitate, cùm illam velle debeam.

II. PVNCTVM.

Aduerſio in vitam præteritam & ſtatum præſentem.

MAgnum profectò lætandi, Deumque laudibus extollendi argumentum eſt cogitantibus, ſed ad tam ſublimem eximiumque finem (a) creatos; ſed non minor eſt dolendi, ſuique accuſandi materia, ſi quis aduertat, ſe non eo, quo par erat ſtudio, ad finem illum contendiſſe. Hic demum opus eſt, vt affectus detineant voluntatem, quemadmodum in priore puncto Intellectum ratiocinatio occupauit. Primò, obſtupeſce ſeu ignorantiam ſeu malitiam mortalium, qui tàm parum imbuti ſunt hac primâ Veritate, vel tam parum affecti, vt ex eius præſcripto componant (b) vitam ſuam, vt loco proſecutionis Finis ſui, nihil aliud, quàm voluptates, quàm commoda, quàm honores conſectentur. Nónne ita eſt? ſed an non hæc grauis obſtupeſcendaque inordinatio? Quis foret

 animi

(a) *Homo cùm in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt iumentis* &c. Pſal 48.

(b) *Omnes conuerſi ſunt ad curſum ſuum, quaſi Equus impetu vadens ad prælium*, Jer. 8.

animi tui sensus, si tot spectares cadauera, quot vides homines viuos? at quid sentiendum tibi est, dum spectas in terris, totidem veluti mortuos (neminem peculiariter iudicando) quotquot sunt, qui Fini suo non viuunt? (a) carent enim ij Esse illo quod ex mente sapientis, hominem constituit, adeoque mortui sunt, magisque cadauera, quàm si animâ forent destituti, cùm vitam ac Esse nobilius amiserint, quàm sit illud naturale quod ab anima producitur. Nónne censeres personam aliquam infamiâ probrisque notatam, velut mortuis admunerari, cùm priuata sit vitâ ciuili, quæ in honore, bonique nominis existimatione consistit, eamque ineptam esse, quæ prodeat in publicum, aut actum agat, cuius aliqua ratio in Tribunalibus habeatur? cur ergo non etiam censeas, eos extra numerum esse viuentium, qui carent Esse suo morali, quod hominis est proprium? an ideò fortasse, quòd ipse ex eodem sis numero, neque velis propterea penitiùs in hanc notitiam ingredi, ne te pudeat, te tam parùm spectasse hunc finem, à quo oculos auertisse nunquam (b) oportuisset? Enimverò ob hoc ipsum vrgenda eius cognitio est vt te pudeat; te, inquam, qui hanc veritatem non ignorabas, aut discere saltem, post tot lectiones, & lumina

ad

(a) *Quæ in delicijs est, viuens mortua est.* 1. Tim. 5.
(b) *Vt recorderis, & confundaris, & non sit tibi vltra aperire os, præ confusione tua.* Eze. 16.

ad hoc tibi concessa, debuisses.

Fatere igitur nunc Veritatem, nunquámne, in actionibus tuis omnibus, quàm in hunc Finem spectasti? credidistíne, tanquam articulo fidei, istud vnicum esse necessarium? Eodémne pacto te hîc gessisti, quo in reliquis Fidei nostræ mysterijs? an ausus fuisses aliquid cogitare aut loqui aduersùs vnitatem DEI, aduersùs Christi diuinitatem, aduersùs realem existentiam augustissimi sacramenti, quemadmodum cogitasti, locutus es, ac egisti aduersùs articulum de Fine tuo, & hoc vnico necessario? Quoties & mœrore & querelis, dum aduersi aliquid in bonis, in honore, alijsque consilijs tuis naturalibus ac studijs accidit, testatus es, magis te commoueri exigua hac calamitate, quàm curâ Finis tui, aut studio placendi DEO? planè quasi iudicares, tuâ magis interesse, magisque necessarium, vt ad illa, quàm ad Finem tuum nitereris? O rem deplorandam! quantæ gratiarum & meritorũ hinc iacturæ, quod huic primæ præcipuæque Veritati non credideris! quanta scelera, quãtæ miseriæ, quòd diuersis omninò studijs abripi te permiseris! quid exspectes ab ædificio, cuius fundamẽta non benè iacta sũt? & tu cùm super hoc totius vitæ spiritualis fundamẽto nõ ædificueris, quò deuenit labor tuus?

Ne hîc existimes, grauissimum tuum malum esse, quod in quauis actione non memineris finis tui; non, profectò non istud solùm

est, sed in intimo corde cõsistit, in amore proprio, qui cor ita possidet, vt nullã, quã de honoribus, de voluptatibus, de amicitijs, similibusque affectibus cogitationem admittat, Finis sui studio procul habito. Quid proderunt olim hæc cordis & amoris proprij studia & prosecutiones? *quem nunc fructum habemus in illis, nisi vt erubescamus?* (a) Atque vtinam erubescendi saltem materiam inde colligeremus, iactura non foret tanta, sed hæc ipsa iactura tam parùm nos afficit, vt non sit opus alio, meriti à nobis supplicij, argumento, quàm quod sine sensu affectuque meminerimus nos à Fine nostro aberrasse. Anima mea, si flere & commoueri non potes visâ tuâ perfidiâ, tuam saltem deplora insensibilitatem, tunc enim malum magis deplorandum est, quando insensile est.

(a) *Rom.* 6.

III. PVNCTVM.

Propositum in futurum.

VT vt sit de præteritis, deque motu & dolore sensibili; totum per diuinam gratiam situm est in voluntate, & proposito quæ præsentia futuraque, ad nostri agnitionem, emendationemque dispouantur. Verène agnoscis, & credis, minùs necessarium esse, vt viuas, quàm vt viuas ex legibus finis tui?

tui? cæcum & perfidum te esse oporteret. Nisi (a) agnosceres hanc veritatem, nam, vt vidisti, quæ necessitas est, vt viuas? nisi viueres in terris, aliquódne detrimentum terra pateretur? at si viuis, & non viuis iuxta finem tuum, inutilis es, DEO, animæ tuæ, omnibusque creaturis tibi seruientibus, pernicioſus. Defraudas DEVM illâ gloriâ, quam à viuente te exspectat; priuas animam tuam merito, quod obsequijs DEO impensis, posset accumulare; auertis creaturas omnes à Fine suo, qui non est alius quàm vt, dum tibi serviunt, exemplo te suo stimulent ad seruitium DEI, & tuam salutem operandam; facis, vt ingemiscant, (b) teste Paulo, sub onere Tui; grauis illis es, cuperent eximi à te, qui prodigis omne illarum seruitium, & operam, vanaque reddis, cùm non spectent aliò, nisi vt te ad finem tuum promoueant. Præstaret igitur, te in mundo non esse, quàm aliter esse, ac viuere, quàm par est, adeoque magis necessarium est, vt in eo viuas iuxta finem ad quem creatus es, quàm vt viuas sine isto fine. Hinc Sapiens, (c) *Laudaui*, inquit, *magis mortuos, quàm viuentes*, &

(a) *Vide homo, dicit mundus, quo modo amauit te, qui propter te fecit me: seruio tibi, quia factus sum propter se: vt servias illi, qui fecit & me & te: me propter te, & te propter se: si sentis beneficium, redde debitum; si accipis benignitatem, redde charitatem.* Hugo Victor.

(b) *Rom.* 8. (c) *Eccl.* 4.

& feliciorem vtroque iudicaui, qui necdum natus est, quòd plerique suæ ætate ab vltimo suo fine aberrarent. Vide nunc, vtrum velles nunquam fuisse, aut amplius non esse: foret sanè optabilius, quàm sic esse, quemadmodum es, nisi animum vitamque sic componas, vt imposterùm viuas eâ, qua par est, ratione.

Quod si credis, ita teneri te ad conseruandam vitam tuam naturalem, vt nolles graui aliquo incommodo membrum aliquod corporis tui labefactare, eò quòd tuus (*a*) non sis, aut si tuus, tamen tibi-ipsi debeas iustam vitæ tuæ conseruationem: quidni idem statuis ad vitam tuam moralem ac spiritualem asserendam, cùm tam Dei sis, (*b*) vt illi viuas moraliter, quàm vt vivas vitâ naturali, & tanto, imò maiori iure tibi debeas conseruationem vitæ tuæ moralis, spiritualis & æternæ, quàm mortalis & temporaneæ.

Hoc igitur sit decretum tuum, hic fructus tuæ Meditationis, vt nolis deinceps vivere, nisi ad Finem illum consequendum, (*c*) pro-

a *Non estis vestri.* 2. Cor. 6. pter

b *Quid tam tuum, quàm tu, & quid tam non tuum, quàm tu, si alicuius es, quod es?* August. tract. 29. in Ioan.

c *Si quis non quæsierit Dominum Deum Israel, moriatur à minimo vsque ad maximum; à viro vsque ad mulierem. Iurauerunt q; Domino voce magna omnes qui erant in Iuda, cum execratione: in omni enim corde suo iurauerunt, & in tota voluntate quæsierunt eum, & inuenerunt.* 2. Paral. 15.

pter quem viuis, quique vitæ tuæ tam est necessarius, vt ne vita quidem ipsa sit tibi tam necessaria, imò *vnicum* sit illud quod est tibi *necessarium*. Tam altùm animo imprime hanc veritatem, vt eius rationes non solùm intelligentiâ possideas, verùm etiam eius affectum, voluntate, eius recordationem memoriâ, atque eius praxim in omnibus diurnis actionibus, totoque vitæ decursu diligentissimè vsurpes. Siquidem ea fundamentum est totius ædificij spiritualis; radix est & succus qui vitam ramis omnibus aspirat; est semen, vnde cuncta succrescunt; est oculus, qui illustratus regit corpus vniuersum; est Anima, quæ omnia animat; est denique Finis hominis, qui semel ritè ordinatus, totam eius vitam felicissimè gubernat, & sine quo, totam vitam perturbatissimè decurri, necesse est.

O Deus meus, iam nunc quidem in præsenti sic ab hac veritate euictus sum, sic promptus, vt ei me accommodem, vt de præteritis, futurisque tantùm sim sollicitus. Fili mi, dolor & detestatio præteritis medetur; & cordis, à fine suo ob naturales affectus, facilè exerrantis, custodia prouidet futuris.

COM-

COMPENDIVM MEDITATIONIS in primam veritatem.

I. PVNCTVM.

Veritatis declaratio.

OPtimè sumitur exordium vitæ spiritualis à cognitione Finis nostri vltimi, qui totius vitæ Regula est. Pro explorato igitur habeas, Deum, vti Principium tuum est, ita quoque esse Finem tuum vltimum, ad hoc conditus es, vt illum in hac vita cognoscas & ames, idemque facere perseueres in altera. Non magis tui gratia creatus es, quàm non es creatus à te; Deus est qui tibi contulit vitam, & propter se illam tibi contulit, cùm habere alium finem sibi propositum nequeat, quàm seipsum. Poterat quidem te non collocare in hoc mundo, sed non poterat alio fine, quàm vt illum amares, illique seruires: tam verò necessarium est, vt Deus operetur omnia, propter se, quàm necessarium est, Deum esse Deum. Atque illud est *vnicum nobis necessarium*, vt ad hunc finem pertingamus, nam cætera necessaria non sunt, nisi ad conseruandam hanc vitam mortalem, at minùs necessarium est nos viuere, quàm viuere non ad hunc finem. Quid obesset, si non viueres? at quantam non faceres iacturam, si non viueres ad hunc finem?

Istud

Istud propriè hominem constituit, teste Sapiente, (a) si Deum timeat, si eius mandata obseruet, is enim finis illius est, & Finis confert homini esse morale, vti forma, seu anima, esse naturale; adeoque quemadmodum homo naturaliter non viueret sine Anima, sic etiam non viuit moraliter sine timore Dei, qui finis illius est. O finem nobilem & eximium! O fortunatos homines, quòd alium finem vltimum non habeant quàm Deum, cùm Deus ipse finem non habeat sublimiorem!

(a) *Eccl.* 12.

II. PVNCTVM.

Aduersio in præterita, & statum præsentem.

MAgna profectò dignitas hominis est, creatum esse propter hunc finem, sed hanc dignitatem homo non capit, tantùm enim abest, vt non viuat nisi ad seruiendum Deo, vt vel ideò solùm viuere videatur, vt suis cupiditatibus obtemperet. Intuere hominum studia, an non potiùs eò tendunt omnes illorum actiones vt opulenti, vt commodis, vt honoribus affluentes euadant, quàm vt diuinæ placeant Majestati? istudne est viuere ad finem suum, vitam omnem, omniaque

niaque ſtudia conuertere in res temporales & caducas? non tangit te eorum commiſeratio? ſi quotquot ſpirantes vides, tibi cadauera vitâ expertia viderentur, quid diceres? At, an non eſt eſſe vitæ expertem, perdidiſſe finem ſuum, à quo tam pendet vita moralis, atque naturalis ab Anima? quis ſenſus tuus eſt de homine infami? nónne cenſes illum, vt exortem vitæ ciuilis, quæ in bona nominis exiſtimatione conſiſtit, iam quodammodò viuere deſijſſe? at cur idem non affirmes de ijs, qui ſuo carent Fine, id eſt, nobiliſſima, præſtantiſſima Hominis vita? fortè, quòd ex illis es, pudeatque te ijs accenſeri? Ah vel idcircò agnoſce te non vivere ſecundùm finem tuum, vt erubeſcas, meritoque pudore ſuffundaris: nam ſi ſaltem huius erroris tui te puderet, non eſſet omninò deſperata res: verùm, quia vel hunc errorem tuum non agnoſcis, vel agnoſcens non erubeſcis, id demum peſſimum eſt, prorſuſque deplorandum.

III. PVNCTVM.

Propoſitum in futurum.

QVidquid ſit de præteritis, in futurum prouidendum eſt: Fides huic veritati, vt cæteris articulis eſt adhibenda: quòd minùs ſit neceſſarium nos viuere, quàm viuere non iſto fine,

fine, vt Deo seruiamus: & fidem hanc testari oportet, tum inflammatis affectibus, tum maximè actionibus huic veritati consentaneis. Insanire tibi videreris, si crederes, tam te mundo necessarium, vt absque te, multum illi decederet: at sapientis erit, si credas multum creaturis, tibi obsequentibus decessurum, nisi viuas fini tuo; decedet enim, frustraque erit, quidquid tibi impendunt obsequij, quod non tibi impendunt, nisi vt tu tuo illorumque creatori obsequaris.

Quid hîc agis, si non istud agis, propter quod hîc existis. Nihil agitur, dum non id agitur, quod agendum est. Non auderes priuare te vita naturali, cùm tua non sit, neque tu tui sis iuris, & cur priuabis te vitâ tuâ morali, æternaque, cùm tibi non sit maior in finem tuum, quàm in vitam, facultas? Si tibi necessariò amittenda esset aut vita temporalis, aut æterna, quid ageres? semper viue, quasi in tali necessitate constitutus, firmiterque crede, in quauis actionum tuarum agi de vita æterna, propter quam cætera omnia perdenda sunt; neque quidquam, præter hoc vnicum, esse tibi necessarium. O Deus meus, id volo, id cupio, conserua hanc optimam in me voluntatem, si fortè aliquod aliquando desciscendi periculum immineret.

SECVN-

SECVNDA VERITAS.

Tam vniuersim in omnibus actionibus nostris contendendum esse ad finem illum, vt, si aliqua pars vitæ nostræ, non ea intentione ordinetur, dicere non possimus, nos non viuere, nisi ad hunc Finem.

Non defraudaris à die bono, & particula boni doni non te prætereat. Eccli. 14.

MEDITATIO

In secundam veritatem.

I. PVNCTVM.

Declaratio præsentis veritatis.

OPorteret eum expertem esse Fidei, & mentis, quisquis negaret prosequendum esse finem illum, propter quem huius vitæ vsurâ fruimur, & quisquis nollet saltem aliquando, in quibusdam occasionibus, quibus eius meminit, eodem conniti: sed difficultas est, ita persuasam habere hanc veritatem, vt non ex vi illius persuasionis, nulla pars vitæ nostræ eò collineet; nihil appetamus, nisi in obsequium Dei & salutem nostram; nulli negotio, nulli actioni, incumbamus, nisi intuitu,

tu ſtudioque huius finis. Hoc tibi nunc meditandum eſt, ea eſt ſecunda veritas, quæ primam diſtinctiùs exponit, eiuſque exercitium commonſtrat, quaſi manu ducens in omnibus actionibus, & ſingulis vitæ tuæ particulis, vt in iis perſequaris, aſſequariſque finem tuum, nulla prorsùs admiſſa, quæ eò non ſpectet. Nam, ſi viuere non debes, niſi ad hunc finem, vti didiciſti, neceſſariò ſequitur, nullam eſſe debere actionem aut particulam vitæ tuæ, quæ (quantum quidem in arbitrio tuo facultate ſitũ eſt) eò non tendat: ſi enim earũ aliqua aliò auerteretur, dicere nõ poſſet te nõ viuere, niſi ad finem tuum, cùm hæc particula, ſeu actio, inde exerraret. Vt ſi artifici incumberet totius diei laborem & operam Hero ſuo conſecrare, illeque duas tréſve horas vel otio dilapidaret, vel cum detrimento Domini ſui, cui diurnam operam debebat, conuerteret in ſuum emolumentum, an non mali doli foret reus? diceréne ſine mendacio poſſet, nihil ſe, niſi Domini gratiâ laboraſſe?

Hanc rationem altè animo infige, & vt adhuc ſolidiùs ſecundam hanc veritatem tibi perſuadeas, expende illa quoque argumenta, quæ primam veritatem, nempe, *nos viuere non debere, niſi propter Deum*, potiſſimùm euincere potuerunt, nam videbis inde effici, quod ergo ſit illi in omnibus omninò actionibus noſtris ſeruiendum, neque aliud, quàm hunc finem,

finem, ſpectari poſſe. Quænam porrò illa ſunt argumenta? eſtne ideò, quòd Deus id officij à te mereatur; an, quòd iſtud tibi præcipiat? an ob præſtita, præſtandaque tibi beneficia? an ob mala, quæ tibi, niſi illi ſeruias, comminatur? an, quòd Finis tuus ſit, Ratioque euincat, id omitti non poſſe? Eſtne, quòd penitus ſis iuris diuini, neque fas tibi ſit, cum damno honoris illius, quidquam de te diſponere? eſtne, conſideratio æternitatis in altera vita, & vanitatis in præſenti? eſtne reuerentia Ieſu Chriſti, illius meritorum, laborum, Amoris & Gratiarum tibi impenſarum? Eſtne ſanctorum exemplum? eſtne voluptas, dignitas, & vtilitas, quæ in Dei ſeruitio, percipitur? quæcunque illa ſint, attento animo reuolue, excute, expende, & tandem collige, ſi vi horum omnium argumentorum obſtringimur generatim diuino ſeruitio noſtræque ſaluti vacare; eorundem efficaciâ obligari te, vt in omnibus ſinguliſque actionibus tuis, peculiariter eidem incumbas.

Nam ſeruire Deo, non tantùm in eo conſiſtit, vt illum ores, vt diuinis interſis officiis, aut operi bono vaces, ſed vt facias voluntatem eius, vt eius decretis obtemperes: cùm ergo nulla ſit actio, neque momentum vitæ tuæ, quo Deus non decernat velitque aliquod à te obſequium ſibi exhiberi, an nõ æquè hac hora, hac actione obſtrictus es, quàm aliâ, quandoquidem Dei voluntas hic æquè reperiatur

riatur?(a)& cùm vnum aliquod opus idcirco solùm perficias, quod Deus illud velit, cur non perficias aliud, si & istud æquè velit? Nũquid verum est, sic assentiendum esse omnibus fidei articulis, vt si vni neges assensum, iam ne cæteris quidem assentiaris fide Theologicâ & diuina? Pari ratione sic acceptandæ sunt omnes Dei voluntates, vt si repellas vnam vnicam, iam magnum periculum sit, ne cæteras, eius intuitu, puraque intentione non exequaris, quidni enim etiam hanc? (b) *Si ad Orientem iero*, inquit Iob, Deum inuestigans, *non apparet: si ad Occidentem, non intelligam eum; si ad sinistram, non apprehendam eum; si me vertam ad dexteram, non videbo illum.* Vnde istud, quòd Deus, qui in toto vniuerso est, in hisce partibus vniuersi non reperiatur? Respondet D. Gregorius (c): *Creator omnium, ideo in parte non est, quia vbique est; & tunc minus inuenitur, quando is, qui totus vbique est, in parte quæritur.* Si tantùm in Oriente aut Occidente illũ quæris, id est, Manè aut Vesperi, aut tum, quando precatorium pensum illi persoluis, reliquo verò die non memineris obsequiorũ illi exhibendorũ, non reperies; tam enim præsens adest reliquis tuis actionibus, tamq; dignus est, appetensq; vnaquaq; illarũ particulariter

a *Perfecti & integri in nullo deficientes.* Iac. 1.
Vt stetis perfecti, & pleni in omni voluntate Dei, Colos. 4.

b *Iob* 21. c 16. *Moral.* 15.

lariter honorari quàm matutina vespertinaque prece. Non hoc exigit ad seruitium suum, vt continuò sis in oratione, sed meritò queritur, quòd cùm æquè possis illi deseruire actione tua, atque oratione, isto priues illum seruitio. Quod si præcipit, vt (a) *sine intermissione oremus*, sensus ille est ex mente D. Basilij, *nos sine intermissione tum orare, vbi omnis vitæ nostræ ratio atque institutum diuinæ nos conformauit voluntati, sic vt vita nostra dici & esse promereatur continens quædam & indiuisa Oratio.* Opus enim benè rectèque factum oratio est, (b) & laus Deo dicta, ad eum modum, quo dicuntur creaturæ omnes tum Deo benedicere, cùm faciunt voluntatem eius. Maneat igitur, decretumque (c) sit, semper & vbique, sine vllo temporis, loci, aut actionis discrimine, contendendum esse ad finem suum, Deoque seruiendum.

Minutiùs iam inquire, quid sit, Deo in omnibus operibus tuis deseruire? Id reuocatur ad duas hasce partes Iustitiæ, declina à malo, & fac bonum. Quod ad malum attinet, cuiuscunque generis illud sit, semper abominandum est: bonorum verò genera omnia tametsi quis facere non cogatur, debet tamen, quidquid facit, facere bene. à condi-

(a) *Luc.* 18. (b) *v. Aug. in Psal.* 34. 1. *Petr.* 3
(c) *Vt impleamini agnitione voluntatis eius, in omni sapientia, & intellectu spirituali, vt ambuletis dignè Deo per omnia placentes.* Colos. 1.

conditione tua disce, quid facere te quotidie oporteat, & hîc doce conditionem tuam, vt benè istud rectéque facias: istud bonum tibi faciendum est, vt quod conditio à te tua requirit, facias benè.

Facere autem benè, est explere tres illas Dei voluntates, de quibus loquitur Paulus Rom. 12. bonam, beneplacentem & perfectam, quæ continent nostrarum actionum substantiam, modum, & finem. Est facere id, quod credimus Deum velle, à nobis, & eo modo, quo vult, & tantùm propterea, quia vult.

Hoc igitur vnum supereſt, vt tres illas voluntates applices omnibus actionibus, in statu tuo, & per totum diem, peragendis; & tum demum pro conclusione huius puncti, & perfecta propositæ veritatis declaratione dicere poteris: age, anima mea, illud est contendere ad finem tuum, Deo seruire, tuamque salutem comparare: est surgere, laborare, edere, bibere, loqui, tacere, ire, redire; verbo, est, nihil agere, nisi quod credimus Deum velle, & agere ordinarias nostras actiones, quas scimus illum velle, ad eum modum, quo vult, & quia vult. Quantum tibi debeo, ô Deus meus, quod obsequium tuum & salutẽ meam rebus tam promptis expeditisq; alligaueris, Si me perpetuò orationibus, aut ieiunijs, aut stipi erogandæ vacare voluisses, nescio sanè, an obsequium tuum, &

salutem meam procurare potuissem, sed cùm nihil incumbat aliud, nisi quod quotidie iuxta conditionem meam mihi agendum est, ô quàm me beatum felicemque reputo, quòd & cognoscam voluntates tuas, & exequi tam facilè queam!

II. PVNCTVM.

Aduersio in vitam præteritam, & statum præsentem.

MAgna sine dubio, Dei bonitas est, seruitium suum & salutem nostram collocasse in rebus obuijs, tamq; facilibus, vti sunt consuetæ nostræ actiones, neque tam onus est, quàm honor, quòd ad eas bene peragendas nos obligarit. Sed quomodo obligationi satisfacimus? surgimúsne, quando scimus id Deum velle? damúsne operam vt id sciamus? ideóne ad opus, ad studia, ad mensam, ad ludum nos conferimus, (a) quò Deus ita velit? In ijs eâ, quà vult, ratione nos gerimus? Ah quàm parùm de eo cogitamus! quàm parùm dignè seruimus tantæ Majestati, quæ obsequij loco admittit illas ipsas actiones, quæ nostris commodis seruiunt

(a) *Seruierunt creaturæ potiùs, quàm Creatori* Rom. 1.

seruiunt, & heu! nolumus. Si præcipit arduа difficiliaque, obloquimur, ipsamque difficultatem excusationis vice prætendimus; si commoda ac facilia, tanquam indigna illius seruitio, aspernamur; quo igitur modo seruimus illi, cùm & ab obsequijs nos auocant difficultates, & commoditas non stimulet?

Quod probrum foret illi, qui Regis, eiusque benignissimi adscriptus famulitio, tametsi non nisi honorifica & perquàm facilia, & maximis propositis præmijs exigerentur, ille nihilominus manum operi non admoueret, aut ea tantùm exhiberet obsequia, quæ arriderēt, nulla habita ratione æquissimarum Domini sui voluntatum? (a) Ah in Aulis tales famuli non existunt, quis enim eos toleraret, at in seruitio Dei, quotusquisque est Minister, in quem hoc probrum non cadat? & tamen ipsius probri verecundia & exprobratione vix vlli tanguntur; animos & securitatem sumunt ab vno aliquo opere per diem exercito, quasi nulla illis ratio reddenda foret de denis, viceniisque quæ aut inutiliter, aut imperfectè peraguntur. An non ex illis vnus es? nónne nunc doles, postquam vidisti debere te Deo seruire in omnibus actionibus tuis? quot vel neglexisti, vel fecisti non benè? scias totidem esse partes vitæ tuæ furtim auersas ab eo, cui integram il-

(a) *v. l. 3. c. 3. de imitatione Christi.*

lam meritissimo iure debebas: scias toti-
dem esse neglecta obsequia; totidem expro-
brationes, quas obijcere tibi debet conscien-
tia tua, quòd tam exiguo sit apud te loco, &
Deus, & salus (a) tua immortalis. His affecti-
bus, si eos sentis, paululùm immorare, si ver
non sentis, perge te confundere, veniam qu
eius delicti à Deo postulare, quod non sen
tias, te illum despectui habuisse.

(a) *Ponite corda super vias vestras: seminastis mul-
tum, & intulistis parum; qui mercedes congregauit
misit eas in sacculum pertusum.* Agg. 1.

III. PVNCTVM.

Propositum in futurum.

VNicum solatium ijs supereſt, qui sensib
li præteritorum vitiorum dolore no
tanguntur, vt saltem æstuent bono desideric
firmoque animi proposito, eadem præcauen
di sollicitiùs. At illis, qui tenero pietatis sens
affluunt, tum licèt esse securis, si vnà seria
vitæ emendationem constanter decernan
nam alioqui, teneritudines hæ meritissimis lu
dificationibus accenserentur. Itaque qui
quis sit tuus sensus de præteritis, animo
resume in futurum, & si verum est istud
quod primo puncto meditatus es, delibe
ra, vtrum ad eam normam non magis exi
genda sit deinceps vita, quàm feceris hacte-
nus

nus. Ne existima satis esse, si intelligas credasque teneri te, vt vniuersim omnibus tuis actionibus contendas ad finem tuum, in ijs Deum quærendo, quemadmodum reuerà reperiri potest; aut vt doleas te id hactenus neglexisse: nisi etiam acceptes hanc obligationem, ac firmiter statuas, eandem cum diuina gratia explere, tantoque libentiùs, quantò clariùs agnouisti, ac detestatus es, te hactenus officio defuisse.

Melior reparandi temporis præteriti non est modus, quàm meliùs illud, quod supereſt, collocare. (a) Sufficit enim præteritum tempus indulsisse nostris desiderijs & affectibus; æquum iam est, vt quod reliquum temporis nobis conseruauit Deus, id illi redhibeamus. neque nimiùm est, istud impendere in obsequium illius Dei, qui ab ipsa æternitate nos dilexit; illius Christi, qui singula vitæ suæ momenta nostris commodis impendit; & ad cælum comparandum, cuius immensa felicitas tam prompta est, vt liberum nobis sit eandem vel lucrari, vel prodigere, prout agenda, benè vel malè, peregerimus.

Si exigerentur à me facultates meæ, si alimenta, si negotia, si deliciæ acciderentur, esset fortasse quod vererer, ne cupiditates meæ, aut desiderijs suis frustratæ, aut molestijs asperitæ repugnarent, sed nihil rerum necessariarum, ne licitarum quidem voluptatum subtra-

(a) Ex 1. Petr. cap. 4.

subtrahitur, solùm id suadetur vt eas non vsurpes, nisi quando Deus vult, & quomodo vult, & quia vult. quid hîc arduum videatur amori proprio, quandoquidem, sine vlla rerũ temporalium iactura, æterna quoque bona indipiscamur? Quamquam forent amittenda omnia, tamen ob ingens negotij momẽtum, eò compellendus esset animus. At si loco iacturæ nobis lucrum offeratur, quid superest, nisi vt ad fouendam propositi constantiam, semper maneamus ita constituti, vt nihil aggrediamur operis imposterùm, nisi quatenus scimus id peragendum esse, vt ad omnia simus indifferentes, donec intelligamus, quid Deus velit; postquàm verò intellexerimus, illicò nostrã ei voluntatem accommodemus. Hæc igitur proposita firmiter decerne, & si de re aliqua dubius es, lumen à Deo postula, attentisque animi auribus præstolare responsum.

Mi Deus, hoc vnicum me habet anxiũ, (a) qui scire semper possim, quid à me velis, & modum, quo peragi rem cupis. Fili mi, sat tem ea ne omitte, quæ facienda dictabit & necessitas, & directio superiorum aut ipsiu conscientiæ tuæ, & leges tuæ conditionis, & alij per diem occurrentes casus: & conare, e quàm

(a) *Rogamus vos & obsecramus in Domino Iesu, quemadmodùm accepistis à nobis, quomodò oportet vos ambulare, & placere Deo, sic & ambuletis, abundetis magis* 2. Thess. 4.

quàm perfectissimè operari. Quisquis enim facit, quidquid ex me intelligit, facit satis: & plura si velim ab illo fieri, faciam vt in tempore intelligat.

COMPENDIVM MEDITATIONIS in secundam veritatem.

I. PVNCTVM.

Veritatis declaratio.

PLurimùm refert scire, quòd vni Deo viuendum sit, aut non viuendum omninò; parùm tamen est, nisi quoque scias, quid sit viuere vni Deo. At hoc ipsum exponit secunda veritas; vni igitur Deo vivere, est nullam penitùs vitæ partem Deo non impendere, si enim minima aliqua particula, vel actio vitæ tuæ non ordinetur in hunc finem, qua fide asseuerare poteris te non viuere nisi propter Deum, cùm illi secundùm hanc particulam aut actionem inde aberrantem non viueres? sed cur aliquam partem aliò auertes, cùm rationes omnes, quæ euincunt debere nos Deo seruire, quoque comprobent tam vniuersim omnibus nostris actionibus esse illi seruiendum, vt si in aliquibus deficiamus, periculum sit, ne illi non seruiamus in ijs ipsis, quas arbitramur in eius seruitium esse directas: vt qui vni articulo credendorũ fidem derogat, perí-

culo se exponit, ne nihil credat. Nõ id solũ est seruire Deo, vacare orationi, ieiunijs, pijsq; alijs operibus: minimè profectò; omnibus actionibus nostris illi seruire oportet, declinãdo quidquid malũ est, & faciendo bonum illud, quod ratione statûs fieri vult à nobis, atque eo modo, quo fieri vult, & quia vult, quãtum Deo seruiendi commodum est, posse illi in omnibus actionibus nostris deseruire! O benignum Dominum qui tam leuibus obsequijs acquiescit.

II. PVNCTVM.

Aduersio in vitam præteritam & præsentem.

QVò obsequium factu facilius est, eò culpabilior est seruus, si non facit. Tu igitur, qui agnoscis tam esse facile seruire Deo, seruiendo illi omnibus tuis actionibus, an non grauis culpæ reus es, si obsequium illi negas, quod tibi tam facilè est & expeditum? Enumera, si potes, actiones tuas diurnas ab aurora in noctem, & vide, num ex denis vna fiat propter Deum, aut ea perfectione quâ fieri illam vellet: *& nouem vbi sunt?* nónne tam verè, furtim sublata sunt Domino tuo, quam verè, iuxta primam veritatem à te consideratam ad illum pertinebant, quarum finem non magis potes tibi vendicare, quàm tibi persuade-

re,

re, te vitæ tuæ esse auctorem? Ausin' tibi-ipsi manum vel digitum amputare? quomodò igitur ausus es amputare tot actiones vitæ tuæ, illasque vltimo suo fine spoliare, cùm vita tua non solùm ratione membrorum, sed ratione vsûs eorundem, omniumque actionum hujus vitæ, ad Deum pertineat? O quæ ratio tibi reddenda est! quo pudore suffundi te oportet deprehensum in tali sacrilegio, quo totidem Deo tuo sufuratus es actiones, quot alijs finibus, quàm eius gloriæ propagandæ, & eius obsequijs, impendisti!

III. PVNCTVM.

Propositum in futurum.

SI non doles tam malè te tempus anteactum collocasse, insensibilis es, at si doles, neque tamen prouides in futurum, inanis dolor est meraque ludificatio. Vtilius nequis deflere, repararéque tempus præteritum, quàm si serió statuas fidelius collocare id, quod tibi vitæ reliquum supersit. Nónne satis obsequiorum perdidisti Deo debitorum, dum prodegisti tot, citra illius obsequium, actiones? vin' adhuc aliquid de modico quod restat, dilapidare? quantum tibi temporis ad viuendum adpromittis? crastinum tibi non auderes polliceri? & cùm tibi fortasse luceat hæc dies vltima, cùm non supersit, nisi hæc

hora, hoc momentum, qua fronte audebis illi tantillum denegare? & vt totos centum annos adhuc viuendo decurreres, nimiúmne daretur Deo, ratione suæ Maiestatis? nimium intuitu meritorum Christi? nimium, pro beata æternitate? demum, quid perdes, si redhibeas, quod suum est? tuum id potius emolumentum est, quàm Dei; illi dare, accipere est; est acquirere, suum illi reddere, pro illo perdere, est lucrari. O Deus, et si facienda foret rerum omnium iactura, nónne dignus es? Ita statuo, nolle me deinceps vllam rationem ducere, neque lucri neque iacturæ, sed Dei solius, qui vnus mihi sufficit & sine quo cætera omnia deficiunt, merumque sunt nihil.

TERTIA VERITAS.

Omnia vana esse in hoc Mundo, nisi nos ad Finem nostrum promoueant: & Hominem esse vanitatem vanitatum, omniaque vana reddere, nisi ijs, ad hunc Finem obtinendum, vratur.

Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes:(a) vanitas vanitatum & omnia vanitas. Quid habet enim homo de vniuerso labore suo, quo laborat sub sole, nisi aliquid sole terreniſque rebus altius spectet, nempe finem suum?

MEDITATIO

In hanc tertiam veritatem.

I. PVNCTVM.

Eiusdem veritatis declaratio.

TErtia hæc veritas est luculenta duarum præcedentium comprobatio, nec quidquam reddere nos potest securiores, magisque obfirmatos in ea sententia, quâ credi-

nus,

(a) *Eccl. c. 1.*

mus, vnicum id nobis esse necessarium, vt ad finem nostrum contendamus nostris omnibus actionibus, quàm si intelligamus cætera omnia meriſſimam esse vanitatem & afflictionem ſpiritus, hoc est, purum putum nihil, cui non magis, quàm ſomnio aut illuſioni, ſit attendendum. Sed quo id modo verum ſit, quaque ratione cum ijs conſentiat, quæ legimus in libello Exercitiorum, vbi creaturæ omnes de ſe dicuntur indifferentes, iam nobis conſiderandum eſt, & vt ordine fiat;

Aduerte primò, quando hic ſermo inſtituitur de creaturis mundaniſque rebus, eas intelligi præcipuè quæ potiſſimùm afficere permouereque nos poſſunt, vt eſt ſanitas, forma, opes, dignitates, honores, nobilitas, ſcientia, vita, boni nominis exiſtimatio, aliaque eius generis, aut ijſdem contraria.

2 Haſce res omnes, vniuerſaſque creaturas conſiderari poſſe, vt bonas, vt indifferentes, vt vanas & malas. Bonæ ſunt non ſolùm bonitate naturali quà exiſtunt, verùm etiam quadam bonitate, quam deſumunt à fine, cui creatæ ſunt à Deo, nimirùm, vt vſu ſuo nos ad finem noſtrum conſequendum promoueant. Hoc fine & inſtituto Deus illas condidit, nobiſque obtulit: at quia ob arbitrij libertatem, integrum nobis eſt ijs vti, aut abuti ad fines alios, ad quos nobis conceſſæ non ſunt, hinc dicuntur indifferentes, hoc eſt, nec bonæ, nec malæ, quando conſiderantur in ſe, abſtra-

abstractæque ab illo Fine, à quo bonitatem mutuantur, & quatenus aptæ sunt benè vel malè cùm libuerit, à nobis vsurpari.

Quod si dicas, idcirco non desinere bonas esse, quamuis ad finem illum non referantur, neminemque reperiri cui sanitas, opes, honores, voluptates non bonæ appetendæque videantur: Respondeo, cuncta hæc bona, ita nudè considerata, neque relata ad finem altiorem, non esse nisi vana, boniquè speciem præ se ferentia, vanitatem esse, eadem appetere, ijsdem occupari. (a) Quin vel ob hoc ipsum, quòd plerumque à fine nostro nos auertant, plusque damni adferant, quàm obsequij, dici merentur bona pernicioſa, & malorum nomine potiùs, quàm bonorum notari; hac enim ratione dicuntur in sacris litteris, (b) *Creaturæ in odium factæ, & in tentationem animabus hominum, & in muscipulam pedibus insipientium.* Itaque vides, qua ratione creaturæ bonæ sint, quâ indifferentes, quâ vanæ & malæ: Eaque consideratio rectè instituta, plurimum prodest, ad nos in duabus prioribus veritatibus confirmandos. Si enim propterea creaturæ bonæ sunt, quòd Deus eas creauerit, vt nobis seruiant deducantque nos ad finem nostrum, an non obligamur ad eandem Dei capessendam intentionem, ad ijsque vten-

(a) *Hæc omnia sanctis in bona, sic & impijs & peccatoribus in mala conuertuntur* Eccli. 39. vbi plura eiusmodi. (b) *Sap.* 14.

vtendum non alio fine? si sunt indifferentes ex se, neque bonæ, nisi relatæ ad hunc finem, an non etiam nos indifferentes esse oportet, vt eas neque magnifaciamus, neque appetamus, neque vsurpemus, nisi hac eadem intentione? Quod si extra finem hunc vanæ sunt & pernicioſæ, nónne consequens est, vt ijs renuntiemus, vníque Bono solido ac vero adhæreſcamus?

Verùm, quia bonum sensibile, quo affectæ sunt, ita nos fascinat, vt iis tanquam fini, & non tanquam medijs ad finem assequendum, facilè animum applicemus: hic peculiariter considerare debemus, totum id bonum sensibile, vti diximus, siue honoris, siue voluptatis, siue commodi, quidquid denique natura expetit, seu mundus sectatur, merissimam esse vanitatem, si illi soli inhæreſcamus, neque ad solidius veriusque bonum, qualis est finis noster, referatur. Imò verò bonum istud inanis vanitas est, quia non est solidum, imò verò ineptum vt nos expleat, vt nos reddat bonos beatósque; non est permanens, sed instabile & caducum; (a) non est proprium homini, ad sublimius quoddam bonorum genus, condito, quique sine iniuria conditionis suæ, tam vilibus falsisque bonis adhærere non potest.

Hinc homo, qui illis adhæret, his ipsis vanitatibus vanior est, & *vanitas vanitatum*, (a) quod

(a) 1. Eccl. 2.

(a) quod earum sit causa & origo. Ille ipse est, Homo est, tu es, ego sum, qui hanc creaturarum vanitatem procreamus, ijs inhærendo, sine vllo finis nostri intuitu; cùm enim ex seipsis sint indifferentes, possintque fieri bonæ, si benè ijs vtamur, alia ratione non sunt vanæ, nisi quòd vitio nostro, suo fine ac bonitate exinaniantur, dum ijs non vtimur tanquam medijs ad Deo seruiendum, salutemque nostram procurandam, sed tanquam bonis ex hominum opinione, & naturæ sensu, iucundis, vtilibus, & honorificis, nulla finis nostri habita ratione; quæ vanitas est, & cuius vanitatis causa est homo. Quoniam igitur plerumque homines bonis temporalibus & creaturis non vtuntur, nisi ad delicias, commodaque temporalia, idcircò tum scientia, tum dignitates, honores, voluptates, sanitas & vita, non alio nomine, quàm vanitatis censentur, non quidem ex sese, sed propter consuetum hominis abusum. Vteretur enim homo rectè scientiâ suâ, authoritate, sua valetudine, cæterisque naturæ bonis, non iam vanitates dicerentur, sed potiùs animi decora, vitæ temporalis instrumenta, & ad æternam præsidia.

Ita censet rerum omnium arbiter Deus, cuius iudicio par est, nostrum consentire, & nefas

(a) *Supra. Verumtamen vniuersa vanitas omnis homo viuens. Verumtamen in imagine pertransit homo*, Ps. 38.

nefas sit dubitare, quin tales sint, quales ille censet. Considera ergo, quo apud Deum sint loco bona mundi vniuersa. Quid de ipsis sacræ litteræ testantur? quid pronunciat Dei filius? quid Spiritu S. afflatæ Animæ? nónne Dei vox est: (a) *Vanitas vanitatum & omnia vanitas*? nónne Euangelium Christi: (b) *Nihil prodesse homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur*? nónne id effecit aduentu suo Spiritus Sanctus, *vt non contemplemur ea, quæ videntur, temporalia*, quemadmodum loquitur Apostolus, (c) *sed ea, quæ non videntur, æterna*? & ratio, quam Deus adfert, digna est consideratione, vt dictorum suorum veritatem intelligentiâ clariùs assequamur: *Quid habet*, inquit, *amplius homo de vniuerso labore suo*? quasi diceret, an non luculentum testimonium est, hæc vniuersa bona temporalia esse vanitatem, quòd homo ex hac vita decedens, nihil horum ampliùs habeat bonorum? & nunquid istud ipsum est, quod in altera vita miseri illi miserrimè lamentantur: (d) *Transierunt illa, tanquam vmbra, & tanquam nuncius percurrens, & tanquam nauis, quæ pertransit fluctuantem aquam*, & (e) *sicut somnum visionis nocturnæ, & sicut vapor ad modicum parens*: & (f) *nos nati continuò desiuimus esse*? non quod plures annos viuendo non peregerint, sed quod nihil ex hac sua

(a) *Eccl.* 12. (b) *Matth.* 16.
(c) 2. *Corinth.* 4. (d) *Sapient.* 5.
(e) *Isa.* 29. (f) *Iac.* 4.

sua vita retulerint? Et ad hanc veritatem nobis comprobandam sufficere deberet vnius testimonium Salomonis, vniuersa mundi bona experti, & nihilominùs contestantis, nihil esse, nisi vanitatem; sed quia hic sunt homines vt & ipsi priùs experiri velint, quàm credant, Deum potiùs audiamus, ore huius sapientis nos alloquentem, quique ita nos alloquitur, vt non tantùm instruat intellectum, verùm etiam blandè commoueat affectus, & voluntatem validè inflectat, vt reipsa vitam nostram moresque ad veram viuendi normam, hoc est, Iudicium ipsius, exigamus. O Deus dignissime, cui non minùs obedientia, quàm fides præstetur, fac me sic ijs, quæ de mundi vanitatibus me docuisti, fidem habere, vt congruenter obtemperem mandatis tuis, tum ad præterita expianda, tum ad prouidenda futura.

II. PVNCTVM.

Aduersio in vitam præteritam & statum præsentem.

PRimus huius cognitionis effectus est, vt animo exponat miserrimam mundi, aut plerorumque mortalium in hac vanitate viuentium, conditionem, deinde eum rapiat in stuporem tam horrendum, vt continere se nequeat, quin exclamet cum Vate Regio:

gio: (a) *Filij hominum, vsquequò graui corde? vt quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium?*

Sed ne quis aliorum potiùs, quàm sui meminerit, alter affectus est demissæ confessionis, & serij doloris, quod heu! nimiùm his puerilitatibus vanitatibusque dediti fuerimus, ex quibus nullum fructum alium, quàm probrosam erubescendi materiã, Paulo teste, collegimus: atque vtinam hunc saltem fructum collegissemus, adeoque erubesceremus, vt puderet eodem reuerti. quid censes? quale de mundanis rebus formatum tibi iudicium est? intuitúsne eas es, cum illa animi in neutram partem propensi moderatione, atque indifferentia, vt vnam, præ alia, non appetiueris, nisi iuxta Dei beneplacitum, quod esse debet tuorum norma desideriorum? hæ anxietates, hi metus, hæ tibi blandientis animi oblectationes, hæ auersiones, & tot affectus alij, qui tam varium instabilemque te reddunt, vt in vultu quoque tuo & verbis nõ obscurè se prodant, vnde, inquam, illi, nisi ab aliqua ad obiectum aliquod adhæsione, & vnde hæc adhæsio, nisi à peruersâ obiecti æstimatione? æquo pluris istud facis, aliter æstimas, ac Deus; neque error ille dumtaxat afficit intellectum, sed in voluntatem quoque inuadit, omnes affectus tuos, cunctasque actiones perturbat; illum spirat tota vitæ tuæ ratio,

(a) *Psal.* 4.

ratio; cùm enim ludicium sit viuendi dux & arbiter, illudque in rerum æstimatione corruptum, deceptumque sit, sequitur necessaria consecutione, totam quoque vitam, nihil aliud, quàm deceptionem, mendacium & fallaciam fuisse. (a) ignosce ô Deus meus, & cùm deliquerim in æstimatione rerum, quas ad trutinam externæ speciei & inordinatorum meorum affectuum potiùs, quàm veritatis expendi, fac vt agnoscam huius delicti grauitatem, vt illud, pro eo ac meretur, defleam detesterque.

(a) *Verumtamen vani filij hominum, mendaces filij hominum in stateris, vt decipiant ipsi de vanitati in id ipsum.* Ps. 61.

III. PVNCTVM.

Propositum in futurum.

QVia recta illa, aut peruersa rerum æstimatio potissimùm afficit tres animæ facultates, hinc propositum quod nobis iam concipiendum est illas maximè spectare debet. Propone igitur intellectui tuo Veritatem primo puncto declaratam, & vide, num is illi consentiat; num agnoscat res orbis vniuersas, vtpote nobis à Deo, nullo alio nomine, concessas, nisi vt media sint illi seruiendi, prosequendique Finem nostrum, tanti esse, quantùm eò nos promouent, & si non pro-

promouent, nihili esse, meramque vanitatem? quid arbitraris? quanti nunc coram Deo, & ex animi sententia facis terrenas opes & dignitates? hac in re corrigendum iudicium est, quod falsa rerum specie, & cupiditate nimia, permisit in errorem se abduci; vtque illud rectè corrigas, dictum est, exigi debere ad normam eius iudicij, quo Deus res æstimat, vt in materia fidei facere soles, si fortè sensus tui, & humanæ rationes obluctentur. An non hoc æquum est? an credes iudicium tuum esse diuino iudicio exactius? imò si credis falli te, dum aliter iudices, volésne perpetuò in hac fallacia viuere?

Hinc sequitur propositum, (a) quod voluntas elicere debet, nihil amandi, nisi verum suum bonum, & Finem sibi à Deo constitutum, cùm enim solus amor rerum sensibilium illam ab eo auertat, & nihil ipsæ boni contineant sed vanissimæ sint, meraque mendacia, nisi ad finem illum referantur, quo affectu in Vanitatem & mendacium ferri potest?

Memoria, meminisse illius debet, dum occurrunt obiecta, & appetendi facultas commouetur. Nam cùm Imaginatio à sensibus imbuta, alios ab ijs, quos hìc discis, rerum obiectarum conceptus menti imprimat, contemnendi

(a) *Nolite recedere à tergo Domini, sed seruite Domino in toto corde vestro. Et nolite declinare post vana, quæ non proderunt vobis, neque eruent vos, quia vana sunt.* 1 Reg. 12.

temnendi sunt, eo modo, quo vanos falsósque rumores explodis. Quid diceres, si te alicuius negotij conscium, certúmque, ignarus aliquis aut insanus inanibus rumusculis interpellaret? patererísne te decipi? non rideres eos, qui narranti aures accommodarent? nónne diceres, te certis authoribus scire, illa esse falsa, tibi veritatem esse exploratam? idem tibi tum dicendum est, quando inepta imaginatio tibi volet persuadere, diuitem hunc beatum esse, hunc pauperem, miserum; illicò respondè, falli illam, nisi alio quodam vel bonorum vel malorum genere hi homines præditi sint; aliunde te iam scire, quod bonum aut malum in diuitijs aut paupertate situm non sit, sed in illarum vsu, quodque cuncta bona sint, benè vtenti, & ad finem suum vltimum referenti, illi verò, qui aliter vtitur, vniuersa vana esse ac pernicioſa. Nónne ita est? Nónne nunc verum esse censes? at, non erit æquè verum, quando imaginatio tua tibi contrarium nitetur persuadere? Memineris igitur huius formati modo Iudicij, vt eodem semper cuncta censeas; nam illi nihil, nisi Error & falsitas aduersatur.

COM-

COMPENDIVM MEDITATIONIS in tertiam veritatem.

I. PVNCTVM.

Eiusdem declaratio.

AD mentem in fide duarum priorum Veritatum stabiliendam, tertia hæc proponitur : & quando dicuntur res omnes esse Vanitates , illæ peculiariter intelligendæ sunt, quæ plus habent momenti ad animos à fine nostro auertendos, vt scientia, honor, opes , voluptates , & alia huius vitæ bona, quæ tum *Vanitatis* nomine dedecorantur, quando nudè spectantur , vt huic vitæ commoda. Nam alias, si iuxta Dei destinationem, qui cunctas Creaturas idcircò condidit, vt nobis vsui forent, ad illi seruiendum, illis vtimur , nulla creatura non bona est ; verùm quia plerumque ijs abutimur ad fines alios detorquendo, abusu ipso creatura fit vana, & quantumcumque boni contineat , totum illud bonum Vanitas est, ipseque homo Vanitas Vanitatum meritò nuncupatur , cùm creaturas reddat vanas, non vtendo illis ad finem suum , exinaniens illas vera bonitate, quam à fine participabant , solo caduco huius vitæ bono illis relicto, quod ipsa vitæ percuntis fragilitate solidius esse non potest. Ita

de

de illis iudicat Deus, neque exactior rerum æstimandarum regula potest adferri, quàm Diuinum hoc iudicium, ad quod, par est, nostrum exigi, vt creaturæ rectè æstimentur, deberemus experto credere Salomoni, tametsi vnus ipse de rerum vanitate testimonium diceret; sed quando aduertimus Deum nobis per Salomonem loqui, suique dicti hanc reddere rationẽ; quòd homo nihil referat de labore suo, quo laborat sub sole, nisi ad finem bonum dirigatur, satis sanè argumenti est, vt credamus, hunc finem nobis in omnibus nostris laboribus propositum esse debere, nisi laborare frustrà velimus, omnisque operæ, quin & vitæ nostræ iacturam facere. quid sentis?

II. PVNCTVM.

Aduersio in præterita & præsentia.

Filij hominum vsquequò graui corde & in terras depresso, *vt quid diligitis vanitatem & mendacium?* res est profectò dignissima, quam cum Dauide obstupescamus, homines potiùs vanitatem sectari quàm, soliditatem potiorem mendacii, quàm veritatis rationem habere. Sed an non tu ex illis es? quale de rebus huius mundi formas iudicium? an ad normam iudicii diuini? an, eatenus æstimes quatenus ad prosecutionem finis tui vel prosunt,

sunt vel obsunt? an ad cætera indifferentem adferas ànimum? vnde igitur hi mœrores & anxietates, si aduersi aliquid tibi contingat, cùm ne illud quidem obesse, si nolis, tibi possit, & si velles, plurimùm prodesset ad finem tuum consequendum? Ah! quàm liquidò affectus tui & actiones manifestant, peruersum esse iudicium tuum, téque potiùs ex opinione mundi quàm iudicio diuino, æstimare res mundanas! an non hoc errare est, séque ipsa vanitate reddere vaniorem?

III. PVNCTVM.

Propositum in futurum.

QVia externa rerum specie deceptum Iudicium nostrum, eas vanas efficit, imò vanitatem; modus optimus illud à deceptionibus eximendi, est, non inhærere isti speciei, sed diuino potius Iudicio, vti facere solemus in fide, quando sensus obluctantur. si Iudicium fuerit erroris expers, facilè ac illico voluntas componet affectus, neque inordinatè falsa mundi bona complectetur, quandoquidem à Iudicio discet, non esse vera bona, & non soleat bonum complecti alia ratione, quàm eâ, quâ Iudicium illud illi proponit. Id superest, vt memoria illius perpetuò recordetur, neque capi se patiatur ijs fallacijs, quas sensus à rebus obiectis perperam hauriunt.

Hæc

Hæc fixa rataque tibi sit Veritas : tantidem esse res vniuersas , quantùm tibi ad finem tuum assequendum conducunt; & quidquid in contrarium tibi occurrit , habe eo loco & ludibrio , quo soles inepta famæ mendacia.

CONSIDERATIO PRIMA hodie instituenda.

De statu vitæ, aut Officio , quo quis fungitur.

1. POstquam te stiteris Diuinæ præsentiæ, imploraverisque gratiam vtiliter instituendi hanc considerationem. Adora Dei prouidentiam, quæ tam varios status & Officia, tum in Ecclesia tum in sæculo disposuit, eaque singulis pro arbitrio suo dispertitur.

2. Vide quis tuus sit status, quo eum pacto adieris , an cum fraude , perversaque intentione, an potiùs ex aliquo affectu naturali, aut humanis rationibus , quàm propter Deum, & ex intuitu eius voluntatis , dispositionisque?

3. Si quid mali admissum est, eiura ; si defuit intentio purior defæcatiorque, eam nunc elice, & velut iam primùm ingredereris, contestare , te non alio fine illic manere vel e ni

nisi quod credas id placitum Deo acceptumque.

3. Profitere, te viuere tuâ contentum conditione, eò quòd Deus illic te collocauerit abdicato omni tuorum commodorum intuitu, sine vlla in illos, qui te præuertunt, inuidia, & sine arrogantia in eos, quos tu præcedis.

5. Certus esto plurimùm referre ad operandam salutem tuam, vt in statu tuo sis fidelis, & fidelitatem in eo consistere, vt in eo te geras sollicitè, vt qui illum à Deo accepisti & cui tu rationem aliquando redditurus es severissimam rerum etiam minimarum in eo admissarum.

6. Ne putes discrimen vllum intercedere inter negotia tuo statui propria, & negotium salutis tuæ aut perfectionis; nunquam enim meliùs operaberis salutem tuam, neque plus perfectionis acquires, quàm si rectè defungaris officij tui partibus, modò eas expleas intuitu Diuinæ voluntatis, à qua hæc agenda tibi commissa sunt. Et verò nunquam meliùs ex plebis partes officij tui, quàm si nihil aliud ijs spectes, præter Dei obsequium, & tuam perfectionem.

7. Nunquam mali aliquid committendum est, sed semper bona; at quia varia sunt genera bonorum, vide quæ sint propria tuo statui, quomodo in ijs te geras, vnde vitia & defectus, & quæ sint eorum remedia.

8. Qua

8. Qua intentione & libertate interiori tuis negotijs incumbis? quo pacto eadem vnis intentionibus atque actionibus Iesu Christi?

9. Qua ratione versaris cum hominibus, cum quibus tibi negotium est, siue superiores sint, siue æquales, siue inferiores? punctum hoc patet quàm latissimè.

10. Si sint regulæ aut ordinationes officij tui, quomodò eas obseruas? percurre modò obiter, sed ne omitte eas attentiùs legere per hæc Exercitia.

11. Qua es animi moderatione in varietate casuum, euentorumque?

12. Nostíne ex necessitate facere virtutem, lubenter velut à manu Dei acceptando, quidquid velis nolis, tibi sufferendum est?

13. Adhibésne in Casibus prudentiam, vt agnoscas quid in tua situm sit potestate, quid non, vt in eo agas efficaciter, & hoc æquo animo patiaris?

14. An non potiùs naturæ ductum sequaris in agendis rebus, quàm rationem & Dei instinctum?

15. Quando agitur de emolumento tuo, quo modo mentem ab illo abstrahis?

16. Qua parte fragilior es, an à nimio ardore & impetu, an à nimia ignauia?

17. Non occupas te sic Exercitijs à professione tua alienis, vt tuo muneri nequeas commodè satisfacere?

18. Non ambis officium aliquod honoratius, fastidiens tuum? res ista plena periculi est.

19. Sic expende bona malaque, quæ committere in statu tuo potes.

20. Deprecare mala, quæ agnoveris; propone emendationem, & constans exercitium bonorum, quæ tibi facienda esse animaduerteris. Tandem conclude, Deum obtestando vt gratiam tibi largiatur, quâ melius satisfacias diuinis decretis consilijsque, propter quæ te ad hunc statum euocauit.

LECTIONES.

Ex scriptura sacra cap. 1. Ecclesiastæ, & fini cap. 16. in S. Matthæo.

Ex libello Exercitiorum. Annotationes princi pio positæ, deinde Examen particulare, additiones ad finem primæ septimanæ.

Ex Thoma de Kempis cap. 1. & 3. l. 1. d imitatione.

SECVN

SECVNDVS DIES,

De propensionibus naturalibus, vnde promanant imperfectiones, & peccata, quæ à Fine nostro nos abducunt.

QVARTA VERITAS.

Vt à gratia ducimur ad Finem nostrum, sic à naturâ corruptâ inde abducimur. Malum omne à nobis ipsis est; suspectus itaque esse, & caueri debet appetitus noster, qui nos perdet, nisi illum perdamus.

Perditio tua ex te Israel, tantummodò in me auxilium tuum. Oseæ 13.

MEDITATIO
De quarta Veritate.

I. PVNCTVM.

Declaratio eiusdem.

CVm ad hoc Exercitia solùm instituantur, vt perficiamus nos, & perfectio nostra in eo consistat, vt rectà progrediamur assequamurque finem nostrum, per ea media, quæ in nostra conditione nobis prompta ac parata sunt: primum, quod nobis incumbit, postquàm nouimus finem, quem sectari debemus, est, vt agnoscamus, nos eum

non vti par erat consectatos, nos ab eo plurimum aberrasse; & quid tandem illud sit præcipuè, quod in errorem & de via nos induxit, vt remedium adhibeatur. Si enim ad formæ in subiectam materiam, introductionem, necesse sit, illam materiam carere eâ formâ, cùm priuatio ex principijs physicis, vnum sit: etiam necesse erit (vt restituamur in eum statũ, in quo nos esse oporteret) agnoscere, nos in eo non esse, & ad acquirẽdum gradum perfectionis quo caremus, scire, nos illo carere. Atque hæc cognitio principium est gratiæ, & prima ad nos reformandos, atque ad statum meliorem reuocandos, dispositio.

Huc nos ducit quarta Veritas quæ efficit vt 1. generatim agnoscamus, vitij aliquid & mali nobis inesse, quòd à recto itinere deuiauerimus, aberrauerimusque à fine nostro, aut saltem, simus ita comparati, vt possimus aberrare, ac ruere in perniciem, nisi nobis attendamus; omne malum esse à (a) nobis & particulatim eò nos rapi à perpersa cupiditate & propensione naturæ, quæ idcircò suspecta esse debeat; ordiendum esse ab hac sui diffidentia, si quis certò pertingere velit ad finem suum, quandoquidem aliàs sineremus nos abripi ab his naturæ motibus, qui antehac à fine nos auerterunt, & impo-

sterum

(a) *Errani, sicut ouis quæ perijt.* Psal. 118.
Vnusquisque in via sua errauerunt Is. 47.
Omnes nos quasi oues errauimus. Id. 53.

sterum auertent, perdentque nos, nisi priùs illos perdamus.

Attentè igitur & per otium considera, quotquot scelera indies admittimus, quotquot cogitationes, affectus, verba & opera inordinata, quotquot desideria, timores, gaudia, tristitiæ, & aliæ immoderatæ perturbationes fiunt in vita tua, quotquot siniſtræ intentiones, quotquot ambitiones, quotquot desidiæ: totidem esse errores euagationesq; à fine tuo; totidem esse præcipitia, periculaq; te perdendi; vnde verò hæc, nisi à teipso, à natura tua in malum prona quam componere non curas?

Ne accuses hîc creaturas, non dicas, mundi vitio hæc accidere, neque culpam in (a) Dæmonem conijcias, & caue præcipuè ne aduersus diuinam prouidentiam obmurmeres, aut deesse gratiarum auxilia conqueraris; satis illæ affluxerunt, vt etiam in conditione tuâ sanctus euaderes; dimidium earum gratiarum suffeciſſet regnis integris conuertendis; *perditio tua ex te*, mi homo, nihil tibi noceret, ni velles; totus Infernus officere tibi non posset, absque te, & tu solus esse

(a) *Non dixeris, per Deum abest: quæ enim odit, nec feceris. Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui. Adiecit mãdata sua; si volueris mandata servare, conservabunt te. Apposuit tibi aquam & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam* &c. Eccl. 15. *Noli facere mala, & non te apprehendẽt. Discede ab iniquo, & deficient.*

tibi potes & Dæmon & Infernus. Intra nos malum noſtrum eſt ; ſed neque etiam conſiſtit in primis naturæ motibus, qui non ſunt in poteſtate noſtra, ſed in arbitrii noſtri libertate, quæ malo reſiſtere poteſt aut conſentire. Malum vnicum, quod à fine noſtro nos avertit, eſt peccatum, at nullum vnquam peccatum eſt, niſi ſit voluntarium procedatque à noſtra libertate ; à nobis igitur malum eſt, cui idcircò attendendum, & peculiariter illi affectui, qui maximè naturam noſtram infeſtat.

Eſt hoc alterum membrum propoſitæ veritatis, quod expendere etiam oportet. Tam infirmi & fragiles ſumus, (a) vt non facilius frangi vitrum, nec ad ignem cera liquari poſſit, quàm nos ſimus in malum proclives, quavis oblata occaſione, niſi ſollicitè nobis attendamus, propone tibi ægrum aliquem, vix, & non niſi ægrè pedibus conſiſtentem, in lubrico progredientem tabulato, qui antrorſum trahatur, retrò protrudatur in caſum ; quid hic agat, niſi quis illi manum præſtet, niſi & ipſe ſuam porrigat vt occurrat labendi periculo ? (b) Hoc ipſo ritu plerumque nos incedimus : Tabulatum lubricum mundus eſt, obiecta nos trahunt in lapſum, eò natura propendet, impellit Dæmon.

(a) *Senſus & cogitatio cordis hominis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua.* Gen. 8.

(b) *Ier.* 23 *& Pſal.* 34.

Dæmon, sine Gratia sumus ipsa debilitate & infirmitate debiliores, infirmioresque: at Gratia nihil præstat sine nobis; an non igitur par est nos diffidere nobis ipsis, continuaque sollicitudine aduigilare propensioni nostræ, quæ singulis momentis minatur ruinam, nisi illam compescamus, compescendo autem feliciter perditur?

Præclarè pauculis verbis Sapiens, quales simus, ostendit: (a) *septem* inquit, *nequitiæ sunt in corde hominis*, qualiscumque sit; & tam verum est id ad nos quoque pertinere, quàm est exploratum, nullum esse peccatum, in quod quis cadat, in quod alter non laberetur, si vacuus foret desertusque à Gratia. Hæ igitur septem nequitiæ sunt septem peccati scaturigines, & veluti septem Hydræ capita, cor nostrum, vbi peccata omnia formantur, exprimentia. Prima est, proclivitas illa naturæ in malum, quæ omnibus hominibus communis est. Secunda est, propensio peculiaris vniuscuiusque, quâ violentiùs rapitur in aliquod mali genus. Tertia, habitus à malis actibus contracti, confirmatique. Quarta, moralis necessitas versandi cum creaturis, & arcta necessitudo, quæ nos objectis ad malum allicientibus immittit. Quinta, aversio naturæ, vt resistamus nostris cupiditatibus, vnde fit, vt ijs imprudentes & sine scrupulo obsequamur. Sexta, derelictio Dei certa quædam gratiarum dona subtrahen-

(a) *Prouerb.* 26.

tis,quæ contuliſſet , niſi repulſam meruiſſ
mus. Septima,quædam cæcitas & obdurati
(a) animi conſequens , quæ paulatim ine
ſtatu nos collocat,vt malorum noſtrorũ no
ampliùs nullus tangat ſenſus ;ſic aſſueuimu
vt ſe iam accommodauerit Conſcientia , ne
que aliàs aduertimus , niſi cum vacamus Ex
ercitiis,de generali Confeſſione ſolliciti;tun
enim verò ſtupemus nos ipſos , miramurqu
ſic viuere nos potuiſſe , attamen viuere potu
mus,nec tamen aduertimus : Itaque vide
vtrum perſona , quæ non omnino ſit excor
ſed cor habeat ſeptem hiſce nequitiis inſe
ſum, non habeat quoque iuſtiſſimam de
diffidendi cauſam , magnamque adhiben
cautionem.

Verùm,nihil æquè nos confirmat in huiu
Veritatis aſſenſu , quàm principis Angeli
primique hominis exemplum , erant ill
Creaturæ tam nobiles , tantis præditi doni
gratiarum , & ab illis ipſis ſeptem nequitiis
quibus more noſtro ruerent in malum , im-
munes; & tamen animadvertis , eos ipſo pri-
mo creationis die miſerrimè collapſos (b) &
nos

(a) *Tenebris obſcuratum habentes intellectum,alienati à vita Dei per ignorantiam,quæ eſt in illis , propter cæcitatem cordis ipſorum.* (b) *Ecce qui ſerviunt ei , non ſunt ſtabiles , & in Angelis ſuis reperit prauitatem: quantò magis hi, qui habitant domos luteas qui terrenum habent fundamentum conſumentur velut à tinea!* Iob 4.

nos qui mera sumus infirmitas & malitia, non formidabimus ? permisit hunc casum Deus, vt nobis foret exemplo,& hac veritate nunc considerata primam salutis lectionem suggereret : atque ob hanc causam exemplum istud in libello Exercitiorum meditãdum proponitur, cui nihil video addi posse, nisi vt considerando lapsu harum duarum Creaturarum,tandem concludas, te præ illis longè magis esse lapsui obnoxium , adeoque debere te , tibi-ipsi diffidere , & potissimùm attendere illi affectui , qui tibi peculiaris est, quique te præcipuè in lapsum impellit.

Quomodo,inquit vatũ aliquis , cecidisti de (a)cælo,Lucifer? & te,ô Adam,quid tam miserè præcipitauit?& ô Anima mea , quæ tua infirmitas,quod tuum vitium , vnde omnes isti lapsus & scelera?Fac ô Deus meus, vt illa sic agnoscam defleamque , vt lacrymæ meæ, & præterita eluant , & futura benè disponant.

(a) *Is.* 14.

II. PVNCTVM.

Aduersio in vitam anteactam , & statum præsentem.

PRo præteritis elicies hosce tres affectus.

Primò,humiliter profitere ignorantiam huius veritatis,& tui-ipsius , in qua hucusque vixisti , non cognoscendo , vti oportuisset

tuisser,(a)periculum naturæ corruptę,& præ
sertim huius praui tui affectus,nónne verum
est, quod illum non habueris, vti debebas,
suspectum? & quia tibi incumbendum era
huic cognitioni comparandæ, agnosces ne
gligentiam tuam, eiusque veniam à Deo po
stulabis.

2. Serio pudore erubesce tantum numerum
vitiorum & scelerũ, (b) quæ ex hac seu igno
rantia seu negligentia profluxere; istas arro
gantias,istas in hominum conuictu licentias
istas sciendi curiositates, istam cupiditatem
honorum,munerum,excellentiæ, & alia eius
modi,quæ tantorum scelerum fontes extite
runt. O anima mea, si habuisses perfectam
tui notitiam, longè fuisses à prosecutio
ne huius mundi, qui tibi perniciem attuli
fugissesque potiùs,quàm ambiuisses eas occa
siones quæ tibi fuerunt in laqueum & in scan
dalum.

3. Ingenuè agnosce,malum omne & perdi
tionem tuam esse ex teipso, & illam præci
puè ab inordinato tui amore prouenire; ab
hoc amore te ad sectandas voluptates,hono
res,& commoditates impelli;te, præ cæteris
vitioso esse naturæ habitu, qui te abripi
quem

(a) *Comederunt alieni robur eius, & ipse nesciui*
Os. 7. (b) *Via impiorum tenebrosa, nesciun*
vbi corruunt. Prov. 4. *Quasi bos ductus ad vi*
ctimam &c. & velut si auis festinet ad laqueum,&
nescit, quod de periculo animæ illius agitur. Ib. c.

quemque tu excusas, quasi alius non tu, malum perpetraret. O quàm inepta illa conscientia, quæ in eo se excusat, vnde grauiùs accusatur! Quo pacto veniam promerebitur, quam non efflagitat? quomodo efflagitabit, si se venditet ex eo innocentem, quo ipsa redditur nocentior? Iudica ipse, & damna hanc ream (a) ne à Iudice suo, qui se excusantes accusat & excusat accusantes, aliquando damnetur.

(a) *Quod si nosmetipsos diiudicaremus, non vtique iudicaremur.* 1. Cor. 11.

III. PVNCTVM.

Propositum in futurum.

TRia in futurũ decernẽda sunt proposita.

1. Nunquam conjiciendi culpam in alium, (a) quàm seipsum, nec vnquam capiendi excusationem sui, à vitioso naturæ impetu: nam etsi absque culpa tua talem naturam sortitus sis, (b) probrum tamen est, & culparum omnium causa, illam non frænare.

2. Aduigilandi isti naturæ, vt illam cognoscas, cohibeas, oppugnes, regas; & cogas ad obsequendum tam fideliter rationi & Gratiæ, quàm miserè illis aliquando rebellauit, quamque tu illi obsecutus es.

Denique, quantascumque de familiari ac domes-

(a) *Iniquitatem meam annuntiabo, & cogitabo pro peccato meo.* Ps. 37. (b) *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Gen. 4.

domestico hoc hoste Victorias reportaueris, (a) nunquam illi fidendum est: Leo est, qui dormit; ignis est suppositus doloso cineri; proditor est, qui vultu amicitiam mentitur; aut fugiendæ sunt occasiones & species mali, aut non adeundæ, nisi ex necessitate mera, & ex Dei voluntate & imperio; aut vigilandum est, orandum & timendum; nam vt bene Cyprianus, (b) *Vtilius est, infirmum se homo cognoscat, vt fortis existat, quàm vt fortis videri velit, & infirmus emergat.* præsumptio est nimiùm sibi fidere, & Gratia ad hoc nobis concessa est, vt hanc præsumptionem opprimamus, aut si præsumptio esse pergit, opprimit illa gratiam omnem in nobis, proculque submouet.

Magno igitur animo hæc concipe & statue proposita, sed qualiacumque statueris, ijs ipse diffide; nam maximè magnanimi, non semper constantissimi sunt, nisi ijdem semper humiles sint, & in propositis suis & suiipsius notitia, timidi: Non ad fouendam ignauiam, quando ad effectus ipsos veniendũ est, sed ad arrogantiam, (c) ad procacitatem, ad intemperantiam morum moderandam, quâ illi rapiuntur, qui se non noscunt, qui sibi non diffidunt, quique propensioni suæ, tanquam hosti, & velut in discrimine positi non attendũt.

COM-

(a) *Beatus homo, qui semper est pauidus.* Prou. 28.
(b) *Cypr. de singul. Cleric.*
(c) *Sapiens timet & declinat: stultus transilit, & confidit.* Prou. 14.

COMPENDIVM MEDITATIONIS in quartam veritatem.

I. PVNCTVM.

Declaratio eiusdem.

COnsiderato tuo Fine, agnosce te ab illo deflexisse, atque eodem esse reuertendum. Satis erat tibi Gratiæ & mediorũ, vt ad finem tuum pertingeres, si tam Gratiæ instinctibus quàm naturæ fuisses obsecutus : sed quia tuas potiùs naturæ propensiones, quàm cæli inspirationes audisti, perijsti. Quidquid bonorum omisisti per negligentiam, quidquid malorum effrenatâ tuâ licentiâ commisisti, an non sunt totidem iacturę totidem abscessus, euagationes & errores à fine tuo? proh! quales iacturæ, quales errores! & vnde hæ miseriæ, nisi à propensionibus tuis naturalibus, & à tuis affectibus depraua-tis, quæ in immoderatam & effrenam illam viuendi licentiam te abripuerunt, & quarum tu raptum secutus es? *Perditio tua ex te,* illius causam aliunde ne quæras, quibuscumque hostibus foris obsidearis, capitalissimus, & periculosissimus est indoles tua & tuus affectus, qui à naturæ corruptione deprauatus, deinde tuas omnes deprauat actiones.

Non

Non nosti te, nisi hanc quoque veritatem agnoveris, quam vt penitùs animo imprimas, tibi lapsum Luciferi, primique hominis propone, erant illi nobilissimi, atque omnibus donis naturæ instructissimi, tamen quia ductum naturæ potiùs, quàm gratiæ secuti sunt, perière; & tu qui mera es imbecillitas, miseria & corruptio, fides naturæ tuæ genio? Prorsus ne fide, perditum te it, nisi illum perdis, aut cedat ille rationi & gratiæ, necesse est, aut tu iure tuo, quod ad cælum habes.

II. PVNCTVM.

Adversio ad præterita & præsentia.

COllige animum & te ipsum percontare, num satis studueris, tantumque notitiæ tui sis assecutus, vt scias te tibi esse inimicum? quid? negas; pudeat ergo te tuę tum ignorantiæ, tum negligentiæ, attentâ præsertim multitudine & gravitate criminum, quæ defectu huius cognitionis tui commisisti; ne prætexas excusationem à tuis occupationibus, à tua fragilitate, nec ab alia quacumque re, sic enim pessumdares omnia. Accusa te potiùs, quòd hucusque nimiùm te excusaueris ab impetu naturæ tuæ, qui, tantum abest, vt serviat excusationi, vt te etiam coram Deo accuset; in promptu enim est Ratio & Gratia, quibus illum compescas; & indignitas

nimis

nimis noxia est, quàm vt excusationem veniamque mereatur, quod patiaris Rationem & Gratiam ab illo naturæ tuæ impetu violari.

III. PVNCTVM.

Propositum in futurum.

HÆc igitur tibi decreta stabilienda sunt. 1. Vt nulli, quàm tibi ipsi, quàm adgenito naturæ habitui, qualiscumque ille sit, tuas culpas adscribas, nam etsi tua culpa non sit, illum esse vitiosum, & in malum proclivem; tua tamen culpa est, impedire cùm possis, pati vt in malum ruat.

2. Vt attendas illi habitui, eumque cogas deinceps tam subesse rationi, quàm ratio illi hactenus fuit subiecta, & 3. denique vt nunquam illi fidas, quantumuis subiectus esse videatur, non enim contineri potest, nisi vi, & quamprimùm remittis, illique fidis, erumpit, & dominatur: adeò vt Sanctorum maximi, & in hac pugna fortissimi censeantur illi, qui in hac sui diffidentia constantes sunt: contra verò dissolutis sint maximè moribus, qui ex arrogantia & libertate minimum sibi diffidunt, ô Deus meus, quantò conducibilius est, agnoscere se debilem, vt fortis evadat, quàm reputare se fortem & validum, vt fiat debilis & ruat!

QVIN-

QVINTA VERITAS.

Pernicioſiores eſſe, quàm exiſtimemus, propenſiones noſtras naturales, cùm ne illas æſtimemus, ipſæ impediant; & cùm ad plura patranda ſcelera nos impulerint, tum demum efficiunt, vt exiſtimemus, minùs nos eſſe peccatores.

Et dixiſti: abſque peccato, & innocens ego ſum, & propterea auertatur furor tuus à me. Ecce ego iudicio contendam tecum, eò quòd dixeris non peccaui. Ier. 2.

MEDITATIO

De quinta Veritate.

I. PVNCTVM.

Veritatis declaratio.

EXaggeranda nobis mala noſtra non ſunt (a) ſed neque diſſimulanda: ſi in noſtris affectibus, & propenſionibus naturæ ſola eſſet procliuitas in malum, malum non foret admo-

(a) *Ego ipſe mente ſeruio legi Dei, carne autem legi peccati. Nihil ergo nunc damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto Ieſu, qui non ſecundùm carnem ambulant.* Rom. 7. & 8.

admodùm graue, abesset enim peccatum; at cùm propensiones nostræ non sistant in primis istis motibus, qui sæpe non sunt in nostra potestate, sed progrediantur ad secundos, id est, ad actus & effecta, quæ nostri sunt iuris, fit, vt quando inhæremus cogitationibus, quando affectibus amoris, desiderij & alijs commoti, ijsdem auscultamus, quando loquimur & agimus ex harum inclinationum consensu, easdem fieri vitiosas, (a) non nudè, quatenus inclinationes sunt naturales, sed quatenus abeunt in actus voluntarios, qui sunt inordinati, adeoque peccata. Atque istud est, quod plerumque nobis vsu venit, (b) & cui tamen minimùm mentem aduertimus; quando meminimus peccatorum nostrorũ, non attendimus ad originem, vnde emanant, vnde fit vt ea non emendemus: & vt subinde oculos conijciamus in hanc originem seu inclinationem nostram, non tamen illam pessimis suis effectis inde pullulantibus stipatam intuemur, sed quasi quendam naturæ habitum, quem eradicare nostrarum non sit virium; atque ita non apprehendimus mala, damnaque inde prouenientia.

Hanc ob rem quartæ veritati opportunissimè succedit hæc quinta; *plus mali inesse nostris propensionibus, & grauiores non esse peccatores, quàm*

(a) *Concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum.* Iac. 1. (b) *Ad nihilum redactus sum, & nesciui.* Ps. 72.

quam existimemus ; nam ob neglectam mali istius apprehensionem , reddimur incurij, ideoque vt ad vigilandum , attendendumque potenter excitemur, mali ac periculi cognitio præcedat, necesse est. Quò etiam nos libellus exercitiorum inuitat , quando post meditationem præcedentem, inducit nos in examen & considerationem multitudinis & grauitatis nostrorum peccatorum, quod exequi vtilius non possumus quàm assentiendo quintæ huic veritati, cuius triplex est sensus.

Primus , propensiones nostras sæpiùs causam esse peccati , quam putemus , quoties enim liberè illis obsequimur , & ab illa commotione sive in cogitatis, sive dictis , factisve producitur aliquid inordinatum, iam id peccatum est. & sæpe , nobis non aduertentibus id accidit. Cùm enim propensio illa naturæ nostræ congenita sit, blandissimè in actiones se insinuat ; facillimè sopit rationem , ne cognoscat scelus admitti ; occultissimè (a) conscientiam suffocat , ne nullo sceleris sensu tangatur; atque ita fit , vt plurima in cogitationibus, in verbis, in operibus perpetrata sint scelera, cùm ne vnius quidem nos reos arbitremur. Est ea fascinatio , cuius meminit Sapiens, (b) quæ sic aciem mentis obscurat , vt mores ipsi uostros non perspiciamus. *Delicta*, eorumque numerum *quis intelligit*? aiebat (c) Davi

(a) *Tergens os suum dicit : non sum operata malum.* Prov. 30 (b) Sap. 4. (c) Ps. 18.

David. At nihil intelligentiam illam prohibet, nisi illud ipsum, quod ad patranda peccata nos impellit; eadem enim propensio, quò plurium scelerum est Auctor, eò etiam reddit nos scelerum nostrorum ignorantiores. *Ab* his *occultis* meis sceleribus *libera me Domine.*

Alter præpositæ veritatis sensus est, malum peccati ab inclinatione illa provenientis, gravius esse quàm putetur. Generatim de quovis peccato asseuerari hoc potest esse, quàm putemus, gravius: Cum enim Dei sit offensio, ruina divinarum gratiarum, & bonorum spiritualium eversio; sicut ignoramus excellentiam & Majestatem Dei offensi, (a) valorem gratiarum, & spiritualium bonorum pretium, ita etiam grauitatem peccati hisce bonis infinitis & ignotis oppositi, non capimus. O peccatum, vtinam perspecta foret malitia tua! At istud adhuc verius affirmabitur de peccato, quod ab inclinatione ortum habet, grauius semper est, quàm existimemus, atque eadem ratio, quæ efficit, vt sæpe non agnoscamus inesse peccatum, etiam facit vt si agnoscimus, cæteris tamen lenius existimemus, etsi revera grauius sit. In hunc errorem nos abducit amor nostri, vbi enim maior propensio est, ibi plus amoris est & illecebrarum, maior ad consentiendum promptitudo,

(a) *Stultus populus meus me non cognovit: Filij insipientes sunt & vecordes; sapientes sunt vt faciant mala, bene autem facere nescierunt*, Ier. 4.

ptitudo, & per consequens animadversio ad malitiam explorandam minor : & tamen hæc malitia gravior est, magis enim cor Deo suffuratur, mentem ita distrahit & occupat, vt ea potiùs cogitentur, fiantque, ad quæ affectus noster nos rapit, quàm quæ Deum, eius obsequium, & obligationem nostram spectant. Vbi cordis affectio est, ibi tota voluntas reperietur, vbi verò plus voluntatis est in ordine ad vitium aliquod, istud vitium gravius peccatum est, cùm peccatum non aliunde quàm à voluntate confiat. Et frustra dices te animũ eò non advertere, nam advertere oportet; & istud in hoc malo pessimum est, quòd rationem quodammodo inebriet, præpediatque ne omnes mali affectiones expendat; & verò quiuis (a) alius peccati gravitatem clariùs agnoscet; quàm is, qui peccatum admittit: sicut autem ab eo affectu discedere non lubet, ita neque placet attentiùs considerare, num in eo peccatum sit, num gravet: vrgeretur enim nimiùm animus, vt illo se affectu expediret; aut ne scrupulus obrepat, & contra conscientiæ dictamen agatur, adeoque vt peccetur liberiùs, negligitur hæc necessaria animi adversio. Itaque exaggeratio mali est, nolle cognoscere malum suum, ne si cognoscas, deserere cogaris. Vnde certa consecutione fit, tum nos minimum peccata nostra

(a) *Non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius.* Ioan. 3.

nostra sentire, cùm maximè peccamus, affectus enim qui in peccatum nos præcipitat, idem nobis adimit illius sensum, quandoquidem si vero peccatorum sensu tangeremur, non sineremus nos eo per affectum impelli.

Nihilò plus excusabis, si dicas te non amare peccatum, optareque vt nihil subsit mali in eo, quod amas, aut facis: nam sufficit rem amare quæ peccati est causa, & quamuis res de se mala non foret, vt sunt homines, aurum, honor, studium, aut aliud aliquid, cui afficeris, si tamen propensio est immoderata, vitium existit & peccatum, quod in causa quidem graue non videtur, at paulatim accrescit, & in effectis euadit pernicioſum. Quod obiectum amore dignius, quàm persona Christi Seruatoris? isto tamen amore illam prosequebantur Apostoli, quo IESVS amari nolebat, potuisset enim illos ab aduentu receptioneque sancti Spiritus impedire. In modo igitur amandi potiùs vitium est, quàm in obiecto, cùm obiectum amari possit, si sine vitio, sine immoderatione ametur: (a) at vbi propensio naturalis, non moderata, eò fertur, ipsa propensio vitium fit, & grande malum.

Pro sensu tertio, huius mali grauitas, ex damnis, quibus præ cæteris peccatis nos involuit,

(a) v. 1. Timoth. 8. Ioan. 6.

voluit, æstimanda est. Etsi enim nullum non perniciosissimum sit, reditur tamen ad cor culpa agnoscitur, subjicitur Confessioni, cor rigitur, & eius venia obtinetur. At his peccati affectûs, nimiæque adhæsionis, (a) nisi matur prospicitur, tam pertinaciter obfirmatur ani mus, vt inde se vix vnquam expediat: nam nec cognoscuntur, nec lubet cognoscere; in iis pa pamus nos, nos excusamus, malo fucũ indui mus, nõ integrè confitemur, sine serio dolore cùm absit emẽdationis propositũ; & quâ igi tur ratione remitterur? Quãdo liceret sese e mendare, nõ lubet, & cùm olim lubebit, nõ li cebit sanè. Gratia enim subtrahetur, qui vulgaris horum sceleratorum pœna est, gratiarum priuatione castigentur, sine qui bus in maiora prolabuntur, æternumqu pereunt. Hæc sunt peccata veniæ experti peccata in Spiritum Sanctum adversanti luminibus & in spirationibus divinis. Ho peccatum est, in quo, iuxta minas Evangeli quis morietur; sunt peccata, teste S. Paulo (b quæ nullâ hostiâ aut sacrificio queunt expi ri, hæc sunt, quæ secundùm D. Ioannem, (

an

(a) *Nunquid qui cadit, non resurget? & qui auers est, non reverte ur. Quare ergo aversus est. popul iste auersione contentiosa? apprehenderunt mendi cium, & noluerunt reverti.* Ier. 8.

Et cor suum posuerunt vt adamantem, & fact est indignatio magna à Domino. Zach. 7.

(a) *Heb.* 10. (b) *Ioan.* 5.

animas ducunt ad mortem, pro quibus frustra oratur; denique ex quibus nihil, nisi certa derelictio, & ruina irreparabilis queat exspectari.

Quid ais? tantúmne propensionibus tuis credebas inesse mali? nam vt aliquando peccata non sint, plerumque tamen eodem cadunt, & quamuis non sint semper mortifera, sæpius tamen quàm credas, euadunt talia; & quisquis se tam propè peccato mortifero admouet, vt veniale non vereatur, breuî ruet in mortale, adeoque etsi tibi noxæ leuiores viderentur, si tamen sunt ab appetitu, & propensione naturæ, quamprimùm euadent mortales: non sistet illic affectus, semper incrementa capiet, prodet te, Deusque id in pœnam infidelitatis & negligentiæ tuæ permittet: si enim audieris vnquam commemorari periculum labendi è peccatis venialibus in mortifera, atque vix aliquem solere inde emergere, (a) sermo fuit de ijs venialibus, quæ potissimùm ab affectibus & propensionibus naturæ nimijs prodeunt, ac fouentur. Tuopte iudicio hanc veritatem æstima, & vide, an non passiones tuæ passim cœperint à noxis leuioribus, quæ ad grauiores deinde aditum & licentiam tibi patefecerunt? & an non crescens Passio efficiat, vt tandem grauiora scelera non magis animum, quàm leuia percellant? Ah quot interim abusus, quot vitia, quot pec-

(a) v. S. Thom. 1.2.q.88.a.3.

cata,quæ non noueras,admissa sunt!O quanta Dei patientia, quanta bonitas, tamdiu sustinuisse nos,nos,inquam, post tantam peccatorum multitudinem, qui de Angelo & homine ob vnicum scelus pœnas sumpsit tam horrendas?

II. PVNCTVM.

Aduersio in vitam anteactam, & statum præsentem.

ADuersio ad res præteritas complecti debet tres actus Pœnitentiæ, quibus fortassis hactenus nunquam, quòd te nõ eo modo agnoueris,quo nũc edoctus es, satisfeciste.

Contritio non fuit,nisi imperfecta,non tantùm defectu motiui amoris, sed etiam quòd non perspexeris peccati tui grauitatem, cùm non dederis operam vt illud perspiceres, illudque in sua origine,hoc est,tua propensione & affectu, scrutareris, & quod non habueris serium illam extirpandi desiderium, nunquid ita est? Vísne igitur mori in peccato tuo? nunquam illud ignosci tibi cupis? & quo pacto ignoscetur, cuius te non pœnitet, de quo non contereris? Ecquando tandem conteréris? ah Deus meus nimiùm distuli, & pace tua, hinc contritionem ipsam ordiri cupio, quòd tantoperè distulerim.

Confessioni hæc deesse potuerunt,quòd o-

biter

biter quædam peccata percurrerit, in quibus fuisset diutiùs inhærendum, tum ad clariorem sui notitiam, tum ad vehementiorem pudorem excitandum, tum ad suggerendam confessario materiam & libertatem instruendi nos documentis & ijs commonitionibus, quas promerebamur: sed natura deprauata quæ vbique se insinuat, tantùm studuit euadere, neque verecundiam sufferre potuit manifestando se, eaque dicendo, quæ pro maiori securitate dici debuisse nunc videmus, quæque in hora mortis nollemus præterire: at interim persuasimus nobis ipsis, ea non esse necessaria, non esse peccatum grauius, nos plenum ijs consensum non adhibuisse. O quales confessiones? Itáne negotium salutis nostræ & perfectionis tractauimus? Itáne ludibrio habuimus animam nostram, Sacramenta, gratias Diuinas?

Qualem deinde satisfactionem peregimus? quam adhibuimus operam, vt magis attenderemus peccatis confessione expiatis? nam ea conditione, illorum venia nobis indulta est, vt diligentiùs ea caueamus, & interim post tot meas confessiones tam facilè meis affectibus sum obsecutus, ac si nulla eos cohibendi tenerer obligatione. O Deus, delicta iuuentutis meæ & ignorantias ne memineris, etsi voluntariæ illæ sint, & sceleratæ, nunc tamen eas agnosco, & cum tua gratia reparare desidero.

III. PVNCTVM.

Propositum in futurum.

TRia proposita, quæ hîc concipies, erunt Primò, vt te humilies, teque in sancto aliquo metu, (a) & cordis compũctione contineas, ratione cognitionis, quam de hac veritate consecutus es: quod tibi non hodie solùm, aut per exercitiorum tempus faciendum est, sed per omnem vitam, cum ea semper constet veritas, semper futurum sit verum, te maiorem, quàm reris, esse peccatorem, adeóque demissiori atque timidiori animo esse oportere.

2. Si nòn instituis Confessionem omnino generalem, fac tamen illam solito ampliorem, nec tam attende ad numerum peccatorum, quàm ad nonnulla, quæ sunt periculosiora, magis inueterata, magis tibi propria, quæque indicant habitum, & naturæ propensionem, cui coërcendæ debitam operam non nauasti.

3. Securis ad radicem ponenda est, serioque animi decreto statuendum, eam partem munire, qua te sentis debiliorem, te ibi oppugnare & vincere, vbi potissimùm impeteris: & re

in

(a) *Humilia valdè spiritum tuum, quoniam vindicta carnis impy, ignis & vermis.* Eccles. 7.

in ijs validissimè cohibere, in quibus natura liberior proteruiorque videtur. Præuide occasiones, tempora, loca, personas & alia adiuncta, vt tantò faciliùs prouideas. tandem adijce hanc precatiunculam: O Deus meus, quàm doleo, me viram hucusque tam malè traduxisse; at gratiæ tibi sint infinitæ, quòd eandem in hanc vsque horam produxeris, quâ cognoscō mihi meliùs viuendum esse, & verò per gratiam tuam præstare ex animo cupio. Amen.

COMPENDIVM MEDITATIONIS de quinta veritate.

I. PVNCTVM.

Declaratio eiusdem.

SI nullum aliud malum inesset propensionibus nostris, nisi quod sint naturales, posset leue malum videri; at cùm ad peccatum, quemadmodum vidimus, nos impellant, in eo sanè sunt perquàm periculosæ, & periculum tantò grauius est, quantò semper grauius est malum istud, quod nobis inferunt, quàm putemus, imò vel maximè, quòd impediant etiam, ne animum aduertamus ad malum, ne illud agnoscamus, & aliquo eius sensu percellamur

Hæc veritas triplicirer intelligenda est,

1. Quando à naturæ motibus ducimur ad agendum, sæpiùs subest peccatum, quàm existimemus, assuetudo enim, & mentis attentionem, & scrupulum, reprehensionemque conscientiæ tollit omninò; quòd eam depravet natura persuadeatque, mala illam intentione non ferri, fieri dumtaxat ioci & licitæ oblectationis gratiâ: sed Deus interim peccari advertit.

2. Peccatum, etiam opinione nostra grauius est, cùm eadem ratio, quæ peccatum aggravat, doceat quoque nos excusare illud aut diminuere. Ab affectu coram Deo peccatum exaggeratur, quia plus in eo voluntatis est, maior ad creaturam adhæsio, & plenior aversio à Creatore: at idem quoque affectus in æstimatione minuit peccatum, quia præpedit, ne omnia illius adiuncta dinoscantur, & quia vitioso naturæ iudicio numquam videtur turpe aut prauum, quod diligitur.

3. Denique plus mali inest illi peccato, quàm putetur; difficiliùs enim ex eo, quàm ex alijs emergit animus, qui sic, ob affectus violentiam, immersus est, vt in dies emendatio protrahatur, & hanc procrastinationem sequitur obstinatio, tantaque cordis contumacia, vt etiam tum, cùm luberet, expedire se non possit, iustâ Dei vindictâ, quòd tum non libuerit cùm fieri potuisset. Nónne igitur verum est, plus inesse mali, quàm cogitemus? Animis quàm verum est? nam etiam tum, cùm cogi-

cogitamus, non deprehendimus malum omne, quod in hisce affectibus minium naturalibus existit.

II. PVNCTVM.

Adversio ad præterita præsentiaque.

HÆc adversio tres partes pœnitentiæ spectare debet, quæ, sine dubio, tam perfectè non peraguntur ab ijs, qui naturæ impetu ad peccatum deducuntur, quàm ab alijs, qui sola fragilitate, aut imprudentia, aut negligentia. Nam, qualis esse potest contritio, quæ Confessio, & satisfactio de eo scelere, quod deserere non velis? fatêre verum, quando confessus es hæc affectionis peccata, vt sunt, quæ vanitatem, quæ libidinem, quæ luxum, quæ creaturarum amorem contingunt, serióne statuebas eodem non reuerti? voluisses fortasse amplius non peccare, at deserere peccandi obiectum & occasiones, id sanè est, quod noluisti, cùm idem tamdiu tenueris peccandi institutum; attamen id, ad veram contritionem confessionemque velle oportebat. Vnde meritò timere potes, ne tantum dederis verba in hoc Sacramento, & cor abfuerit quod hærebat suis affectibus implicatum. Ah quale sui colligendi, providendique argumentum!

III. PVNCTVM.

Propositum in futurum.

PRimum illud sit, vt tantò credas scelerationem, quantò minùs te peccatorem hactenus existimasti.

Alterum, vt recolas tuas confessiones, non tam animo easdem de integro reiterando quàm accusandi te de ijs, quæ maiorem tibi confusionem creare queunt, tum, quia periculum est, ne id omninò non, aut tantùm obiter feceris, tum quòd iste sit modus optimus præterita expiandi, & futuris prouidendi.

Siquidem, quod ad tertium propositum attinet, cùm seria confessio eò tendat, vt animum innoues, vt in veterem peccandi licentiam non relabaris, necesse est, vt teipsum adoriaris, vim tibi inferas, te oppugnes, & vincas: Hac de futuris pœnitendi ratione optimè præterita expiabis: & vnicum solatium, quod nobis restat in actæ vitæ detestatione est, quòd viuere meliùs possimus, nam nisi viuimus in eo meliùs viuendi desiderio satiùs profectò foret, confestim emori.

SEXTA VERITAS.

Nos, quòd summi peccatores non simus, non ideò non esse in statu pessimo, periculosissimoque; quandoquidem in Dei seruitio tepidum esse, maius sit malum, quàm esse frigidum.

Vtinam frigidus esses, aut calidus, sed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo. Apoc. 3.

MEDITATIO.

de sexta veritate.

I. PVNCTVM.

Declaratio dictæ veritatis.

HAbe præ oculis scopum peculiarem hodiernarum meditationum qui est, vt explorata habeas damna, ex naturæ tuæ motibus, nisi compescantur, prouenientia, & quomodo illi à fine te tuo deflectant. Iam nunc vidisti, quàm te præcipitent in malum, & malum istud grauius esse ac periculosius, quàm existimetur, cùm ob multitudinem, tum ob atrocitatem scelerum, inde velut è fonte manãtium, quæ vel ignoramus, vel par-

tim dissimulamus, eò quòd vbi naturæ im
petus est & affectio, ibi ignorantia & cæcita
non desit. Quod modò per sextam hanc ve
ritatem tibi proponitur, aptissimum est a
priores stabiliendas, & ad inculcandum ani
mo horrorem eius periculi, quod in peccati
tuis est, & in peruersis illis naturæ motibus
velut eorum causa, vt prætexere nihil omni
no possis ignorantiæ tuæ aut cæcitati, (a)
tam manifestum, in quo versaris periculum
non animaduertas. Nam quidquid duabu
postremis veritatibus poteras obiecisse, e
noxas illas, si quas admittis, esse defunctorias
ijs sua adesse remedia siue in confessionibus
siue in alijs medijs, ad eas reparandas, oppo
tunis; denique dices, te, re bene perpensa
è pessimis non esse, procul esse vt velis
admittere quidquam graue & animo mali
gno; at quod negligentias, & fragilita
tes attinet, tam sanctum neminem repe
riri, qui his vacuus sit, tibi tuas imper
fectiones esse, alijs suas, fidendum Di
uinæ bonitati, cui perspecta est nostra
infirmitas, & commiserationem mouet.

Talia sunt naturæ adhuc obluctantis ar
gumenta, quæ persuadere nobis nititur, vt
in possessione suarum inclinationum &
commodorum relinquatur. Nam reuerà,
nisi id occultè nobis persuasum foret, nos è
pessimis

(a) *Scito, & vide, quia malum & amarum est, te re
liquisse Dominum Deum tuum.* Ier. 2.

pessimis nullos esse, neque in ista viuendi ratione tantis obnoxios periculis, quanta denuntiantur, maiori studio curaque nostræ salutis negotio prospiceremus. At en tibi respondetur terribilibus illis verbis, quæ sextam veritatem constituunt: Noxas tuas non esse noxas defunctorias, aut meræ fragilitatis, vt tibi quidē videtur, sed assuetudine confirmatas, (a) sed malitiæ plenas, & quamuis malitia non videatur tam atrox & periculosa, quàm aliorum quorundam, & peccata tua, si cum grauioribus componantur, sint leuia, nihilominùs ab illis in te cōstitui quendā habitum mentis & conscientiæ, qui tepor & languor animi nuncupatur, longè sanè periculosior, quàm sit status sceleratiorum, qui tam frigidi quidem sunt in Diuino seruitio, vt eidem, quàm tu, minùs vacent, minori tamen pereundi periculo exponuntur, quàm tu, nisi attendis.

Cogita igitur modò, quid sit, esse tepidum in seruitio diuino: quid tibi videtur? quam censes aquam esse tepidam? illam nimirum, quæ nec frigida est, nec calida; ad eum modum, tepidus ille in salutis suæ negotio dicitur, qui nec bonus est, nec malus; qui tā bonus non est, vt sit in eo statu, (b) quem & propria conditio,

(a) *Veruntamen scito iniquitatem tuam, quia in Dominum Deum tuum prævaricata es.* Ier. 3.

(b) *Debis fusè Cassian. l. 10. Mon Instit. de spir. Acediæ. & coll. 4. cap. 19.*

& gratiæ diuinitus conceſſæ requirunt;neq
tamen etiam improbus eſt, vt omnem co
ſcientiæ ſenſum amiſerit, velitque animu
adjicere ad ea crimina & flagitia, quæ ab ali
perpetrantur. (a) Ille eſt,qui iuramentis, q
furtis,qui impudentibus mendacijs abſtine
qui nollet quemquam occidere, aut gra
damno violare, qui ebrietatis, libidiniſq
crimina abominatur. (b) Perſona eſt, c
nihil momus obijciat,quæ ſacro Miſſæ quo
tidie intereſt, & ſæpe Domini menſ
accumbit; quæ(ſi placet) Ordinis Eccleſi
ſtici, aut etiam Religioſi; quæ meditan
habet uſum, & nonnunquam ſe abdit i
ſpirituales octo dierum exercitatione
Sed de cætero, perſona eſt, quæ abunda
ſuis motibus & affectibus naturalib. quibu
libenter indulget, & quos frænare non ſat
agit,niſi tum cùm de peccato manifeſtè mo
tifero agitur. Eſt,quæ quidquid amat, ama
vehementer;quæ opum, honorum, & com
moditatum ſuarum eſt percupida, adeò v
aduerſi ſi quid accidat,ægreſcat animo; gra
vemque iacturam æſtimet, ſi quid de fortu
nis,de boni nominis opinione, quâ pollebat
inter homines decerpatur. Eſt perſona tum
humilis demiſſique animi, cùm a nemine vi
lipenditur;tum comis & affabilis, cùm verſa
tur inter eos,quos naturæ genio complecti
tur;

(a) *Greg. 3. p. paſtor. admonit. 25.* (b) *S. Bern
ſer. 6. de aſcenſ. Dom. & 65. in Cantic.*

tur; tum patiens, cùm nihil moleſtiarum infertur; tum pia, cùm voluit elegãtem libellũ, cùm ſapidæ meditationi vacat, aut tenero aliquo deuotionis guſtu imbuitur; quæ denique ſpecioſis verbis & ſuſpiriis Dei amorem conteſtatur. At ſi contemnitur, ſi oppugnatur, ſi aliquo incommodo afficitur, ſi aliqua rerum divinarum nauſea ſubrepat, ſi factis ipſis prodenda ſunt Divini amoris argumenta, iam nec humilitatis, nec manſuetudinis, nec patientiæ, neque charitatis, neque devotionis quidpiam meminit, breviter, ex illis eſt, quos S. Paulus (a) dicit, *habere quidem ſpeciem pietatis* & probitatis, *virtutem autem eius abnegare*, hoc eſt, in effectum non educere: non quod hypocritæ ſint aut ſimulatores, abſit; optimè, vt illis quidem videtur, & pro viribus agunt ſua, at non credunt, plus fieri oportere, aut poſſe ſe illud etiam exequi, quod moleſtum experiuntur & difficile. Vellent ad ſanctitatis faſtigium conſcendere ſine virtute, aut virtutem adipiſci non coercitis ſuis affectibus & propenſionibus; aut has non coercere, niſi cùm fieri ſine moleſtia poteſt. Id enim vero eſt, eſſe tepidum, eſt verſari in ſtatu periculoſiore, quàm ſi frigidus ſis, quàm ſi viuas eorum ſæcularium inſtar, qui tantoperè non applicant ſe pietatis officijs, quique ſubinde etiam grauibus ſe criminibus obſtringunt.

Quod

(a) 2. *Timoth.* 2.

Quod si actiones & statum præsentẽ horum tepidorum, & horum frigidorũ spectes, fatẽdum est, tepidorum actiones nõ esse tam prauas ac sceleratas, quàm sint frigidorum, ac statum illorum præsentẽ videri magis innoxiũ, quàm aliorum, quorum viuendi ratio pæne perfidia & vitijs scatet: verùm si spectes totam illorum vitam, & dispositionem animi in vtrisq; vel ad recipiendas vel repellendas gratias diuinitùs oblatas, vt saluti suæ operẽtur, aio tepidorũ periculũ maius esse, quàm frigidorũ, & ab his, quàm illis, plus boni posse sperari: ad eum modum, quo dicimus puerum spei esse melioris, & olim doctrinâ anteiturum alteri firma iam ætate viro, qui in præsenti tamen puerum eruditione superat, si puer ingenio est acutiore, illoque melius, quàm alter, vtitur: Ita intelligenda sunt verba Seruatoris, dum frigidum mauult, quàm tepidum, non enim sensus est, quod tum, cùm persona est tepida, minùs accepta sit, quàm alia, quæ tum frigida est, sed quod, cùm necesse sit vtramque resipiscere, & ad meliorem frugem conuerti, vt à Deo constitutum perfectionis grádum assequatur, (a) difficiliùs conuertenda sit illa quæ tepet, quàm quæ frigèt; minus conuertetur Pharisæus, quàm Publicanus, & faciliùs ad fidem reuocabitur hæreticus aut infidelis, quàm Catholicus, quàm Ecclesiasticus, aut

(a) *Sicut ante teporem frigus sub spe est: ita post frigus, tepor in desperatione*, &c, Greg. suprà.

aut Religioſus mores ſuos reformabit. Itaq; abſolutè loquendo, mauult Deus illos frigidos quàm hoſce tepidos, illos enim experietur ſuis gratijs paratiores, obſequentioreſque, quàm hoſce alios, qui continuò ijs reſiſtunt: magis, fateor, hi peccant, ſed ex ignorantia & fragilitate; at alij poſt tantam notitiam & tam frequentem confeſſionis vſum, meritò ex malitia peccare cenſentur.

Si gratiæ tepidis collatæ, fuiſſent oblatæ frigidis, maiorem ex illis quæſtum hi feciſſent; ideoque Deus ab iſtis auferet, quod his conferat; & erunt nouiſſimi primi, & primi nouiſſimi. In locum Eſau ſuccedet Iacob, & fratres ſuos præuertet Ioſeph; ſedem Saulis, Dauid; Abſalonis, Salomon; Eſther, Reginæ Vaſthi; Chriſtiani, Iudæorum; Indi, Europæorum occupabunt; Itaque vides frigidos incaleſcere, & tepidos relinqui in ſua tepiditate: & ſicut aqua tepida faciliùs coit in glaciem eamq; duriorem, quàm aqua natiuo ſuo frigori relicta, ſic animaduertes neminẽ ducere vitam probroſiorem, & minore ſpe frugis melioris, quam eum, qui à pia viuendi ratione elanguit, aut qui vitæ deuotæ & ſpirituali, quã profitebatur, non plenè ac integrè ſe addixit, is enim iniuriam facit Deuotioni quam ludibrio exponit, dum vnius vitium ſic ex naturæ impetu viuentis, trãſcribitur in alios eius generis homines deuotos, vulgoq; dicantur & ipſi ſuos manes pati, nec minùs cęteris affectuum

ctuum perturbationibus agitari: atque in rident illos impij, ac in sua impietate confirmantur.

Ah! respuit IESVS eos ministros, qui duobus Dominis famulantur, aut vno tantùm pede viam salutis calcant, planè dicendum est, cuius simus Ministri, Christine, an naturalis nostri appetitus? nam aliàs pronunciabit ille, cuius velit esse Dominus, eligetque potiùs illum, qui penitus aberat ab eius obsequijs, quàm hunc, qui mediam & acciſam illi seruitutem seruiebat. O mi IESV, facilè periculum aduerto, quod tepidis imminet, sed illud video tantum esse, tamque manifestum, vt ægrè credam, me ex eorum esse numero, propter optima tibi seruiendi desideria, quibus ardet animus meus. Quare rogo te, vt me illustres, quò meipsum, hac in re, cognoscam.

II. PVNCTVM.

Aduersio ad vitam anteactam, & statum præsentem.

COnstat, facilè nos assentiri veritatibus, quando nos non contingunt: at si inuoluunt nos, tamq; validè impetunt proprium nostrum amorem, vt accidere veritati non liceat, quin nos ipsos damnemus, tunc enim verò effugia quærimus aut ex parte veritatis, in molliorem, nobisque commodiorem sen-

sum

sum illam interpretando, aut ex parte alicuius pij affectus, quo in veritatem & virtutem ferimur, nobis persuadendo minas illius ad nos non pertinere itaque elabi illam sinimus sine vllo fructu, aut vitæ emẽdatione.

Primus igitur affectus hic sit dolor & detestatio præteritorum, quòd cùm toties audieris hanc veritatem, non tamen pro eo ac oportebat, apprehenderis; non credendo, te esse ex illis tepidis, quibus tales minæ, pœnæque denuntiantur, quales fert illa sententia, quam pro fundamento sextæ veritatis proposui.

Secundò penitiùs te scrutare, & vide an tantùm ferueas, quantùm deberes, tu qui assides fornaci, & tantum quotidie gratiarum accipis, quantum sufficeret regnis integris conuertendis. An non tu ille es, qui tui contemptum non amas? qui respuis patiendi occasiones? qui tantùm inter amicos mansuetus es & comis? quique virtutem tuam potiùs collocas in tenero quodam gustu pietatis, quàm in seria tuorum appetituum victoria? quidni igitur sis ex illo tepidorum numero, quos veritas affatur? Excutiamus paulò accuratiùs & cum otio mores omnes nostros, vtrum ad virtutem, an ad nostros appetitus conformati sint; Examinemus virtutes nostras, vtrum integræ sint, an imperfectæ, vtrum conformes sint luminibus, cognitionibus, & sensibus, quos de illis Deus nobis-

nobiscum communicat, an verò procul dissentiat; ad mensuram enim gratiarum acceptarum, aut pro status nostri ratione oblatarum, expendenda est virtus nostra & vita, non verò ad comparationem aliorum, quibus forsitan Deus tantas non contulit gratias, ac nobis. Nisi te ipsum palpes, causam saltem habebis suspicandi, te non esse, ex feruentioribus, & proximè te ad tepidos accedere: aut si tibi assentaris, multò magis metue, ne obsequaris proprio tuo amori, eo potissimùm tempore & occasione, quo nullum illi frænando vincendoque aptius esse potest, hoc est, tempore orationis: ecquid fiet alibi, vbi apertè regnat & dominatur? Tandem, etsi præterita sic essent, præsentiaque, vt nulla temporis nota tibi adhæresceret, an nullum futuris temporibus periculum est? vt nihil aliud deesset, quàm is, de quo dixi, timor in magno es elanguendi periculo, solus enim hic timor sanctos & maximè feruentes in suo feruore conseruat. *Nusquam est securitas*, ait D. Bernardus, (a) *nec in cælo, nec in paradiso, nec in mundo: Nam de cælo Angelus, de Paradiso Adam, & de schola Christi Iudas excidit. Non locus homines, sed homines locum sanctificant.*

III. PVN-

(a) *Serm. de ligno, fœno, & stipula.*

III. PVNCTVM.

Propositum in futurum.

ID ergo tibi nunc faciendum est, vt primò, falsis illis persuasionibus, quæ timoris expertem te faciunt, animum exsoluas, tibique ad viuum proponas eas considerationes & argumenta, quæ tam luculenter persuadeant te tepidum esse, quàm verum est, te non posse venire in censum feruentissimorum, perfectissimorumque. Secundò, vt non instituas comparationem tui cum alijs, nec status tui, cum imperfectiore, quasi non esses ex pessimis, & in maximo periculo non versarêre, cùm videris opus non esse, vt sis ex pessimis, quo tepidis adnumereris, & tepidum, ea solùm ratione, quod tepidus sit, in maximo versari periculo. Tertiò, vt non fidas pijs quibusdam affectibus, & bonis melioris vitæ desiderijs, nisi ad res ipsas & facta accedas: nam istud proprium est tepidorum, *quos*, vt loquitur Sapiens, (a) *desideria occidunt, vt nolint quidquam manus illorum operari, sed* satis esse putent, si *tota die concupiscant & desiderent*. Quartò, ne culpam in occupationes tuas, in tuam fragilitatem, in difficultatem virtutis, conijcias, nihil enim aliud à te requiritur, nisi quod cum Diuina gratia potes præstare. Quinto, vt persuasum habeas, te necessariò

(a) *Prouerb.* 21.

cessariò aut calidum, aut tepidum, aut frigi dum esse; quòd si conscientia tua postremi te non adscribit, eadem quoque non patitu vt te primis & perfectis accenseas; quid si pereſt igitur, nisi periculosum illud medium quod nec debitam bonitatem habet, ne suam malitiam agnoscit?

Ne putes tepiditatē in eo dumtaxat con sistere, quòd quis animi euagationes & lan guorem in pijs exercitijs suis patiatur, poti ista mali est, (a) non totum malum; in cor istud residet, diuiso, & in duas partes sect quarum alteram Deo concedis, alteram cre turis, aut tuo ipsius amori. Atque istud pr priè tepidum constituit, creatque horribile illam Deo nauseam vt à vomitu & reiectio continere se non queat; vult enim, aut te si totum, aut te totum tibi.

Hoc igitur sit propositum tuum, quando quidē nunc agnoscas periculum à miserim illo statu languentis animi, doleasque te eo vixisse hactenus, ac desideres ex eo tand emergere, vt te integrè plenecque tradas Diu næ maiestati; vt velis per gratiam, te ipsu adoriri; vt cogas te rationi acquiescere; vt expedias pessimo ductu affectuum & pr pensionum tuarum naturalium, (b) vt Spi tum S. ducem habeas, qui te docebit nihil mare aut appetere, nisi ad normam diuin

(a) *Diuisum est cor eorum, nunc interibunt.* Osee
(b) *v. Hebr.* 12.

voluntatis, & nullo modo ad leges immoderatorum tuorum affectuum ; suis enim affectibus non amplius obsequi, est tepiditatem excusisse, cùm soli affectus inordinati nos à Deo seiungant, causæque sint, & teporis nostri, & malorum omnium inde promanantium.

Anime mi, præclarè te locutum arbitrabaris, quando dixeras Deo, te totum te illi consignare, (a) verum disce hodie, dum te illi consignas, addendum esse itidem nolle te amplius viuere tuis commodis, neque ex cupiditatum tuarum impulsu : serio enim donare se Deo, est, se inde non abstrahere. Illius omnes sumus, etiam tacentes, sed ab illo abstrahimus nos, dum appetitui obsequimur, itaque donare se illi est, huic non amplius obsequi.

(a) *Si reuerteris Israel, ad me conuertere, si abstuleris offendicula tua à facie mea.* Ier. 4.

COMPENDIVM MEDITATIONIS in sextam veritatem.

I. PVNCTVM.

Declaratio eiusdem.

IPse Christus est, ipsa veritas, quæ in hac sexta veritate loquitur, vt de ea dubitari non possit: sed hoc inquirendum tibi est: quomodo hæc veritas cæteris succedat, quomodo

do quis frigidus aut tepidus esse possit in Divino servitio, & qua ratione malit Deus frigidos, quàm tepidos.

Primò igitur, quia credere posses, te non esse ex pessimis collatione cum alijs facta, qui licentiùs vivere tibi videntur, adeoque nec expositum ijs periculis, in quæ te peccata tua & propensiones naturales præcipitant, vt tibi præcedentes veritates patefecerunt: additur hæc, vt falsa illa persuasione eximaris, quâ putas te pessimis non adnumerandum asseveranterque pronunciatur, tepidum, id est minùs sceleratum, qualem te existimas, in maiore versari salutis suæ periculo, quàm frigidum, aut hominem sceleftiorem, magisque infamem: An non aptè, ad errorem ex animo tuo detergendum?

Considera 2. Esse tepidum in servitio divino, est, non esse deditum manifestis illis criminibus iurandi, sacrilegis dictis violandi numen, fovendi odia, & prauas machinationes; verbo, est non vivere eâ morum licentiâ quæ religionem extinguat; quæ suffocet conscientia, id enim propriè ad frigidos pertineret: at tepidum esse, est, tangi aliquo diuini timoris & amoris sensu; est frequentare sacramenta, imò meditari, & subinde sacris exercitationibus vacare; est, positis illis omnibus indulgere suis affectibus naturalibus & è propensione sua viuere, donec de committendo peccato manifestè mortifero agitur; venalia

lia insuper habere; virtutes verò tu exercere, cùm fieri sine molestia potest : quod ad inspirationes & divina consilia attinet, pro libitu acceptantur aut negliguntur ; denique ex arbitratu formatur devotio , mixtura fit ex Evangelio & mundo , illius aliquid omittitur, vt plus huius interatur ; nec calidus quis est, nec frigidus, nec bonus, nec malus , nec virtuosus, nec vitiosus, sed de vtroque aliquid participat; id demum est , Tepidum esse , sic vivere: & si futura spectes, est vivere in maiori periculo, quàm esse frigidum : Cùm enim utrique incumbat necessitas sese recipiendi ad frugem meliorem , facient id frigidi promptiùs, quàm tepidi; Publicanus citiùs , quàm Pharisæus, citius Peccatrix , Samaritana , & Cananæa , quàm illæ filiæ Ierusalem , quæ Christo patienti ex commiseratione illacrymatæ sunt : nam illæ periculum frigoris sui faciliùs advertent, quàm hæ sui teporis ; illæ minùs divinis gratiis abusæ sunt , quàm hæ tepidæ personæ , quæ maiora gratiarum dona vt libitum est vel admittunt, vel reiiciunt, ô quàm horrendum est , promptam habere gratiam & media Deo perfectè serviendi , & illi non servire, nisi imperfectè, aut se illis, qui Deo non serviunt, præferre.

II. PVN-

II. PVNCTVM.

Aduersio ad præterita & præsentia.

ETsi ægrè posset intelligi, quo pacto grauius periculum sit Tepidorum, quam Frigidorum, quia tamen id veritas testatur, credis; sed credisne illā in te intorqueri? nónne times, ne sis ex eorum Tepidorum numero? quid hactenus existimasti? quid censes modò quo in statu te reperis? An non tu es, qui ne cogitationem quidem admittere velle atrocium illorum criminum, à quibus alij reddūtur infames, sed an non idem etiam tu, qui ne cogitare quidem vis, quo modo ad eam perfectionem contendas, quæ & statui tuo propria est, & ad quā gratia quotidie te vocat, ecquid igitur cogitas, nisi hærere in periculoso illo statu tepiditatis, qui inter frigus & feruorem medius est? nam sicut non es in frigore & graviori flagitio, ita nec existis in feruore & summa perfectione, in quo iuxta conditionem tuam, & gratias eo nomine tibi concessas, esse te deceret; quare nihil superest aliud, nisi vt in tepore sis, qui nec frigidus es nec calidus, sed inter vtrumque; aut si in præsenti nondum sis, verseris in maximo huc labendi periculo, nisi fias ferventior, & metuas

à fer-

à feruore tuo desciscere : hic sacer metus in suo fervore sanctiores conservat & tutatur.

III. PVNCTVM.

Propositum in futurum.

ET, vt eo te liberes errore, quo putas te pessimum non esse: Est vt agnoscas periculum status tui, & istud periculum non provenire aliunde, quàm ab affectibus tuis naturalibus quos frænare non niteris; nàm illi diuidunt cor tuum, & in Creatorem & creaturas partiuntur, quod adeò displicet tantæ Maiestati vt malit omninò non amari à te, quàm partim amari; ideoque te prorsus totumque sic permittet tuis affectibus, vt eum amplius amaturus non sis, nec tamen hoc credes: Quare statuendum est, vt vel totus sis Dei aut totus tuarum cupiditatum; vt vel vni Domini servias, vel nulli; tales enim illi duo Domini sunt, vt alter alterum non ferat. Neque proderit si dicas Deo, te illius esse servum, illum Dominum, nisi tuos quoque affectus illi subijcias: tali enim pacto illius es, sic servis illi, sic ille Dominus tuus est: aliàs, nisi hoc feceris, ab illo te emancipas, seruitutem excutis, & ille Dominus tuus esse dedignatur.

CONSIDERATIO SECVNDA in ſecundum diem.

De diſtributione diei & actionum quibus ratione ſtatus tui incumbendum eſt, & de bono vſu temporis.

1. COlloca te in Dei præſentia,& pete ab illo lumen, vt eius voluntatem, ac melius diſtribuenda tua tempora, cognoſcas.

2. Vide,quanti referat,tempus ſuum benè collocare,ad hoc,eſſe viuendum ordinatè,& vt benè ordinentur actiones exteriores,componenda eſſe interiora, & ſtatuendum, non aliter,quàm ex ratione,viuere.

3. Si ſtatus tibi ordinem aliquem præfixit, quomodo illum obſervas? an non tuarum commoditatum, quàm Communitatis maiorem ducis rationem? & in rebus communibus,quas facis,facísne eas modo quodam peculiari,ſpiritualique,qui ſolum Deum ſpectet, eius que beneplacitum: vel potiùs ritu quodam communi, defungendi vtcumque muneris causà, & ob reſpectus humanos!

4. An non habeas aliquot diei horas, quæ

quæ sint omninò tui iuris, quæ nihilominùs inutiliter diffluant, quòd exactè non serves ordinem, quem tibi præscribere deberes.

5. Hic ordo potissimùm pendet à tua conditione, & tua conditio meliùs administrari non posset, quàm hoc ordine bene constituto.

6. Exemplum cape ab ordine quem in hisce Exercitijs præfixi; nónne fortunatum te reputares, si semper viueres tam ordinatè, quàm vivis modò? vide an non posses in futurum ita diem totum distribuere; aut saltem vide quid distribuere possis, & si ampliùs non potes, id inde potiùs oriatur, quòd nequeas, quàm quòd nolis.

7. Existima te non minùs vivere debere secundùm regulas rationis, quàm Religiosus ad regulas instituti sui obligetur, & quòd hic ordo, quem tibi nunc præscribis, regulas rationis constituat.

8. Si quibusdam casibus dictaret ratio præscriptum ordinem esse invertendum, absque periculo potes obtemperare rationi, cui præscriptus ordo innititur; sed cave, ne loco rationis, audias appetitum, de quo si vel minima subit mentem dubitatio satius semper est, inhærere ordini prudenter constituto, quàm ob speciem subitò occurrentem, illum immutare.

9. Cogita, num Ratio non sit modò meliùs disposita vt iudicet, quando tibi sur-

gendum, incumbendúmve sit, quàm tum, cùm natura suis commoditatibus immersa est, aut quando alicuius incommodi metu angitur, qui iudicandi vim inflectit, & pr ratione & regula, proprium amorem, natu ræque procliuitatem obtrudit.

10. Idem forma iudicium, de pluribus a lijs occurrentibus per diem casibus, in qui bus natura sui suorumque commodorum studiosa semper suadebit rationem esse, tam etsi reuera metus sit affectus naturæ sib indulgentis, aut incommoda auersantis.

11. Aduerte animum ad præterita, v agnoscas, an non sit ea naturæ indoles, & a ab illa te decipi sis passus.

12. Suspectas habe opiniones & sermone nonnullorum, qui fortè dicent: quòd se ad stringere ad certum ordinem, sit Spiritui san cto resistere, qui maiorem exigit animi liber tatem, & minorem adhæsionem: vt enim hi sermo secundùm quid, verus sit, de cæter tamen periculosissimus est.

13. Verum est, si quando spiritus sanctu nobis manifestat voluntatem suam ab ordi ne nostro alienam, ordinem relinquendum esse, vt eius voluntati fiat satis; & quòd pro pterea non oporteat nos esse sic affixos re gulis, quas ipsi construximus, vt non simu semper prompti paratique eas illius cons lijs posthabere: at periculosa consecution hinc infertur, omnes ergo omittendas ess

regula

regulas & ordinem viuendi, quandoquidem Spiritus ipse S. (a) in sacris litteris etiam præcipiat, vt illas constituamus, easque sequamur, & sancti omnes non vixerint, nisi ordinatè.

14. Deliberandum non est, an sequendæ sint motiones spiritus Sancti, quando perspectæ sunt ac exploratæ, sine dubio enim sequendæ sunt: verùm hoc dubitari meritò potest, an motus omnes, quos nos sentimus, sint peculiares Spiritus sancti motiones?

15. Eam ob rem vsus Directoris perquàm necessarius est, vti & diffidentia sui, & oratio.

16. Sed potissimùm dispositio animi in omnem partem indifferentis, & ab omnibus rebus humanis & naturalibus auulsi; quod ad spirituales verò attinet, plurimùm refert abnegatio proprij iudicij: nam hæc potiùs affectio, & hoc iudicium proprium Spiritui sancto resistit, quàm ordinis seruandi Propositum

17. Ne putes satis esse, quod cuncta suis quæque temporibus peragas, nisi etiam peragas modo perfectissimo; sed pura, aliquam esse partem perfectionis illorum, si suis temporibus peragantur.

18. Ne tam sollicitus sis vt scias, quomodo perfectè fieri possit, quod tibi faciendum

(a) *Omni negotio tempus est, & opportunitas.* Eccl. 8. *Omnia honestè, & secundùm ordinem fiant.* 1. Cor. 14.

dum est, quàm vt tam perfectè facias, quàm scis: nam fideliter explendo, quod nosti, mereberis plura discere, & cognoscere.

19. Acquiescas virium tuarum modulo, cùm Deus ei acquiescat, sed neque tibi parcas in ijs, quæ poteris cum gratia, & crede nos, si volumus, plus posse, quàm credamus.

20. Pete à Deo veniam culparum aduersus hasce veritates admissarum, & temporis malè collocati: implora eius gratiam, ad emendationem, & firma statue emendandi proposita: ni feceris, euades culpabilior maximè cum de exteriori morum compositione agitur, quæ magis, quàm interior, à te pendet.

LECTIONES.

Ex sacris litteris Caput 1. Isaiæ & 7. Epistolæ ad Romanos.

Ex libello Exercitiorum, De Examine generali Conscientiæ & 4. Exercitia seu Meditationes de peccatis.

Ex Thomæ de Kempis. Caput 6. & 21. l. 1. 54 l. 3.

TER-

TERTIVS DIES

De Nouissimis, quæ efficiunt, vt pericula, in quæ præcipites ruimus, meliùs agnoscantur, apprehendanturque.

SEPTIMA VERITAS.

Quòd si ad vitam alteram periculum immineat, inde esse si malè moriamur; malè autem moriendi periculum inde oriri, si ex legibus immoderatorum nostrorum affectuum viuamus.

Si secundùm carnem vixeritis, moriemini. Rom. 8.

MEDITATIO

de hac septima veritate.

I. PVNCTVM.

Declaratio eiusdem.

TAnti momenti est rectè semel animo concepisse, quod non sit, nisi vnicum in hoc mundo negotium nostrum perue-

niendi ad finem nobis constitutum, quodque eò non perueniatur, sed retrò abeatur potiùs, cùm vita ducitur ex motibus naturæ inordinatis, vt ipsum satis momentum nequeat comprehendi.

Inter omnia verò argumenta, quæ perficere possint has in nobis cognitiones tam necessarias, præcipuum, & aptissimum est, consideratio(a) Nouissimorũ, & earum veritatum, quæ inde educuntur; quare illæ opportunissimè prioribus succedunt, vt ex ijs clariùs perspiciamus, apprehendamusque pericula, in quæ ruimus præcipites, non pertingendi ad finem nostrum nisi aliter, quàm hactenus, moderando vitam nostram, nostrosque affectus naturales, progrediamur. Ad hoc septima veritas, quæ exhibet mortis memoriam, nobis exponit, quod sicut alterius vitæ status pendet à morte, ita quoque mors pendeat à statu huius vitæ, & quemadmodùm, periculum ratione æternitatis inde oritur, si malè moriaris, sic etiam malè moriendi periculum inde proueniat, si teste D. Paulo, secundùm carnem vixeris, id est, secundùm naturæ motus non ordinatos; ita vt, quantùm nos ad bonam felicemque mortem anhelamus, tantum quoque

(a) *Melius est ire ad domum luctus quàm ad domum conuiuij; in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & viuens cogitat, quid futurum sit.* Eccl. 7.

quoque debeamus operæ adhibere componendis illis naturæ motibus, idque seriò nunc statuere, vnde felix mors pendet ac æternitas.

Considera igitur 1. seriùs aut ocyùs, nobis esse moriendum, nihil eo certius est; sed neque incertiùs, si tempus, si locum, si modum, seu ratione animæ, seu corporis, attendas. Immorare paulisper huic considerationi, & eam penitiùs minutiusque perscrutare, proponendo tibi eos, quos aliquando vidisti morientes, dicendoque: ah! (a) ista sors nos manet, decretum est, eò damnati sumus, de horâ dumtaxat incerti; ô horam! à qua pendet æternitas.

Atque illud secundo loco tibi agnoscendum est, quòd status vitæ alterius pendeat à morte: (b) quòd talis iudicandus sis, qualem te postrema hæc hora occupauerit: quodque ab hoc iudicio alterius vitæ status constituatur. Nihil hoc decessu verius est, sed neque horribilius hac consecutione alterutrius æternitatis quæ ab eo pendet: Hinc

(a) *Memor esto, quoniam mors non tardat. Testamentum enim huius mundi, Morte morieris.* Eccl. 14.

(b) *Quoniam ibit homo in domum æternitatis suæ.* Eccl. 12.

In quo quemque inuenerit suus nouissimus dies, in hoc eum comprehendet Mundi nouissimus dies: quoniam qualis in die illo quisque moritur, talis in die illo iudicabitur. August. epist. 80.

pari desiderio ferimur in bonam mortem & felicem æternitatem, quòd sciamus hanc illi succedere; & eandem etiam ob causam appetere debemus vitam bonam, quòd illam excipere soleat fortunata mors, vti fortunatam mortem beata æternitas.

Inhære his paulò diutiùs, vt conuincas intellectum, qui non tam facilè huic secundo membro propositæ veritatis assentitur, ac primò; quòd videamus non nunquam emori nonnullos felicissimè, qui vitam non benè traduxerant, adeoque ex vita sententiam de morte ferri non posse, sed errorem excute, & disce dum asseritur, mortem pendere à vita, verùm dici iuxta leges ordinarias viuendi moriendique à Deo constitutas: quòd si verò visum illi aliquando sit, aliter disponere, illius vnius est, soluere leges suas, quod facere nullo nos modo possumus: adeoque si lex est Iustitiæ illius & Prouidentiæ, non largiri felicem mortem bene viuentibus, illi inhærendum est, æquè ac alijs ipsius communibus decretis, nisi inconsultæ fiduciæ reus haberi velis; quo modo ineptus ille, temerariusque meritò censeretur, qui nollet edere, vt viueret, aut victui necessaria comparare, cùm eæ sint ordinariæ leges diuinæ prouidentiæ, quæ ad conseruandam vitam nostram pertinent, quibusque obsequi tenemur quamquam aliter disponat de quibusdam, quos

quos alit, etsi nõ edãt, & quibus vltrò, nõ sollicitus, de victu prouidet: Exemptiones illæ sunt & Gratiæ peculiares, è quibus argumentari nõ liceat, quæq; nos à communibus, & vulgatis legibus non absoluunt. Eadem ratione, tametsi Deus ex infinita sua misericordia fortunatam mortem ijs largiatur, qui illam promeriti non sunt, nihil de hac misericordia nobis arrogare debemus, noſque eximere æquissimæ legi, quam statuit; vt, si consequi velimus felicem mortem, oporteat illam viuendo promereri; aut saltem non demereri, neque se opponere legibus & medijs, quæ ad mortem felicem nos disponunt.

Dici præterea posset, non omnes illos benè mori, qui benè mori videntur, sicut è contrario mortes subinde terribiles accidunt, quæ tamẽ non desinunt esse bonæ *& pretiosa in conspectu Domini*, ita vt nostrum non sit ex specie morientis exteriori, de bona maláve morte iudicare: ad solũ Deum spectat, eius rei ferre sententiam; quod verò nos securissimè pronũtiare possumus, est illud affatũ nostræ veritatis: ita pẽdere mortẽ à vita, quemadmodũ à morte pendet æternitas. Id scriptura, (a)

(a) *Mortẽ timetis, quare non cauetis? Illud potiùs time, quod si nolis, non erit: peccare time; quia si amaueris peccata in aliam mortem irrues, quò posses non venire, si non amares peccata. Mori malè times, & malè viuere non times? corrige malè viuere, time malè mori*, Aug. fusè l. de disc. Christ. c. 11. & 12.

id Patres, id ratio tam manifestè commonstrant, vt ad fidem faciendam, eos audisse, sit satis.

Sed quod adhuc accuratiori consideratione expendi debet, est, quòd status vitæ in affectuum indulgentia transactæ, status sit ad benè moriendum perquàm periculosus: nam ad benè moriendum, requiritur is status, vt quis possit sine nota se præsistere Iudici suo, audireque optatam sententiam suæ in cælum admissionis, at istum statum virtutes componunt, Humilitas, Patientia Mansuetudo, Charitas, Religio, atque aliæ, sine quibus anima compareret oppositis infecta vitiis, adeoque plena confusione, & Iudicis sententiam aduersus se prævertens, Iudicis, tam vitia abominantis, quantùm virtutes in delicijs habet. Verùm qualium virtutum decora sperare is debet in hora mortis, & eo proximè instanti, quo Iudici suo sistendus est, qui vitam omnẽ ex prescripto naturalium suorũ affectuum traduxit? virtutũne in vita, an in morte exercitarum? at à vita nullas habet aut pauciſſimas, vt qui plerumq; magis cupiditatibus suis & naturæ, quàm gratiæ & rationi sit obsecutus. Caret humilitate, cuius minorem, quam honoris sui rationem habuit, vbi de illa exercenda res agebatur; defit Patientia, cùm aduersa iniquo potiùs animo, quàm æquo tulerit; ita cæteras prosequere, talibus enim casibus, dum vivitur, exercenda

virtus

virtus est, vt de ea post hanc vitam ferri iudicium queat, quòd si ad mortem vsque exercitium differs virtutum, neque aliæ exhibeantur diuino tribunali, ah! vereor, vt seræ nimis sint, & timendum cum D. Augustino, (a) ne & ipsæ cum infirmo, infirmentur & cum moriente ipsæ quoque expirent. *Nunquid*, aiebat Christus, *colligunt de spinis vuas & de tribulis ficus?* (b) respondè, & responsum tuum applica argumento propositæ Veritatis: huc enim spectat interrogatio Christi Domini.

(a) *Quomodò enim penitentiam agere possit, qui nulla iam pro se opera satisfactionis agere potest? & ideo pœnitentia, quæ ab infirmo petitur, infirma est; pœnitentia, quæ à moriente petitur, timeo ne & ipsa moriatur.* Aug. Serm. 57. de Temp.

(b) Matth. 7.

II. PVNCTVM.

Aduersio ad vitam præteritam & statum præsentem.

SI fateris hominem virtutibus destitutum, de felici morte securum esse non posse, & eum virtutibus destitui, qui vivit ex præscripto motuum naturalium, cum virtutum sit, eos moderari: Quid tu speras postremo illo vitæ tuæ momento, quod primum alterius futurum est? tu qui à virtute,

te, ab humilitate, à patientia, omninò vacuus es? tu qui nulla re abundas, quàm amore tui, illo omnium virtutum inimico? scis, quid obiectum illi fuerit, qui habitu indecenti irrepserat in nuptiale conuiuium? (a) *Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem? at ille obmutuit.* Tu verò quid dices, cùm videbis tam esse virtutes propria cælestium nuptiarum vestimenta, quàm nunc agnoscis nullas à te per vitam exerceri? quis dolor, quod probrum! (b) *Nullum* inquiunt, *virtutis signum valuimus ostendere.* Ah! quantò conducibilius foret, nunc sese confundere, serio que animi decreto id aggredi, (c) quod feciſſe tum vellemus, quàm pati confusionem mali, nulla arte, farciendi?

Sed vt te perfectiùs cognoscas, noli te intueri in eo statu, in quo nunc forsitan es, tempore tuorum Exercitiorum, nunc enim, vt quidem videtur, nihil in te non compositum, non moderatum est: Considera te potiùs, qualem te in occasionibus, Charitatis, Mansuetudinis, Humilitatis, aliarumque virtutum exhibeas, in his enim veram tui præbes

(a) *Matth.* 22.

(b) *Sap.* 5.

(c) *Nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus suadeo tibi emere à me aurum ignitum probatum, vt locuples fias, & vestimentis albis induaris, & non appareat confusio nuditatis tuæ,* Apoc. 3.

bes notitiam,& hinc clarè cognoſces, quàm paucis, aut omninò nullis (a) virtutibus ſis inſtructus.

(a) *Scio opera tua quia nomen habes quod vivas & mortuus es. Eſto vigilans & confirma cætera, quæ moritura erant. Non enim invenio opera tua plena coram Deo meo* Apoc. 3.

III. PVNCTVM.

Propoſitum in futurum.

QVid poſt hæc agendum eſt? (a) Memoria recole tres haſce propoſitiones vt meliùs intelligas, quid agere te oporteat. 1. venturam aliquando horam illam, idque certò, quâ agnoſces vitam tuam omnem, in naturalium tuorum affectuum obſequio defluxiſſe vitam eo modo traductam in hora mortis reperiri virtutibus vacuam, & 3. Mortem tali ſine virtutibus vitæ ſuccedentem, exponere animam ingenti periculo, quo ad æternitatem.

Hinc delibera, velíſne adire diſcrimen tam manifeſtum: & cùm metus huius adeundi diſcriminis non aliunde proveniat, quàm quòd effrænatæ naturæ impetu nos abripi

(b) *Si annis multis vixerit homo, & in his omnibus lætatus fuerit, meminiſſe debet tenebroſi temporis, & dierum, qui cùm venerint, vanitatis arguentur præterita.* Eccl. 11.

abripi ſinamus, an dubiũ eſſe poſſit, quin ſtatuere ſeriò oporteat, illum tandẽ compeſcere ac frænare. Si quiſpiã vel quod in potu exceſſiſſet, vel imprudenter aliquo cibi fatalis genere ſtomachum labefactaſſet, videret propè actum eſſe de vita; idem tamen recuperata valetudine, vbi eadem iterum excedendi, aut mortiferam illam eſcam ſumendi ſeſe offerret occaſio, tantum ſibi temperare non poſſet, vt abſtineret, an non ſummè intemperantem, meritoque vituperio digniſſimum pronuntiares? ſcito te fore illum, ſi deinceps iterùm redis ad obſequium tuarum cupiditatum, quæ non minùs animæ, quàm maligna corpori eſca, incommodant. Notitia, quam modò cepiſti eius diſcriminis, quod ſupremo mortis articulo, eæ tibi poſſunt inferre, tantumdem tibi prodeſſe, cautioremq; te reddere deberent, atque ſi ſupremum illum articulum, & in eo illas vitæ liberioris anguſtias eſſes expertus: nam reipſa promeritus es mortem, neque alio nomine tibi à Deo prorogata eſt vita, quàm vt te agnoſcas, revocesque ad frugem meliorem: pœna mortis commutata eſt in hanc horã meditationis tuæ, vt iam conſideres, quid potiſſimùm tibi exprobraſſet Conſcientia, ſi fuiſſet ex hac vita diſcedendum. Vera eloquere, ſi te mors occuparet, non vt nunc es, ſed vti aliàs, inhiantem deliciis, honoribus & commodis tuis, nihilque aliud cogitantem, niſi quomo-

quomodo indulgeres tuis cupiditatibus, insuper habens, sensúne & appetitu, an ratione regerentur; supremoque illo abeuntis animæ momento polleret adhuc ea facultate mens, vt aduertere posset, quantulæ sint eæ omnes honorũ & voluptatũ prosecutiones, quid videres, quid de ijs sẽtires, quid loquereris? quid demũ proponeres? (a) eadem nunc proposita concipe, cũ mori nũc possit; & modò te decet ea facere ex reuerentia Numinis, quæ in hora mortis desiderabis ex metu; & denique non erit tum, quàm modò, verius, cuncta animæ esse vana, misera, periculosaque: non habebis etiam maiora statuendi, si conualueris, seriam morum emendationem, argumenta, quàm habeas modò. (b) Apprehensio veritatum in hora mortis sensibilior esse potest, sed non, quàm in meditatione, solidior, securiorve: Quin ipsa quæ decernuntur eo tempore proposita, admodùm dubia sunt, exiguique pretij, si cum illis componantur, quæ valetudine integra

(a) *Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te... viuens, viuens ipse confitebitur tibi, sicut & ego hodie.* Ps. 38. *Operamini opus vestrum ante tempus.* Eccles. 51.

(b) *Si vis agere pœnitentiam tum, quando peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa.* August. hom. 41. *Quomodo sub vnius horæ articulo reuocari posse æstimant omnia animæ membra, cuius concupiscentiæ & desideria per totum mundum sparsa sunt?* Bernard. Serm. 38 in paruis.

integra fiunt in oratione, vbi sola veritatis cognitio & Gratia operatur: adeoque etsi securus etiam fores, tibi neque tum defuturum tempus te excutiendi, præparandique ad bonam mortem, non deberes tamen eousque differre, quòd tempus præsens ad eam rem longè illo sit aptius: neque poteris vnquam luculentius Deo præbere argumentum, te anteacta detestari, rarumque tibi esse, illa resarcire, quàm id temporis, cùm adhuc integrum tibi est, mandare executioni propositum tuum, & reipsa demonstrare, quod nolis ampliùs obsequi tuis affectibus, qui ab ipsius obsequio te remorantur. ah! Deus meus, nolo, ea animi firmitate, quâ in extremis constitutus, vellem me noluisse.

COMPENDIVM MEDITATIONIS in septimam veritatem.

I. PVNCTVM.

Eiusdem declaratio.

SAtis persuaderi animo nequeunt pericula, in quæ nos præcipitant vitiosi nostri affectus, originem ducentes ab inclinationibus nostris naturalibus, & finem, nisi prouidemus, habentes in æterna nostra damnatione: quare nihil omittendum est eorum, quæ possunt

possunt hæc pericula nostris animis penitus imprimere, inter quæ hæc est de morte Meditatio, iuxta septimam nobis propositam veritatem, cuius duæ sunt partes declarandæ.

Prima est, moriendum esse malamque mortem idcircò formidandam, quòd à statu, in quo morimur, pendeat status vitæ alterius. Nunquid ita est? aliâ sanè huius partis declaratione non est opus, sed attenta consideratione, quàm sit certum, quantique momenti istud, quod eâ continetur argumentum, huic ergo paulisper vaca.

Secunda est, quòd si periculum sit malè moriendi, id inde esse, si malè viuitur, si viuitur ad arbitrium immoderatorum nostrorum affectuum: nam periculum moriendi malè, est mori absque virtute, est comparere coram Iudice sine habitu Humilitatis, Patientiæ, aliarumque virtutum, quas tantoperè voluit esse commendatas: at ingens, sine his moriendi periculum est, si absq; his vitam traduxeris: traducendi verò vitam absq; his periculũ est euidens, si vitam omnem ad arbitrium prauorum tuorum affectuum componas, horum enim moderatio virtutem efficit, pariter ac ab immoderatione vitium constituitur; ideoque cõclude, illum expositum esse malè moriendi periculo, qui viuens affectibus indulget: nã etsi moriturus apud sacerdotẽ peccata sua deponat, videaturque magno sensu pietatis exspirare,

rare, tales tamen mortes sæpe non sunt tam securæ, quam existimantur; & qui tum primùm pius, humilis, & probus esse constituit, cùm mors instat, nimiùm differt, quàm vt bene moriatur. Id enimuerò est habere virtutes mortis, non vitæ, & quisquis moriendo caret virtutibus vitæ, cum maximo periculo moritur, cùm sequens Iudicium non solùm de actionibus & virtutibus mortis instituatur, verùm etiam de toto vitæ decursu. O quàm ergo verum est, totum malè moriendi periculũ oriri à vita affectuum impetu traducta, & horrendum esse, ijs viuentem obsequi, à quibus exponitur manifesto periculo malæ mortis, & miserrimæ æternitatis!

II. PVNCTVM.

Aduersio ad vitam præteritam, præsentemque.

TVum iam est videre, an non sis in eo malè moriendi periculo, tuum est, agnoscere, an si nunc moriendum esset, eo sis instructus virtutum apparatu, qui necessarius est, ne hoc cælesti conuiuio extrudaris, vt ille qui se in cænam Euangelicam insinuauerat sine veste nuptiali, habéne illam animi demissionem, quæ amet sui contemptum? eam Patientiam, quæ aduersis delectetur? illam Caritatem, quæ etiam inimicos complectatur?

illas

illas tot virtutes alias? reſponde,& noli te intueri, vti nunc es in Exercitijs, ſed qualem aliàs te præſtes in occaſionibus te demittendi,patiendi,benefaciendi inimicis & alias virtutes exercendi: hinc inueſtigare te oportet, num virtute præditus ſis,hinc enim Iudicium ſuum tuus Iudex formabit : cumque aduertas te in ijs præſertim occaſionibus defuiſſe officio tuo, in te fer ſententiam, & humiliter agnoſce te virtute deſtitutum, te,ſi nunc moreris, moriturum malè, & ſi pergas ſine virtute viuere, te continuò hærere in iſto malè moriendi periculo. ô Periculum! ô quæ vita queat eſſe in tali periculo ſecura lætaque!

III. PVNCTVM.

Propoſitum in futurum.

SEriùs,aut ocyus, moriendum nobis eſt, & potiùs ſtudendum, vt bene moriamur, quàm fruſtra, vt mortem euitemus, ſi nullo eorum ſenſu nunc tangeris,quę tibi ſub mortem euentura ſunt, ſaltem animo propone ſenſus & affectus illos, quibus tunc tangereris,ſeu doloris, ob virtutum inopiam, ſeu deſiderij eaſdem acquirendi, ſi vita prorogaretur,& cape nunc eadem conſilia,quæ caperes ſupremo iſto articulo.

Neque enim alio titulo vita tibi prorogata eſt,quàm vt te emendes;mortem eras meritus,

ritus, sed hactenus tibi indultum est, vt maiore otio teipsum tandem agnosceres, meliusque ad mortem, quàm feceris antehac, te præparares. Vti igitur, cùm tibi discedendum erit ex hac vita & coram Iudice tuo comparendum, certò dolebis fuisse te superbum, impatientem, alijsque tuis affectibus subiectum, vellesque potiùs humilitati, patientiæ, & moderandis affectibus studuisse: generoso animo decerne harum virtutum exercitationem; fac, quod velles te feciſſe; tam enim modò verum est, viuendum esse ex virtute, & non ex appetitu, quàm verum videbitur morienti: & decretum ex virtute viuendi, longè sincerius, efficacius, Deoque acceptius est, cùm vires valetudoque ad exequendum decretum integræ sunt, quàm dum mors præ foribus est, desitque occasio, quæ statueris, exsoluendi, Deus meus! vereri meritò poteram, ne post tot procrastinationes, non acceptares oblata mea desideria, cùm ecce me etiam stimulas, ad eadem tibi offerenda!

OCTA-

OCTAVA VERITAS.

Iudicium, quod post Mortem fit, longè diuersum esse ab eo, quod nobis in vita noster dictat appetitus.

Sicut exaltantur cæli à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ à vijs vestris, & cogitationes meæ à cogitationibus vestris. Isa. 55.

MEDITATIO

in Octauam Veritatem.

I. PVNCTVM.

Declaratio propositæ Veritatis.

AD errorem nostrum magis excutiendum, & clariùs manifestandam fraudem amoris proprij, & pericula, in quæ appetitibus nostris obsequentes ruimus, proderit aduertere, quod illi nos inducant, ad tam peruersam rerum mundanarum æstimationem, vt particulare Iudicium, quod à morte subit quæuis anima, quodque minimè fallax est, sit penitùs illi oppositum, quod viuentes, ferimus, quando vniuersa non alio quàm humani, naturalisque sensus arbitrio dimetimur.

Consi-

Considera igitur primò illud, quod à D. Paulo profertur,(a)post mortem statim instituì Iudicium animæ: istudque Iudicium esse exactissimum seueriſſimumque; esse peculiare,quòd vni animæ proprium sit: vniuersale verò,(b) quod sit vitæ vniuersæ, omnium actionum, omnium dictorum, omnium desideriorum,intentionum, cogitatorumque. (c) *Redde rationem villicationis tuæ*,id est,cunctorum à natura & Gratia tibi commissorum, vt videatur, an impensa sint in eos fines, propter quos tibi concredita fuêre. Quis sensus animæ de corpore exeuntis,& comparentis ante illum Iudicem,cuius amori & imitationi tam parum studuit?

Sed quod secundo loco, & peculiariùs expendere conuenit, est ingens huius Iudicij cum illo discrepantia & dissidium, quod affectus naturalis de rebus hisce formare nos docet,(d)seu de ijs quæ prauæ sunt, quò spectant peccata;seu de indifferentibus, vt honore,diuitijs,voluptatibus,officijs,muneribus; scientia,dotibus naturæ,prosperis,aduersis,inopia & calamitate; seu denique de ijs, quæ bona honestæque sunt, quem in censum veniunt virtutes. ô quam aliter de ijs sentit & iudicat Deus,

(a) *Hebr.*9. (b) *Cuncta quæ fiunt adducet Deus in iudicium,pro omni errato, siue bonum siue malum illud sit.* Eccl.12. (c) *Luc.*16.

(d) *Ipsi non cognouerunt cogitationes Domini,& non intellexerunt consilium eius.* Mich.4.

Deus, ac plerumque nos in hac vita sentimus ac iudicamus! Quanti fit mendacium, detractio, ambitio, superbia? vix credimus peccare nos posse mortaliter, aut grande malum esse istud, (a) quod vocant, veniale peccatum, & illam morum nostrorum licentiam debere peccatis adnumerari. Quis id sibi persuadet, vnicum peccatum veniale, omnium bonorum iactura, iniurijs omnibus, vniuersis corporis morbis aliquid esse deterius peiusque? priùs omne genus venialium admitteretur, quàm vel vnica contumelia sustineatur, & tamen in Iudicio Dei apparebit, rem ira se habere, patieturque anima propter vnicum veniale, maiores cruciatus, quàm sint iunctim omnes, quæ possunt hanc vitam infestare.

Quid pluris facimus, honoréne, an contemptum? diuitias, an paupertatem? voluptates, an dolores? (b) longiorem vitam, an mortem? quod de his erit Christi iudicium? Exitus diuitis Epulonis & pauperis Lazari abundè loquitur. Quod ad virtutes attinet, quanticumque illas facere videamur, solam earum ideam effingit animus: nam virtutis actus aliquis, aliqua mansuetudo, tolerantia, humilitas vt præferatur dotibus illis, quas

(a) *Peccaui, & quid mihi accidit triste?* Eccl. 5.
(b) *Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt.* Psalm. 143. *Maledicam benedictionibus vestris.* Malach 2.

mundus admiratur, id profectò est, quod committere non possumus; & tamen hæc Dei sententia est quam nobis exprobrabit, cuius rationes exiget, & à qua nos æternis supplicijs addicet. O quàm merita D. Pauli (a) vox: *Mihi pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die: & qui autẽ iudicat me, Dominus est.* Nam reipsa, adiudicandi sumus æternitati, ex illo Judicio, quod Deus de rebus facit, non autem ex eo, quod vitiata natura facere nos docet: atque vtinam non ad hoc potiùs, quàm ad Diuinum Iudicium vitam nostram moresque hactenus exegissemus!

(a) 1. Cor. 4.

II. PVNCTVM.

Aduersio ad vitam præteritam, & statum præsentem.

HAc in re excutiendus est animus, videndumque cui præcipuè Iudicio te accommodaueris. Nec tam expende, quid modò de illo sentias, sed potiùs, quò tendant desideria tua, quid ames, quidve metuas oblatis occasionibus, quid oblectare te soleat, quid affligere, quid maximè ad loquendum agendumque te impellat: Hinc colligendum est, quod tuum sit de rebus Iudicium. Quando igitur

igitur sese obtulit præclara aliqua patiendi occasio, siue in corpore, siue in fortunis, siue in existimatione nominis tui, lætóne animo fuisti, an afflicto & ægro? (a) & vnde ægritudo seu mœror, nisi quòd iudicaueris, esse miseriam, pati? & quis tibi dictauit hoc Iudicium, nisi amor proprius, & illa naturæ propensio, quâ raperis in tuorum commodorum & honoris prosecutionem? At, idémne iudicat Deus? Dic, cui ergo magis consentis? Quod ergo non habes timendi argumentum, cùm iudicandus sis, non ex tuo, sed Dei, iudicio? & quod non habet Deus argumentum te iudicandi, condemnandique, quod naturæ corruptæ iudicium antetuleris iudicio suo, qui Sapientia, Iustitia & Æquitas est?

Vrge rem hanc, neque priùs desiste, quàm agnoueris culpam tuam, (b) teque tibi iniurium esse, dum falsis illis iudicijs rapi te sinis: cùm enim affectus omnes sequantur iudicium, omnesque viuentis actiones affectibus respondeant, consequẽs est, vt corrupto semel iudicio, etiã affectus & actiones vitientur; &

 sicut

(a) *Væ, qui dicitis bonum malum, & malum bonum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.* Is. 5.

(b) *Spreuisti omnes discedentes à iudicijs tuis, quia iniusta cogitatio eorum.* Psal. 118. *Si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit; si ergo lumen quod in te est, tenebræ sunt: ipsæ tenebræ quantæ erunt?* Matth. 6.

ſicut iudicium tuũ diuerſum eſt planeq́; oppoſitũ illi, quod à Chriſto Iudice tuo formatur, ita affectus quoque tuos & actiones, quæ inde pendent, illi oppoſitas eſſe, neceſſum eſt. Quæ cùm ita ſint, quale iudicium ſperare potes, & qualem animi tranquillitatem, in expectatione eius ſententiæ, quæ damnatura eſt tuos omnes affectus, & actiones? Fieríne poteſt vt credas & ſperes vitam alteram & non pertimeſcas in eo ſtatu, quo viuis, aut de corrigendo, non cogites?

III. PVNCTVM.

Propoſitum in futurum.

QVandoquidem omnis perturbatio calamitaſq́ue inde proueniat, quòd abripi nos ſinamus motibus naturæ, aliter res, ac reuerà oporteret, æſtimantis, abripientiſq́ue iudicium noſtrum: optimus hanc perturbationem corrigendi modus erit, ſi nihil moremur illos noſtros motus, illas naturæ propenſiones, illas opiniones, *Nolite iudicare ſecundum faciem*, externamq́ue rerum ſpeciem, aiebat Chriſtus, (a) *ſed iuſtum iudicium iudicate*. Natura ſolam attendit ſpeciem rerum, & ſenſum fallacem: quòd ſi fortaſſe mundum conſulat, etiam in errore vehementiùs confirmatur, cùm ex alio, quàm naturæ ſenſu mundus non loquatur;

(a) *Ioan. 7. v. Iac. 5. & Hebr. 12.*

quatur; at nobis sacræ sunt paginæ contrarium sentientes, in quibus Iudex noster dignatus est nobis palam facere Iudicium, quod de rebus fert, feretque aliquando. Vide quid statuant de diuitijs & pauperrate, de voluptatibus huius vitæ & miserijs; quid de honoribus & eorundem contemptu. Lege sanctorum Patrum volumina, considera vitam moresque illorum, qui optimi sunt sacrarum litterarum commentarij, quid aliud repertu-rus es, quàm vitam & Iudicium ijs oppositum, quæ à natura mundoque dictantur? Si verò illorum vita & iudicium cum Christi iudicio consentit, cur in istud manibus pedibusque non imus, cùm satis constet, tam illud esse infallibile, quàm alterum fallax est corruptumque?

(a) *Si non venissem, & locutus fuissem eis*, animique mei sensa hominibus non aperuissem, inquiebat Christus *peccatum non haberent*, aliqua excusationis specie se tuerentur, at posteaquàm ob oculos tam clarè illis proposui omnia, quibus in errorem inducuntur obsequentes sensibus, naturæque peruerso iudicio, quid prætexent, si pergãt iis potiùs quàm meis decretis obtemperare? Quin lata iam in illos sententia est, (b) *sermo meus, quem locutus sum, ille*, quo damnati opum, honorum, voluptatumque affectum, *iudicabit*, damnabit, *eos in nouissimo die*, qui hisce afficiuntur. Verbo obstrinxi fi-

 dem

(a) *Ex Ioan.* 15. (b) *Ioan.* 12.

dem meam, & vt obnoxius forem mutatio-
ni, possemque à decretis meis desciscere, non
facerem tamen; quod dixi, fiat necesse est, &
iuxta veritatem à me promulgatam, oportet
eos omnes, qui opes, honores, ac voluptates
huius vitæ consectantur, puniri in altera.

Quot verba Christi ore prolata tu spernis
totidem habes aduersus testes atque præiu-
dicia; quare (a) *consentiens esto aduersario tuo citò,*
ne forte tradat te aduersarius Iudici. Aduersarius
is, teste D. Augustino, est lex & scriptura Di-
uina, quæ nobis opponitur, si ad sensuum &
propensionum normam mores nostros com-
ponimus, huic esto consentiens, si damnari
recusas: vita enim tua ex illius decretis exa-
minabitur, iudicaturque. Nunc asserit te,
nisi efficiaris animi demissione *sicut paruulus, non*
intraturum in regnum cælorum, vide vt hisce ver-
bis consentiant mores tui, alioquin hæc ipsa
verba te iudicabunt: Nunc ait (b) *Væ diuitibus;*
væ, qui ridetis nunc; væ, cùm benedixerint vobis homi-
nes, consentiens esto huic assertioni, aut cer-
tam ab obitu tuo maledictionem exspecta;
ista enim væ in hanc vitam non cadunt, quã-
doquidem in eos intorqueantur, qui nihil ad-
uersi tolerare volunt in hac vita. Eodem pa-
cto percurre reliquum scripturarum, repe-
riesque Dei iudicium toties à tuo dissentire,
quot habet sententias à naturæ, mundique
decretis, alienas. (a) Ni-

(a) *Matth.* 5. *Vide* Augustinum de Serm. Do-
mini in monte. (b) *Luc.* 6.

(a) Nihil propriùs esset, quàm vt desperaremus, si post hasce considerationes vellemus nihilominus viuere viram tam oppositam Euangelio; verùm, potiùs ad hoc eæ considerationes assumunrur, ne velimus in hac oppositione viuere, cùm beneficio gratiæ mutare viuendi rationem nobis liceat, neque difficilius sit mores ad normam Euangelij diuinorumque iudiciorum, quam naturæ, exigere, An non facilius est veritati credere, quàm mendacio? An non est optatius demereri sibi Judicem, & de ipsa æternitate iudicium, quàm ijs se periculis exponere, in quæ nos sensus vitaque sensualis conijciunt? tantúmne est, operæque tam molestæ conformare affectus suos rationi ac Euangelio, vt ne eosdem illi conformemus, oporteat aut fidem Diuinis Iudicijs derogare, aut ea paruipendere, aut eorundem decreto fateri nos, iam nunc, & in perpetuum, damnatos?

Satis aduerto, mi Deus, te nulla mei iudicandi damnandíve cupidine teneri, quandoquidem tam sollicitè me mones, vt tuo attendam Iudicio; sed & istud video, nisi attendam, eò te adigendum, neque magis euasurum me damnationem meam, quàm iudicium tuum.

(a) v. *Apoc.* 20. & *Rom.* 2.

COMPENDIVM MEDITATIONIS in octauam veritatem.

I. PVNCTVM.

Eiusdem declaratio.

ANima corpore exiens illicò sistitur Iudici suo. Qualis exitus? qualis cõgressus animę, quę ex solis amoris proprij legibus vitam traduxit! quale in eam feret iudicium æquus ille Iudex, qui eo solùm fine vixit, mortémque subijt, vt hunc amorem proprium damnaret! Atque hoc est, quod peculiariter debet considerari, tum enim clarius patebit fallacia propensionum nostrarum, cùm agnoscemus iudicium illud, quo æstimare nos volunt res huius vitæ, prorsus oppositum esse illi, quo Christus easdem post mortem censebit.

Res sunt aut malæ, aut indifferentes, aut bonæ. Malæ, sunt peccata nostra, nostræ dissolutiones, vanitates, ambitiones, commodorum nostrorum prosecutiones, deliciæ, nimiæque huius vitæ voluptates. Si propensionem tuam consulis, quid in ijs omnibus malí sit, aut nullum agnoscet, aut si subsit peccatũ aliquod veniale, illud omnino flocci faciet, cõparatè ad reliqua huius vitæ mala. At profectò longè aliter aliquãdo sentietur, quãdoquidem

quidem agnituri simus in iudicio nostro particulari; vel vnum vnicum peccatum veniale, maius esse malum, quàm sint omnes contumeliæ, omnes iniuriæ, quàm atrocissima tormenta, quæ corpori possint inferri.

Res indifferentes sunt honor, scientia, opes, valetudo, cæteraque huius vitæ commoda, quæ à naturæ nostræ procliuitate sic commẽdantur vt arbitremur omnem in iis sitam esse felicitatem, & omnem existere miseriam in malis, quæ hisce opponuntur. At è contrario videbimus cum divite Epulone, maius in hisce bonis, fuisse miseriæ, quàm felicitatis argumentum, & in malis plus felicitatis, quàm miseriæ.

Res bonæ atque à sapientibus omnibus approbatæ sunt virtutes, at vbi natura componit illa cum donis exterioribus quæ viam aperiunt ad claritatem nominis, aut dignitatibus, quæ reddunt illustrem, plebique spectabilem; tam exiguo loco habet virtutes, vt propter hæc dona exterrora, nos priuet humilitate, virtute reliquarum principe. Ah quàm aliud, humilis Iesvs, qui exinanuit se, vt nos humilitatem doceret, manifestabit Iudicium! faciétque vt grauissimè sentiamus, in quæ pericula præcipitauerimus nos, dum potiùs obsecuti sumus naturæ deprauatæ, quàm ipsius infallibili iudicio, quod esse tamen norma nostri debuisset, & à quo nobis decernetur.

II. PVNCTVM.

Aduersio ad vitam præteritam, præsentemque.

CVinam ex hisce duobus iudicijs es conformior? quid pluris facis, an cum amore proprio, honorem & opes ; an cum Iesu contemptum atque paupertatem? Eloquere, & negare si non potes, quin oblatis occasionibus honoris aut contemptûs, non aliud sentias, quàm quod dictat natura, an non tibi quoque fatendum est, te iudici tuo aduersari, non iudicio solùm, sed affectibus omnibus, & actionibus vitæ tuæ? cùm enim affectus actionesque iudicio nostro se conformẽt, consequens est, vt, si iudicio ab illo dissentis, ab eodem quoque viuendi ratione prorsus aberres: Quod si ita est, quemadmodum rectè à diffiteri non potes, quæ sententia, quod decretum, quod iudicium à morte tibi subeunda sunt? & fieríne queat, vt aliqua animi tranquillitate fruaris, subiturus iudicium, quo vniuersæ tuæ actiones damnentur? o quanta mentis caligine obrutum esse oporteat eum, qui non videt, quanto viuat in discrimine, quisquis ex naturæ legibus viuit?

III. PVN-

III. PVNCTVM.

Propositum in futurum.

ERit, vt discas te penitùs conformare Iudicio Christi potiùs, quàm naturæ vitiatæ, illudque iudicium haurire ex sacris litteris, ex monumentis sanctorum Patrum ex eorundem vita, ex veritatibus hic tibi propositis, ex pijs denique instinctibus, quos de eo tibi suggerit benignum Numen, quosque par est habere maius momentum, vt acquiescas veritati, quàm habeant appetitus inordinati naturæ, vt mendacio obsequaris. Si ignotæ nobis forent veritates, & Iudicium quod de rebus fit in vita altera, proferre possemus aliquid quo excusaremus, at satis abundeque instructis quid superest aliud, nisi vt profiteamur malitiam nostram, quæ post tantam cognitionem mauult cum mundo delirare, exponereque nos periculo, quàm sequi veritatem, & securam reddere salutem nostram? O portentosam malitiam, dignamque pœna duplici, tum ob mala, quæ patrat, tum ob cognitionem horum malorum, quâ tamen non vtitur, ad hæc mala auertenda!

NONA VERITAS.

A cruciatuum æternorum consideratione sensim nos induci, vt agnoscamus, quò nos miseriarum rapiant peruersæ nostræ inclinationes, quamque necesse sit easdem oppugnare; & quanto discrimini pugna illa, per omnem vitam exercenda, nos exponat.

Militia est vita hominis super terram. Iobi 7.

Ego sic pugno, non quasi aërem verberans, sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne fortè cùm alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar. 1. Cor. 9.

MEDITATIO
in nonam veritatem.

I. PVNCTVM.

Declaratio propositæ veritatis.

ITerum opus est, priùs vltra quàm progrediar, tibi exhibere finem Meditationum huius

huius diei qui est manifestare tibi periculum, in quod te deuoluũt inclinationes tuę naturales in negotio salutis & perfectionis, vt discas præteritis mederi,& prouidere futuris. Iam nunc illud aduertisti ex meditationibus de Morte & Iudicio susceptis; id solùm modò supereſt, vt ex hac inferni, æternorumque suppliciorum consideratione te confirmes, clareque apprehendas in quod miseriarum barathrum nos abripiant peruersæ nostræ inclinationes,quæ vnà cum (a) Mundo & Dæmone coniurant aduersus salutem nostram, eoque vires omnes contendunt, vt nos perdant ruina irreparabili; ex quo patet non solùm necessitas cum eis decertandi, verùm etiam terribile in hoc certamine discrimen cùm nulla sit periculi expers pugna, & tamdiu pugnandum sit, quamdiu vita prorogatur,vtpote inter hostes,& in prælio constitutis.

Posses equidem ad fines alios referre considerationem inferni, vt, ad agnoscendam peccati atrocitatem, quod vel vnicum æternis hisce supplicijs castigatur; ad agnoscendam Dei Iustitiam ita peccatum peccatoreſque punientis; ad peruidendas alias eius, ex hac,perfectiones, cùm necesse sit, eum æquè bonũ esse ac iustum;atque ita excitare te posses

(a) *Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere. Si præstes animæ tuæ concupiscentias eius,faciet te in gaudium inimicis tuis,* Eccli.18.

fes ad illius timorem & amorem,(a) præsertim cùm toties infernum sis promeritus, quoties illum mortali crimine offendisti, eamque ille tibi gratiam præstiterit, vt in tempore teipsum, periculúmque tuum agnosceres. Posset etiam quis hinc excitari ad procurandam salutem animarum, quarum quanta sit iactura ex horum sempiternorum ignium aspectu, optimè colligitur: Denique nulla virtus est, nullum opus pium, quod ex hac materia disci nequeat: verùm vti in omnibus meditationibus, & præcipuè in hisce exercitijs, semper spectandus est finis, quem quis sibi proposuit, neque ab eo diuertendum est, nisi nos manifestè Deus aliò abripiat, ita hic istud specta, vt te confirmes in sancta illa apprehensione periculi, in quo, nisi prouideas, versaris.

Et considera primò quàm apta sit ad hunc finem meditatio inferni, cùm simul proponatur periculum incurrendi in ea tormenta, adeóque quò clariùs & tormenta, & periculũ perspicientur, (b) eò vehementiori timore percellietur animus, atque hic timor non solùm salutaris est, sed etiam necessarius, quando amor, aut aliæ rationes, non satis nos stimu-

(a) *Domine, eduxisti ab inferno animam meam: saluasti me à descendentibus in lacum.* Ps. 29.

(b) *Cum metu & tremore salutem vestram operamini.* Phil. 2. *Per timorem Domini declinat omnis à malo.* Prou. 15.

stimulant, vt periculum hoc caueamus.

Verum quidem est solam harum pœnarum considerationem parùm profuturam ad hunc effectum, nisi innitatur nonæ veritati periculum nostrum exponenti; quantacumque enim supplicia repræsententur animo, si tamen securi sumus & extra illorum adeundorum periculum, parùm aut omninò nihil nos afficient; at si cum malo, periculum quoque eius adeundi occurrat, tunc enimuerò percellimur mali metu, metusque id efficit, vt aut periculum declinemus, aut si declinari non potest, ita sollicitè nos geramus, quemadmodum fieri consueuit in periculo.

Ingredere igitur in hunc locum horroris tenebrarum, & confusionis, satius enim est viuentem descendere in infernum, (a) quàm morientem. Intuere oculis fidei & suaui mentis vsu potiùs, quàm contenta imaginatione, quo pacto animæ his æternis ignibus addictæ, omni pœnarum genere, sine vllo lenimento, idque æternùm, crucientur. Summa hîc considerandorum refertur præcipuè ad tria capita; quorum primum est, sustineri ab illis pœnas, quę cõcipi non possunt, nisi per aliquam similitudinem pœnarum nostrarum, tametsi hæ cum illis nulla ratione componi queant; nam quemadmodum nihil

apud

(a) *Descendant in infernum viuentes; ne descendant morientes*, Ex ps. 54. & Bernardo.

apud nos est, quod exhibeat pœnam damni, illam scilicet desperationem vnquam videndi Deum, ita nullam eius imaginem animo effingere possumus, sed tantùm credimus pœnam illam (a) horribilem esse oportere, vt quæ pœnas omnes reliquorum sensuum atrocissimas, sua tamen atrocitate excedat; neque verbis etiam exprimi potest aliter quàm quòd Deus tam immensum sit bonum, vt quemadmodum ab eius intuitu existit Paradisus atque felicis animæ beatitudo: sic etiam eiusdem priuatio cum desperatione eum vnquam viuendi coniuncta, Infernum constituat & grauissimum animæ miseræ tormentum.

Expende igitur pœnas sensuum, visûs, auditûs, odoratûs, gustûs, & tactûs, & vide, quid sit, volui (b) in his ignibus sempiternis, vbi nihil videtur, nihil auditur, nihil gustatur, nihil sub olfactum, nihil sub tactum cadit quod nõ grauissimè excrucier, idque ita continuè, vt ne momentum quidem quietis vnquam concedatur, quod alterum miseriæ caput est, essetsaltem interuallum, aliquod & leuamentum; sed minimè, omnis illius quoque spes intercidit. In hoc mundo bona malaque alternant & permiscentur in Cælo

(a) *Non videbo Dominum Deum in terra viventium.* Is. 38.

(b) *Ignis & sulphur, & spiritus procellarum, pars calicis eorum.* Ps. 10.

Cælo solo bona sunt, inferno sola mala.

(a) Esset saltē post aliquot annos, post centum, post mille, post centum millia annorum, post decies cētena millia, post centies cētena millia, post deniq; quidquid à te numerari potest, esset, inquam, finis aliquis & aliqua spes: at actum est, luendum tota æternitate, cuius non alia quàm existentiæ Divinæ mensura est, quamdiu Deus erit Deus, tamdiu Infernus erit Infernus, tamdiu damnati torquebuntur. Id tertium est caput, quo referri debent pœnæ infernales. At quis illas satis animo comprehendat, aut postquam comprehenderit, quis est, qui te non timeat ô Deus? quis, vbi imbuerit animum his veritatibus, offendere te ausit?

Magnam, sine dubio, vim habet hæc cogitatio, maximè si iuxta propositam veritatem quoque credimus nos in ingenti versari periculo, adeundi hanc infaustissimam æternitatem. Periculum verò istud tam euidens est atque manifestum, quàm certum est, nos in hoc mundo, & in hoc mortali corpore, viuere hostibus (b) circumseptos;

&

(a) *Vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* Marc. 9. *Quærent homines mortem & non inuenient eam: & desiderabunt mori, & mors fugiet ab eis.* Apoc. 9.

(b) *Militia est vita hominis super terram.* Iob 7. *Gregor.* 8. *Moral* 3. *vbi fusè demonstrat hanc militiam idem esse, quod tentationem.* &c.

& vitam hominis esse continuam militiam; & tam necessariò assidueque nobis decertandum esse, & vt si modico temporis interuallo quiescatur, iam natura, nemine repugnante, inuasura sit & rationem & gratiam & salutem, téque in extremum discrimen perniciemque adductura: tam enim in malum & ruinam animæ corrupta natura propendet, quàm in casum lapis, neque quidquam est, quod ruentis impetum sistat, quàm pugna & obnixus, qui cum Diuina gratia illi obijcitur. Hanc ob causam asserit D. Ioannes, (a) se in beatorum manibus palmas conspexisse, quòd nempe debellarint vicerintque; & propterea damnati à dæmonibus torquentur, quòd eis victas dederint manus.

Si ergo, qui in certamine est, quandiu illud viget, præcipuè cùm hostes viribus & conditione loci sunt potiores, se credit periculo non vacare: nos qui medijs in hostibus viuimus, non pariter fatebimur nos viuere medios in periculis, & vt Sapiens loquitur, (b) *in medio laqueorum*? & vt videas pericula esse Inferni & damnationis, quemadmodũ agnouit Vates Regius, (c) nónne verum est, quod quando non resistitur tẽrationibus dæmonis, respectibus mundi, aut inordinatis naturæ motibus, sed ijs ceditur in materia grauiore, tũ versari aliquem in periculo peccandi mortaliter,

(a) *Ioan. Apoc.* 7. (b) *Eccli* 9.
(b) *Psal.* 114.

taliter, séque perdendi? quid censes? Nónne etiam credibile est, magnum esse periculum, ne non semper resistatur, quoties in mentem veniunt cogitationes aduersùs Fidem, Spem, Charitatem, Castitatem, Humilitatem aliasque eiusmodi virtutes? Támne vigil tu es, vt eas sic excutias, vt periculum non sit ne immoreris ijs diutiùs, quàm oportet, abeántque prorsùs ex animo, nulla peccati relicta labe? Aut, si in ijs expellendis non satis excubas, nunquid hæ prauæ cogitationes non recedẽt, quin priùs ictum tibi lethalem inflixerint: idque toties totidemque modis, quoties occurrere tibi possunt varię aduersùs fidem, aduersùs Dei præcepta, aduersùs quamcumque virtutem, cogitationes? quot sancti hîc cecidêre? Quot, in Fide, dubia; quot in Deum & Præpositos, obtrectationes; quanta sui fiducia, aut desperatio; quot inuidiæ, quot vindictæ & aduersùs alios iniuriæ; quàm immoderati in creaturas, in opus, honores, voluptates, affectus? Quot respectus humani & simulationes, quot aspectus malè cauti, quot cogitationes lasciuæ? quantæ detractiones, quot repulsæ stipis aut operum ex Charitate exhibendorum? Quot bona iniustè detenta, quantus votorum, regularum, consiliorum, gratiarum, inspirationum contemptus; verbo, quanta morum licentia? & in his omnibus credas nullum esse salutis amittendæ periculum? vnde igitur tot periêre? vnde tam pauci

sancti-

sanctimoniam perfectionemque consequuntur, nisi quòd tam familiare sit in hac vita cogitationibus immorari, atque immorari tam sit periculosum, vt Apostolorum Princeps asserat (a) etiam iustum saluari vix posse, & vt S. Paulus metuat ne cùm aliis prædicauerit, eorumque salutem pro viribus promouerit, ipse reprobus efficiatur, & suæ iacturam faciat? Anime mi, vt sola esset ista post tantos Apostolos, nihil timendi nimia fiducia, sufficeret ipsa sanè in ruinam, & damnationem tuam.

(a) 1. *Petr.* 4.

II. PVNCTVM.

Adversio ad vitam præteritam & statum præsentem.

QVamvis in hoc puncto, quod excutiendis præteritis destinatum est, inspicere posse certamina tua; tuos casus, aut victorias, qua parte debilior sis, validiusque oppugneris, quâ te gesseris ratione, quæ damna tibi sint illata, quibus in periculis potissimùm versetis & quo pacto illa declines; etsi inquiri possent hæc vniuersa, ad damna illata meliùs sarcienda: tamen ad finem hoc die & meditationis propositum congruentius est, vt postquam abundè perspexeris in quibus versaris periculis, simul etiam agnoscas, ea te hucusque pro

pro eo, ac par erat, non æstimasse, vixisse te nimiâ fiduciâ, quasi infernus non existeret, quasi nihil esset tibi pertimescendum, quasi prorsùs in tuto tibi fuisset salus tua, cælumque assertum. Licet quidem illud sperare, sed vti aduertisti in S. Paulo, & obseruare potes in gestis Sanctorum omnium? spes non excludit sanctum timorem, sed potiùs timor spem roborat, illiusque defectu hæc euertitur, ac degenerat in periculosam præsumptionem quæ plerosque Christianorum Religiosorumque in perniciem deturbat.

Et cur existimas Deum non præstitisse securam tibi salutem tuam, neque gratias, sine quibus illa asseri non potest, nisi vt in hac incertitudine, & suspensione animi, tantò contentiùs, sollicitiusque (a) *cum timore & tremore salutem tuam operereris? Columnæ cæli*, inquit scriptura, *contremiscunt & pauent*, (b) & tu, Tabula carie exesa, & velut è naufragio reliqua quæ fluctibus tempestatibusque iactatur, inter *tot fluentia & labentia constitutus*, (c) vt Augustinus loquitur, & tremens loquitur, extra metum vis vivere, quin & ludibrio habere eos, qui metuunt, aut timoris te commonefaciunt? diceret se tibi admodum metuere (d) Bernardus, vt olim quendam tui similem allocutus est, nisi ipse tu tibi metuas: neque forsan res vlla est in tota tua vivendi

(a) *Phil.* 2. (b) *Iob.* 6. (c) *in Psal.* 136.
(d) *v. Bernardum in Tract. de donis Spir. S.*

viuendi ratione quæ maioribus te salutis amittendæ periculis exponat, quàm quòd pericula non formides. Istud enim quid est aliud, quàm periculis se temere inijcere, quàm repugnare scripturis & gratijs quæ attentum & sollicitum animum exigunt, neque alio pacto tibi succurrunt, quàm vt periculis cautus attendas? (a) *Vigilate & orate*, aiebat Christus discipulus suis, *vt non intretis in tentationem*. Præsens iis aderat, neque deerant vires ad eos tutandos, sed neminem ille vnquam in tentatione tutatur, qui non metuat, qui non vigilet, qui non operam suam cum illo conferat, vt defendi se patiatur.

O Domine, quàm procul absum à metu fugaque periculorum, qui ea etiam vltrò consector, dum prosequor honores, voluptates & opes, quæ ipsa arma sunt, quibus me hostes mei potissimùm oppugnant.

(a) *Matth.* 26.

III. PVNCTVM.

Propositum in futurum.

POstquam igitur agnoueris te non satis formidasse pericula, in quibus viuis; & huius formidinis sollicitæque curæ defectu, quam ad oppugnandas repellendasque occasiones adhibere oportuisset te eadem etiam exaggerasse, reddidisseque cumulatiora

Propo

Propositum tuum sit vt ita deinceps te geras, vti se gessit D. Paulus, qui de suo pugnandi modo loquens, asserit se non in aëre neque fictitio certamine depugnasse, sed seriò & reipsa castigasse corpus suum, ac frænasse naturæ cupiditates, si fortè aliqua paululum exorbitasset, ne incurreret in periculum reprobationis & damnationis æternæ, cui posset esse obnoxius, nisi se castigaret. Et vt hoc decretum tuum tantò sit solidius, considera signa, ex quibus colligi potest, vtrum quis viuat in iusto eorum periculorũ metu, an non.

Primum est quando nimiùm præsidenter & sine vlla cura & sollicitudine se quis in ipsas occasiones ingerit (a) non ignoras ita Petrum cecidisse, & hinc teipsum sæpiùs incurrisse in damna ingentia, hic igitur vt seriò attendas, decerne.

2. Quando quis paruipendit peccatum admittere, modò non sit culpæ lethalis, indicium est timoris exigui, & non procul esse, quin ruat in præcipitium, cùm tam propè illud accedat, & cùm sæpe arduum sit, culpam mortalem à veniali secernere; qui non timet admittere veniale, sine sensu admittet mortale, conscientia nimiam præstante fiduciam, quòd nolle mortaliter peccare, sibi videatur; & neque satis integra est illa cõscientia, cùm ne veniale quidẽ dedita opera & deliberato

(a) *Hesitare permissus est, vt nemo de sua virtute confideret* S. Leo.

berato animo sit admittendum.

Neque ista dumtaxat; si quis enim aduertit se obnoxium esse prauo cuidam affectui, qui nos, vt Christus loquitur *scandalizat, & lapis est offensionis*, nisi illum oppugnamus, nitimurque coërcere ac prorsus subiugare, manifestè prodimus debito nos timore nondum commoueri, nam Leonculum nutrimus, qui, si non adstringatur, aut potiùs præfocetur, certò nos dilaniabit.

Operosum istud est, inquies, at militia, cui viuentes adscripti sumus, (a) facit, vt aut acriter nobis dimicandum sit, aut hostibus de victoria; saluteque concedendum. Nónne maiorem molestiam creat ignauia vitæ, laborem omnem pro salute sua detrectantis, quam gloriosum certamen tam honestis æquisque rationibus susceptum? An non molestiores sunt Inferni tormenta? Quid dicturam putares animam istis damnatam suppliciis, si fieret illi facultas redeundi in vitam ad exantlandos eos labores quos tu subis aduersùs cupiditates tuas decertans? Quis foret sensus illius? & accepta conditione si postea de pugnæ molestia quereretur, vti mos est tuus, a meritò

(a) *Mortificate membra vestra quæ sunt super terram* Coloss. 3. *Milites Christianos Apostolica tuba illo sonitu descendit in prælium; bellum, in quo vincamur, ostendit, & vt acriter dimicemus contra hostes nostros mortificemus, ne ab eis mortificemur.* Aug.

meritò rectéque facturam censeres? nónne obijci posset, illam graviora passam in Inferno, debereque se felicem æstimare; quòd æterna ista supplicia in exiguam hanc pœnam temporaneam; quæque cum illis collata, etiam delitiarum nomen meretur, commutasset? (a) Age verò, nónne tu Infernum promeritus es? Nónne illa supplicia iam exsorberes, nisi te hactenus sustinuisset diuina benignitas? & minúsne beneficium est non adiisse, quod merebaris, quam post toleratos diu cruciatus inde liberari? An non idcircò tibi facta gratia, vt imposterum esses vigilantior, generosiusque te adorirêre, ac æquo animo sustineres, quæ hæc vigilantia generositasque suaderet esse sustinenda? Et post hosce fauores, post pœnas Inferni in leues illos & exiguos labores commutatas, videberis tibi, nimiùm pati & te prorsus eximium ab omnibus molestiis esse oportere? Caue, caue, ni Deum velis concitare in perniciem tuam, quemadmodùm accidit filiis Israel, cùm è dura Egyptiorum erepti seruitute modicum itineris laborem grauiter ferentes Deo obmurmurarunt. Horum

(a) *Quid habes homo inanis conqueri? quid sordide peccator potes contradicere exprobrantibus tibi, qui toties Deum offendisti, & Infernum multoties meruisti? Sed pepercit tibi oculus meus, vt ad veram subiectionem* &c. 3. de Imit. Pi. c. 13

exemplo hac in materia vtitur. D. Paulus (a) & profectò vim habet maximam, ad ſtabi-lienda propoſita noſtra.

(a) 1. *Cor.* 10.

COMPENDIVM MEDITATIONIS in nonam veritatem.

I. PVNCTVM.

Declaratio eiuſdem.

QVamquã repellenda non ſunt lumina, & affectus, qui ex infernalium tormentorum conſideratione deſumi queunt, nihilominus maiorem finis hoc die propoſiti, quàm illorum habe rationem. Finis porrò eſt, vt agnoſcas formideſque pericula, quibus te tuis obſequendo cupiditatibus, immittis. Hanc in rem proponitur tibi nona veritas conſideratione digniſſima, cùm demonſtret non minori te in periculo viuere, quàm qui hoſtibus cinctus oppugnatur, in eaque pugna non agi de re nihili, ſed de ſalute tua æterna, hoc eſt de Cœlo, aut Inferno. An non ingens eſt timendi ſuique domandi argumentum, si animo rectè percipiatur huius veritatis ratiocinatio, quæ eſt eiuſmodi.

Quiſquis impugnatur, verſatur in periculo at quiſquis viuit, impugnatur à ſuis cupiditatibus, ergo quiſquis viuit, verſatur in periculo tantoqu

tantoque grauiore, quantò ignauiùs, qui viuit, repugnat; nisi enim impugnantur cupiditates nobis à natura congenitæ, pondere suo nos vitium salutisque iacturam abripiunt, adeoque perpetuò pugnandum est, assidueque viuendum in periculo, propter incertum pugnæ exitum, cùm in hac pugna æquè pronum sit vinci atque vincere: Et quia aduersus nos ipsos hoc certamen instituitur; crebriùs succumbimus, quàm victoriam de nobis reportemus: prodimus enim ipsi nos; hostilem in modo nos non persequimur; odimus nos, nimiùm amando; & dum nolumus nos superare, miserrimè superamur.

An non igitur hîc manifestum, grauissimumq; periculum censendum est, vbi agitur de superādis nobis ipsis, molestissimo scilicet pugnæ genere, & victoria longè omnium difficillima? vbi de inferno & æternitate agitur, nisi quis secum decertet, ac de se reportet victoriam. O cogitationem rectè viuendi, moriendique magistram! sed vide, ne ita pugnæ memineris, vt periculum, obliuiscaris Inferni, vtriusque iungenda cogitatio est, vt vim habeat. Parum proderit pugnam cogitare, nisi quoque aduertas animum ad discrimen Inferni adeundi, neque Inferni consideratio admodū te percellet, nisi cogites pronū esse, vt eò deuoluaris. Sic igitur intuere hūc ignē deuorantem, & ardores illos sēpiternos, vt vnà memineris periculi, in quo versaris,

dum circumfers tuas cupiditates, quas perpe-
tuò oppugnare neceſſe eſt, niſi certò velis per-
ire : imò ne tum quidem eris extra pericu-
lum, cùm illas oppugnabis , quandoquidem
incertus eſt pugnæ exitus , & niſi illas ſubiu-
gaueris, tam certò periiſti, ac ſi illas non op-
pugnares.

II. PVNCTVM.

Aduerſio ad vitam præteritam , præ-ſentemque.

ANimadvertere poſſes , qua ratione t
geras: in tuis certaminibus, quas refera
victorias, aut quæ damna; vnde illa eveniant
& qua parte ſis debilior. Conſiderari poſſun
hæc vniuerſa, pluris tamen intereſt; vt videa
an præteritis temporibus , ſatis illud, in qu
verſaris periculum formidaueris , nam de-
fectus huius formidinis omnium tuorum
lapſuum & iacturarum origo eſt & fon
Infelix & ſtolide, quid cogitas, ſi non cogita
iſtud periculum? ſi verò iſtud cogitas, tantán
tui fiduciâ laboras , vt exiſtimes euadere t
poſſe ex hiſce periculis ſine metu, præſertim
cùm ſecuriſſimi quique metu contremiſcant
& ab hoc ipſo metu corroborentur; reddan
turque ſecuriores? Vides cæli columnas, v
ſcriptura loquitur, contremiſcere , & tu trab
exeſa , tempeſtatibusque expoſita audebi
etiam inſultare metuentibus! In hoc præli
me

metuere non est ignaui, sed prudentis, quandoquidem Gratia, sine qua vinci non potest, hunc metum exigat, neque animi fortitudini, sed præsidentiæ dementiæque hîc adscribenda est securitas, cum diuina minetur Iustitia se nimium securos, suorum hostium libidini permissuram, quid habes, quod opponas?

III. PVNCTVM.

Propositum in futurum.

NIhil minùs hîc decernendum est, quàm quod statuit olim D. Paulus, asserens in confirmationem propositæ veritatis, se tale pugnandi institutum tenere, vt non aërem ludicra prælii imagine lacessat, sed seriò castiget corpus suum, & sensus, propensioneſque naturæ redigat in seruitutem, *ne* inquit, *cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar*, excidamque salute, quam promouere in aliis contendo. Vides vt Paulus viuit in certaminibus & timore? vides timores hos non procedere ab ignauia, aut abiecti animi vilitate, cùm rem ipsam aggrediatur, seque generosè oppugner, idque prudens, non temere, sed iustissimis de causis faciat? nam, alias, inquit, reprobus efficerer, & cupiditates meæ, quæ mei oppugnandi nullum faciunt finem, facilè, ni obsisterem, in malum me præcipitarent, quid tu ad hæc? nónne par tibi ratio est vt istam pu-

gnam, & tuorum sensuum, cupiditatumque moderationem continuam decernas?

Notæ & effecta seriò suscepti propositi sint, declinare omnes peccandi occasiones; nullum facere peccati discrimen, grauéne sit, an leue, vt istud euites, cùm D. Paulus leue pariter ac graue, euitarit; & denique nullam in animo tuo, vlli cupiditati quietem concedere, ne fortè foueas hostem, qui pacem simulat, vt grauiùs te adoriatur, & silet, vt nihil opinantem circumueniat. Quòd si metuis pugnæ difficultatem, illéque metus à pugnandi studio te auertit, animos tibi suffice his similibusve verbis: demens es, quòd pœnam metuens non pugnas, si enim pœnam metuis, cur non formidas pœnam inferni, quam, non pugnando, incurris? pugnandi ergo studium in te potiùs accendat metus, quandoquidem pugnando declinetur malorum omnium pessimum, & iuxta leges prudentiæ, par sit, vt iustus grauioris mali metus, pellat ineptum metum minoris.

CONSIDERATIO
in Tertium diem.

De prima in Actione diei, seu modo surgendi: deinde de Meditatione & Consideratione.

1. ANimo in præsentia Dei constituto, imploratáque eius Gratiâ, vt intellectum

ctum tuum in hac Consideratione illuminet, ordire à prima diei actione quâ surgis è lecto, & cogita tanti eam esse momenti, vt conceptis verbis nos Spiritus sanctus diligentiæ adhibendæ monuerit: (a) *Hora surgendi non tetrices*; quasi diceret, hora surgendi semel seriò constituta, nihil amplius hæsitandum deliberandumve esse, sed quod constituisti, exequendum. quam tu diligentiam adhibes?

2. Prima mentis cogitatio in Deum vergat, necesse est, quantùm quidem per eius gratiam fieri potest, aut illum laudando, inuocando, orandóque, breuî quadam, sed ardenti, prece, aut recitatione psalmi alicuius, aut hymni, aut alio quodam modo, qui tibi videbitur accommodatissimus. qualem obseruas?

3. Memoria nulli rei se magis, quàm materiæ Meditationis proximè instituendæ, applicare debet: voluntas etiam testetur, oportet, desiderium illam bene peragendi, expediendo se, quàm citissimè, rebus omnibus alijs. An non longior es in te vestiendo, aut nimis facilè mentem tuam alienis cogitationibus permittis euagari?

4. Sunt qui, prius aliquos actus Pietatis exercent, quàm plenè se vestiant, aut quàm Orationem suam aggrediantur, vt adorationis, Gratiarum Actionis, Contritionis,

(a) *Eccli.* 32.

Oblationis sui, Petitionis,& Propositi. Alij illos reijciunt in meditationis principium,vacantes intereà relegendis aut recolendis punctis, quæ meditanda sibi proposuêre. Quos imitaris tu, & quo affectu exhibes Deo hæc obsequia ?

5. Considera an non præstet te quietè exspectare horam Orationis, quàm ab eadem inopinantem occupari ; & quâ mentis corporisque compositione plerumque existatrum,quando Deus te ad alloquium suum exspectat.

6. Percurre animo,quæ legisti aliàs de modo faciendi Orationem mentalem & quâ turatione eundem obserues. Quî peragis præparatoriam, vt vocant, orationem, quo situ corporis,qua animi demissione illam aggrederis ?

7. Qualia sunt tua præludia ? qualiter exhibes animo argumentum finémque Meditationis? an non es in ijs iustò prolixior, autæquò breuior ?

8. Ratiocinationes intellectus & affectus voluntatis propriè constituunt corpus Meditationis,quod à Spiritu S.velut anima, animatur,dum illustrat, instruitque intellectum & permouet voluntatem,circa ea, quæ nobis vtilissima, maximéque necessaria sunt ; quomodò ista te afficiunt ? quem fructum indè percipis ?quid in te fructum illum aut promouet,aut præpedit ?

9. Collo-

9 Colloquia & Proposita deinde consequuntur: quo animi feruore ijs incumbis?

10. Meditationem semper excipere deberet recollectio quædam, tametsi non semper multum temporis possit in ea collocari; nihilne hic à te negligitur?

11. Consultissimum est huic recollectioni adnectere breuem Considerationem totius diurni temporis de negotio maximè molesto vrgentíque; de occasione, in qua commoueri posset naturæ impetus, nisi prospiciatur; de bonis operibus, quæ peragi eo die possent; de prauis, quæ fugienda; de intentione, omnibus actionibus adhibenda; de virtutibus quæ actionibus propriæ sunt; de munere à se exequẽdo; de re domesticâ, alijsque similibus argumentis. Non videtur tibi perire tempus, quod huic considerationi impenditur? Erras longissimè, vtilius impendi non potest; quare obfirma animum & statue huic sanioris prudentiæ exercitio quotidie vacare.

12. Luberétne cubitum concedere, non peracto Examine diei, quo vitia tua agnoscas ijsque adhibeas remedium? at nónne satiùs est matutinis horis præuidere vitia, quæ accidere possunt, quàm vespertinis eadem deplorare, eò quòd præuisa non sint? responde.

13. Etsi nonnunquam, adhibita etiam ista prouidentia, peccetur, lapsus tamen & rariores sunt & minùs voluntarij, & signum est

voluntatem non esse malo addictam, quando quis nititur illud prænoscere atque euitare; at nullam eius habere rationem, aut negligentiæ, aut contemptus est indicium. quid causaris?

14. Excusatio, quæ ab aliorum negotiorum mole capitur, inepta est; quantum enim aliàs perit temporis, cuius iacturam non querimur? imò nunquam meliùs peraguntur negotia, quàm cùm præcessit eorundem consideratio.

15. Si hora matutina tibi non videtur apta huic considerationi, nullane toto die erit, quam illi possis commodare? Fatere, non aliquam reperires, si luberet? & cur non lubeat?

16. An non ingentis esset meriti se ad hoc pium opus astringere, non solùm propter vim quam tibi infers, sed etiam ob ingentia emolumenta, quæ tibi, post exiguam molestiam, inde prouenient? cur perire tibi sinas hoc meritum? an quæstus vllus animæ lucro æquiparandus?

17. Diebus saltem Dominicis manè conijce oculos in secuturam septimanam: nec omitte per mensem, die aliquo, tempus matutinum impendere considerandis rebus tuis, vt eas instaures, vti dictum est alibi.

18. Nisi omninò plumbeus es, miraberis tot stimulis opus esse, vt inducaris aliquando ad amplectendum istud medium, quod progressioni in virtutibus faciendæ præsentissimum

mum est. Quantus honor, quanta felicitas existimatur, esse Regi à Consilijs, & in illis regni negotia pertractare? Age, negotiúmne salutis tuæ, tibi videtur momenti minoris? quando igitur Deus te euocat in consilium, huius causâ negotij, nónne sufficientem tibi habet honorem, vt credas, te sine illius iniuria abesse non posse?

19. Agnosce non esse, nisi meram negligentiam, viuendique libertatem, quæ his legibus obligari se non patitur: & eius veniam à Deo supplex deprecare.

20 Constitue horam tali Consideratioui, & excogita modum illius faciendæ, quàm potes, optimum; & in hanc rem à Deo Gratiam implora.

LECTIONES.

Ex scriptura 5. cap. libri Sapientiæ & 16. Euangelij S. Lucæ.

Ex libello Exercitiorum, Meditatio de tribus hominum classibus.

Ex Thoma Kempensi cap. 23. & 24. Libri 1.

QVARTVS DIES.

De emendatione vitæ, ad exemplum Christi Domini, quod ad tres illos actus, Perfectionis, *Abstinere, Agere, & Pati*, reducitur.

DECIMA VERITAS.

Quòd, nisi conuertamus nos, & Paruulorum instar efficiamur, nunquam simus salutem consecuturi.

Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut Paruuli, non intrabitis in regnum cælorum. Matth. 18.

MEDITATIO

in Decimam Veritatem.

I. PVNCTVM.

Declaratio eiusdem.

EXpensis animo periculis, in quæ ruimus, obsequendo cupiditatibus nostris, propensio-

penſionibuſque naturæ, quæ eouſque miſeriarum nos præcipitant, vt æternùm ſimus infeliciſſimi: Quid ſupereſt, niſi vt, cum Prodigo, redeamus ad nos, agnitáque miſerrima ſorte, quò nos redegit noſtra viuendi licentia, ſeriò, de vertendo gradu, quærendiſque medijs Perfectionis, quibus ad finem noſtrum promoueamur, cogitemus? Iſte huius diei ſcopus eſt, atque eò imprimis ſpectat decima Veritas, dum aſſerit, tam neceſſariam eſſe conuerſionem noſtram, neque qualemcumque, ſed talem, vt à Paruulorum moribus nihil omninò diſſideamus, vt niſi illam conſectemur, ſimus excludendi Regno cælorum, qui finis eſt, quò debemus aſpirare.

Porrò vt ſeriæ conuerſioni animum applices, perſpicienda cum primis eſt huius conuerſionis neceſſitas; ſi enim moniti tantùm loco aut Conſilij, quod amplecti aut reſpuere liberum ſit, proponeretur, pauci ſanè morum mutationem aggrederentur, cùm pauciſſimi, etiam propoſita neceſſitate, debitam illi operam adhibeant.

Age igitur, cogita, tantam eſſe neceſſitatem vt nulla vrgentior excogitari poſſit, cogimur enim, niſi velimus ſimul amittere ſpem omnem & ius conſequendi Finem noſtrum. Id teſtatur ipſa Veritas, ipſe Chriſtus decretoriam fert ſententiam, verbis tam grauibus ſeueriſque, vt vix aliunde credamus neceſſi-

tatem

tatem Baptismi & Pœnitentiæ, quàm quod eadem loquendi formula illam denuntiarit: (a) *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*; &, *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes peribitis*. Si putares te nondum baptismo initiatum, aut haberes conscientiam ream alicuius grauioris delicti, an non recurreres ad vtrumque illud sacramentum Baptismi & Pœnitentiæ? Cur autem, nisi quod vtrumque Christus tibi necessarium esse pronuntiauit? at cùm eodem penitùs modo locutus sit de necessitate Conuersionis, cur pariter illi non assentiamur? Et reipsa Conuersio nihil est aliud, quàm Pœnitentia, sicut Pœnitentia aliud non est, quàm seria Conuersio, & species quædam Baptismi, nos regenerantis reuocantisque ad infantilem innocentiam.

Et vt intelligas, ad te spectare Christi sermonem, quando homines de Conuersionis necessitate commonefacit, proponit exemplum, quod te quoque complectitur, neque minùs te, quàm quemcumque alium obstringit, nisi iam perfectionem plenè sis assecutus: ait enim: *Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut Paruuli*, vt significet nos, qua necessitate tenemur nos conuertere, eadem quoque obligari ad tantam morum mutationem, vt tales fiamus per virtutem, quales sunt Paruuli per naturam; alioquin Conuersionem non fore seriam.

(a) *Ioan. 3. Luc. 13.*

seriam. Ex quo necessariò consequitur, aut adeptum te iam gradum illum Perfectionis, qui in exemplum adducitur, aut obligari te vt vires omnes contendas, donec illum assequaris: Generatim enim dictum omnibus, qui absunt ab hac infantia spirituali: *Nisi conuersi fuerint, & efficiantur sicut Paruuli, non intraturos in regnum cœlorum*, sed æternùm perituros: Ex præcedentium autem veritatum consideratione aduertere facilè potuisti, adeò te non peruenisse ad hunc gradum Perfectionis, vt etiam ab eodem abiis quàm longissimè; consequens igitur est, vt ad te dirigatur hic sermo, in te feratur hæc sententia: *Nisi conuersus fueris, & efficiaris sicut Paruulus, non intrabis in regnum cœlorum.*

Cùm ergò hoc agatur, vt redeamus in viam, quâ itur in regnum istud æternum, vnde nos deuios egerat natura corrupta, vt tandem in infernum præcipitaret: non poterat offerri ratio magis expedita, neque medium commodius, quàm vt quis sese conuertat, conetúrque effici, vt Paruulus: nam hæc Conuersio, & ista Infantia spiritualis nihil aliud est, quàm relicto viuendi instituto, quod ex naturæ sensuumque præceptis, agebatur, vitam iniri rationi Gratiæque conformem, ita vt, quemadmodum infans, qui nondum à bono malum discernit, est innocens, expers malitiæ, ambitionis, reliquorumque vitiorum, quibus crescens

ætas

ætas nos imbuit; sic nos, diuinæ gratiæ, beneficio, & vi propositi mox capiendi de seria conuersione, & per diligentem cordis custodiam, attentionemque omnibus actionibus nostris adhibitam, non amplius consentiamus ulli peccato, saltem deliberata, plenaque voluntate, vti factum est antehac; &, si omninò abstinere à peccatis non possumus, quæcumque accident, potiùs fragilitati, imprudentiæ aut inconsiderantiæ, quàm malitiæ, & deditæ operæ possunt adscribi.

Atque hoc modo Apostoli & sancti Patres hanc infantiam exponunt. (a) *Malitia paruuli estote*, inquit Paulus hoc est, ita comparati simus à propensione in malum voluntaria, quæ propriè malitia est, ac si illa propensione affectuque careremus: nam etsi prorsùs euelli in malum propensio non possit, possumus tamen eius motibus non obtemperare, quin sic ope diuinæ gratiæ, nostræque libertatis, illi resistere debemus, vt tam parùm voluntariè committamus malum, ac si in illud nullo modo propenderemus: ille enim resistendi conatus, impetum propensionis eneruat, nosque in statu Innocentiæ, & Infantiæ sanctioris constituit, (b) vnde facilis & secura sit ad salutem & perfectionem, via.

Verùm obserua hîc 1. quando dicitur, te malo affici non debere, non intelligi dum-

taxat

(a) 1. *Cor.* 14.
(b) *v. Aug. in Psal.* 75.

taxat malum peccati, cui, quatenus peccatum est & malum, ne flagitiosissimi quidem afficiuntur, sed rem, quæ mali causa est, seu potiùs delectationem, quæ ex re amata percipitur, vt ex honore, ex opibus, ex voluptatibus; huic malo dicimus te non magis affici debere, neque magis obsequi propensioni eò te trahenti, quàm si fores Infans, & nondum idoneus huic malo perpetrando.

Obserua 2. quòd etsi hæc delectatio, cui peccatum est annexum, non sit tam immoderata, vt peccatum propterea fiat mortale, nihilominus, si malitiâ paruuli esse volumus, quemadmodum esse nos oportet, æquè abominari debemus hoc leue peccatum, atque aliquod grauius; hoc enim agit (a) Christus, vt abonimemur fugiamusque quodcumque peccati genus; id intendit, vt viuamus in serio nullum admittendi proposito, quantum quidem id fieri per Gratiam poterit; alioquin si hanc nobis indulgemus libertatem, vt pro arbitratu quædam euitemus, quædam non; fouebimus ita naturam in peruersis suis propensionibus, vt aucto in dies robore, nos abreptura sit in scelera grauiora, viribus resistendi paulatim apud nos marcescentibus, quas quotidiano obnixu poteramus confirmare

(a) *Ab omni specie mala abstinete vos.* 1. Thessal. 5. *Conuerte te ad Deum, & relinque peccata tua: precare ante faciem Domini & minue offendicula.* &c. Eccli. 17.

mare, nam illi cedendo, debilitamur, ipsaque Gratia tepore nostro perfidiaque offensa nos destituit, destitutos verò nobisque relictos agi præcipites in grauiora, quis miretur? vniuersè igitur, & à quocumque peccato necesse est nos conuerti, transireque in more Paruulorum prorsus innoxiorum, & a quouis flagitij genere abhorrentium, vniuersè hæc Infantia opponitur malitiæ, aduersatur libertati, quâ quibusdam occasionibus plus nobis licere existimamus; Generatim quoque monet ea Apostolus, (a) si secundum carnem & leges corruptæ naturæ vixerimus, nos morituros, nos tandem aliquando lapsuros in delictum mortale, nisi deliberatum tibi sit obniti quibuscumque motionibus, quæ ad peccatum aliquod, qualecumque istud sit, solicitant.

Neque assignari potest ulla commodior notio eorum verborum, quibus suos Christus discipulos, & in ijs nos allocutus est; *Nisi conuersi fueritis* &c. an nondum conuersi erant, an non iam reliquerant omnia, vt Iesum sequerentur? Quid igitur sibi vult, quòd adhuc Christus conuersionem ab illis exigat, & talem quidem, vt nisi eam adhibeant, excludendi sint regno cælorum, planè quasi nihil hactenus præstitissent? scilicet adhuc superbiâ atque ambitione laborabant, scilicet adhuc disputabant (b) *quis eorum maior esset*, sube-

(a) *Rom.* 8. (b) *Marci.* 9.

ſuberant adhuc naturæ motionibus, neque dum ijs, qua par erat, ratione repugnabant: vnde cæpit occaſionem optimus Magiſter eos admonendi adhuc neceſſarium illis eſſe, vt ſeſe converterent, efficerenturque vt Parvuli, ſignificans eo conuerſionis & Infantiæ nomine, ſeriam deliberatamque voluntatem non obſequendi motibus naturæ, nihil aliud, quàm honorem, voluptates, commodaque ſectantis: Etſi enim ea illorum ſuperbia fortaſſis aberat à culpa grauiore, niſi tamen eiuſmodi motibus reſiſterent, poſſent incidere in grauiores & ſalutis diſcrimen adire, vti ſuo caſu teſtatus eſt Iudas: adeoque ad ſalutem illorum aſſerendam, neceſſe erat vniuerſim omnibus illis naturæ propenſionibus renunciare, itaque frangere earum impetum, vt nullo ijs pacto conſentirent, ſed infantili prorſus innocentia à quouis omninò ſcelere manus, mentemque abſtinerent.

Vt reipſa, (a) vix ſpiritum S. receperant, cùm illicò feliciſſimam illam quoque ſortem adierunt, in eaque ad mortem vſque conſtanter perſeuerârunt. In eum etiam finem tibi parata eſt à cælo gratia, & tuo vitio fiet, ſi generoſam illam conuerſionem non aggrediaris, maximè cùm iam ſcias illam eſſe tam ne-

(a) *Facti ſumus paruuli in medio veſtrûm.* 1. *Theſſ.* 2. *Deponentes igitur malitiam, & omnem dolum, & ſimulationes & inuidias, & omnes detractiones ſicut modò geniti infantes* &c. 1. Petri. 2.

necessariam, vt absque ea spes omnis perfectionis, adeoque salutis consequendæ accisa sit.

Credebam ô Deus, cum de Conuersione sermo fieret, id fieri Infidelium, Hæreticorum aut perditissimorum hominum dum taxat gratia; vt video nunc tam ad me illum, quàm ad alios spectare. Quocirca te rogo, vt mihi manifestes tum impedimenta huic conuersioni aduersa, vt ea amoliar; tum stimulos, quibus ad eam amplectendam, possim permoueri.

II. PVNCTVM.

Aduersio ad vitam præteritam, & statum præsentem.

NOta tria hîc impedimenta, quæ vitæ anteactæ ratio tribus animæ facultatibus impressit, quæque conuersioni tuæ moram inijcere nunc possunt, nisi iis occurras.

Primũ est, in intellectu error, falsaque opinio, quasi conuersio solùm pertineat ad grauium scelerum reos: sed instructio, quâ mox didicisti, illam esse tibi quoque perneces-sariam, hoc errore te liberat: & profectò istu-vnicum exemplum Apostolorum, quos Christus alloquebatur, satis esset idoneum, ad conuincendum, quandoquidem ab eorum perfectione plurimùm abiis, pluribus quàm

ii,vitijs labores maioribus,in grauiora labendi scelera, periculis sis expositus, quàm illi, qui familiari tum Christi consuetudine fruebantur, quando de conuersione sunt admoniti;ac proinde,non dico,par, sed maior tibi, quàm illis,incumbit necessitas te convertendi.An non ita est?indubitata ergo fides huius veritatis erit huic primo impedimento remedium.

Secundum prouenit à voluntate, & appetitibus naturalibus, qui semper in malum proni,& longo vsu, dum illis obsecutus es, redditi procliuiores,molestiam tibi facessent; illaque molestia poterit successum seriæ conuersionis præpedire. Verùm necessitas conuertendi te,amouendique quoscumque obices, te obligat ad hanc superandam molestiam,& generosa in (a) Deum fiducia, & spes, quod eius gratiâ quidvis possis,addere debet animos, vt fideliter satisfacias obligationi,quâ teneris te Deo plenè dedere, nullamque prætermittere operam, donec illud sis consecutus.

Tertium impedimentum esse poterit à Memoria repræsentante præteritarum rerum imagines, quibus immoderatiùs adhæsisti,quæque nouum iter insistenten ad pristinos sequendos affectus importunè reuocabunt. Sed perdura,optimum in similibus malis,

(a) *Fidelis est, qui vocauit vos, qui etiam faciet.* 1. Thess. 5.

lis, quæ nolentibus accidunt (a) remedium est patientia, fer æquo animo, quin iis insulta & dic, te ne latum quidem vnguem, earum occurrentium specierum gratiâ, à suscepto proposito discessurum, nolentem in scelus inducere non possunt, & si firmus fueris in eo animi decreto quod tibi nunc capiendum est, semper eris nolens, adeoque nihil te impediat.

(a) *Nihil nunc damnationis est ijs, qui sunt in Christo Iesu, qui non secundùm carnem ambulant.* Rom. 8.

III. PVNCTVM.

Propositum in futurum.

DVo loquendi modi sunt in scripturis, quos in materia Conversionis diligenter advertere oportet: primus ad Deum dirigitur à nobis: (a) *Converte nos Domine, & ad te convertemur*: altero Deus nos alloquitur (b) *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos.* In speciem quidem illi differre videntur, sed reuerà consentiunt; prior docet, nos propriis viribus conuerti non posse, opus esse diuino auxilio, quod implorare oporteat, quodque recusaturus non sit. Ab hac igitur agnitione fac initium, & tam corde, quàm ore dic: Converte me, o Domine, ad te, & conuertar: id ex me facere non possum, possum verò per te;

(a) *Thren.* 5. (b) *Zach.* 1.

per te; Tantus fauor excedit merita mea, sed infra bonitatem tuam est & merita filij tui, & patrocinium sanctissimæ Matris eius, per quæ hunc exoro.

Alter loquendi modus declarat, duo ad veram conuersionem concurrere genera gratiarum, quarum primam non meremur, sed illam à Dei bonitate & misericordia flagitamus, quæ nos excitando stimulandoque inchoat conuersionem nostram. Secundam vsu prioris gratiæ, cui cooperamur, mereri possumus, tum enim Deus reddit illam conuersionem perfectam, absolutamque, atque idrico rogat nos, vt conuertamur ad illum, vt scilicet priore præuenti gratiâ testemur collatione operæ nostræ, nos seriò vitæ emendandæ desiderio teneri; tum ille conuertetur ad nos, id est, omnia necessaria auxilia (a) liberaliter suppeditabit.

Age, igitur, anime mi, quandoquidem receperimus iam primos illos fauores, vt velimus conuerti, non est standum his primis intiis, sed porrò cæptis insistendum, vt integram gratiam obtineamus; aliquid boni operis hodie Deus à nobis exspectat, quid præstabimus? Paululùm hac de re tecum delibera, & si nihil occurrit aliud, vide quid potissimum te retineat vt non conuertaris, (a) neque te plenè

(a) *Adeamus cum fiducia ad thronum Gratiæ, vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno.* Heb. 4.

plenè consecres (a) Divinæ Maiestati : vim tibi infer, & illud spontaneo sacrificio immola, abrumpe hoc qualecumque vinculum, subi hanc difficultatem, & ita te Deo dedica, vt nullam omninò rem excipias, quæ non vnà tecum illi integerrimè consecretur.

Propone tibi ob oculos Magdalenam, aut filium (b) Prodigum, aut Zachęum, aut alium aliquem serio se conuertentem. Cogita quid facturus esset Ethnicus, Iudæus, Hæreticus, aut profligatæ vitæ homo, si is traducerent ad frugem meliorem, idque institutum suum publicè profiterentur. Idem crede tibi statuendum esse de prauis tuis cupiditatibus, si ab iis, vti par est, velis resilire. Considera quid sit in religionem ingredi, eius habitum induere, in ea solemnibus se voti obligare; nimirum est, Mundo nuntium remittere, & bonis omnibus, quę in eo quis possidebat. Ad eum modum tibi renuntiandum est cupiditatibus tuis: tam enim, ad viuendum consentaneè rationi ac spiritui iuxta conditionem tuam, obligatus es, vt ijs nuntium remittas, quàm necesse est à Religioso mundum deseri, vt status sui perfectionem assequatur. Denique existima te mortuum iamqu

(a) *Si in toto corde vestro revertimini ad Deum vestrum, auferte Deos alienos de medio vestri, & præparate corda vestra Domino, & seruite soli* &c. 1. Reg. 7.

(b) *Luc.* 7. & 19.

iamque (a) in sepulchro collocatum, & qui expers sit motus omnis naturalis; & revera carere: debes eque motibus volũtariis sensualitatis ac si vitâ careres: & ipsa conuersio & melioris vitæ decretum quid aliud est, quàm mors quædam sensualitatis (b) *vt viuas Deo in Christo Iesu Domino nostro*, eiusque gratiæ. O mortem meritò exoptandam, quam talis vita consequitur!

(a) *Existimate vos mortuos esse peccato, viuentes autem Deo in Christo Iesu Domino nostro. Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentijs eius.* Rom. 6.

(b) *Rom.* 6.

COMPENDIVM MEDITATIONIS in decimam Veritatem.

I. PVNCTVM.

Declaratio eiusdem.

QVandoquidem idcircò solùm nobis exposita sint pericula salutis nostræ, vt eadem declinemus, hodie cum Diuina gratia adhuc firmiùs statuendum est, ijs per seriam conuersionem prouidere: & primus gradus, quem hîc figere oportet ad declinandum periculum, seque conuertendum, est vt discas agnoscasque huius conuersionis necessitatem. Agnosci autem meliùs illa non potest,

quàm ex verbis Seruatoris quæ tam plana sunt atque præcisa, vt vix aliunde nobis constet necessitas sacramentorum, Baptismi, Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, quàm quod similibus loquendi formulis eandem nobis denuntiarit. Et quando in exemplum nostræ conuersionis proponit Infantem, facilè patet generatim ad omnes spectare, qui nondum adepti sunt eum perfectionis gradum, vt tam innoxij & à peccato semoti sint per virtutem quàm procul abest Infans ætatis beneficio: ad eos omnes communiter pertinet hic de necessitate conuersionis sermo, donec ad hanc Infantiam rationalem, ac spiritualem se promouerint; idque proposita pœna, nunquam aliàs intrandi in regnum cœlorum, adeoque damnationis æternæ. Neque est quod eximiũ hîc te putes: tam enim certò in te fertur hæc sententia, quàm certum est te ab eo Innocentiæ statu procul abesse, adeoque laborandum tibi est, vt te conuertas, statuasque pertingere ad gradum illum perfectionis tam necessarium, vt absque eo, nunquam finem tuum, numquam salutem consecuturus.

Ac re quidem ipsa, nisi eò processeris, vt animitùs tam parùm afficiaris peccato, qualecumque illud sit, & quibuslibet occasionibus, quibus posses ad peccandum induci, quàm parùm afficitur innocens illa ætas, fouebis germen & fermentũ peccati ac damnationis id

id est, cupiditatem amoris proprij, cui si libertas admittendi leuioris mali conceditur, vindicabit sibi audaciam & vires tentandi grauius aliquod; neque modus est eum cohibendi, sistendique ruentis impetum, nisi plenè se conuertendo, eamque ineundo vitæ rationem, vt nullum illi peccatum, quale quale illud sit, saltē deliberatè, permittatur. Intuere in Apostolos, quos Christus suæ conuersionis hîc admonebat, an nondum erant conuersi, qui eo nomine reliquerant vniuersa? quid igitur ijs erat reliquum, præter quandam superbiam & ambitionem honoris, quâ disquirebant inter se, *quis eorum videretur esse maior?* Hac occasione vsus magister optimus monuit etiam ab hac ambitione conuersionem tam esse necessariā, vt nisi, Infantium more, ab illa abhorrerent, essent regno cælorum excludendi, vt enim hæc ambitio fortassis esset culpæ leuioris, poterat tamen paulatim capere incrementum & euadere in mortalem: adeoque ad asserendam salutem; necesse erat illâ se penitùs expedirent. Quisnam post hæc, existimabit se non debere conuerti? Apostolos sanè vitæ morumque sanctimonia anteat necesse est; eos dico, qui iam reliquerunt omnia, & duorum amplius annorum spatio, Christo constanter adhæserant. Si tu tantùm tibi sumere non audes, quemadmodum reverà non potes, fatere tibi perneceſſariam esse conuersionem.

II. PVNCTVM.

Aduersio in vitam præteritam, præsentemque.

QVia vox illa, Conuersio, ad solos infideles, Hæreticos, & publicis sceleribus infames spectare videtur, ægrè persuadebitur intellectus vt credat eam tibi conuenire, ac tibi æquè resiliendum esse à mundanis tuis & sensualibus affectibus, atque à sua Infidelitate Infideli, ab hæresi Hæretico ac flagitiosissimo peccatori à suis flagitijs recedendũ est. Quare excute rursus animum, an in eo errore versetur, an verò potiùs firmiter iam credat tibi omninò necessariam esse Conuersionem. Quod si voluntas adhuc ab illa abhorret, repugnatque, quia videt sibi abstinendum esse ab vsu suarum cupiditatum; mitiga hanc auersionem, quibus potes blandissimis argumentis, at si nolit rationi & huic suauitati acquiescere, urge, vim infer, proculcatis difficultatibus insiste proposito, & obijce illi veræ alterius vitæ bona, quæ amissurus es, nisi ipsa seriò statuat falsis fucatisque huius vitæ bonis abstinere.

Memoria antiquis amatarum rerum speciebus adhuc implicabitur, quibus, quia se pro voto te expedire non poterit, subibit animum anxietas & scrupulorum metus: sed

inanis

inanis est ista anxietas, & panici timores, quibus expugnandis sufficiet serium propositum nihil committendi ob antiquas species animo recurrentes, & ad malum sollicitantes. Nam si idcircò cogitationes solùm prauæ fuerunt, quòd eas volens admisisti, te nolente, vt vt occurrant, prauæ esse non possunt.

III. PVNCTVM.

Propositum in futurum.

ERit 1. vt agnoscas te sine peculiari gratiæ præsidio, non posse hoc conuersionis opus absoluere, adeoque tibi cum Propheta orandum: *Conuerte nos Domine & conuertemur.*

2. Vt audias eundem Dominum promittentem: *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos*, id est, si responderis primæ Gratiæ, quâ ad conuersionem te excitat, eamque efficaciter & ex animo desideres, adijciet alteram, quæ negotium tuæ conuersionis absoluat, collocabitque te in eo statu Infantiæ spiritualis & rationalis Innocentiæ, in quo esse te oportet, vt conuersus dici queas.

Age sis ergo, vis istud? cæpit te Deus iam excitare, & anteuertere priore sua gratia, nihil superest aliud, nisi vt operam tuam conferas, eoque pacto testeris te reuera velle; &

in notam, certumque huius oprimæ voluntatis testimonium, iam nunc renunties cupiditati tibi maximè congenitæ, & in rem aliquam terrenam propensiori, ineundo hanc vitæ rationem, quæ tibi necessaria est, vt in illius regnum aliquando admittaris, & optando in ea constanter viuere & mori, ita vt nulla res te à suscepto semel proposito dimoueat?

Proijce te ad pedes illius, vel Magdalenæ, vel Filij Prodigi, vel Zachæi exemplo eiura quidquid mundanum est, quo modo infidelis ad fidem cõuersus eiurat errores suos; & sicut Religiosus censetur Mũdum deseruisse quando vota in religione nuncupat, ita tibi relinquendus est omnis in quamcumque rem terrenam affectus, vt seriam conuersionem profiteri censearis. Deniq; sic te reges imposterum quasi tam fores expers voluntariorum motuum à vita sensuali prouenientium, quàm, qui vitâ functus est, caret moribus vitæ naturalis. Nunquam meliùs viues, quàm si per veram conuersionem feliciter ita moriaris.

UNDE-

VNDECIMA VERITAS.

Ad inchoandam nouam vitam, tanti referre, sese adiungere Christo Domino, vt, qui cum illo non est sit contra illum.

Qui non est mecum, contra me est, inquit Christus Luc. 11.

MEDITATIO

in vndecimam veritatem.

I. PVNCTVM.

Declaratio eiusdem veritatis.

CONstituto nouæ vitæ decreto, illius forma & imago ab eo desumenda est, quem Pater æternus nobis proposuit in Archetypon & exemplum, cuius imitatione finem nostrum vltimum consequeremur, (a) Is est secundus Adam & nouissimus ab Apostolo nuncupatus, quòd, sicut sequendo errores & motus primi hominis à recto itinere plurimùm deuiauimus, ita nos eodem reuerti oporteat imitando exempla & mores secundi, qui eo nomine ipse se vocat viam, veritatem, & vitam, vt sciremus nos eius ductu veram vitam consecuturos. Quantus fauor, quòd

(a) 1. *Cor.* 15.

is, qui erat finis noster, idem quoque se præstiterit medium, & ducem eò pertingendi? Opus erat vitæ regula, inquit (a) Augustinus, ad quam nostros mores exigeremus, at regula non fuisset vtilis, nisi recta, eademque oculis nostris proposita; quare neque solus homo, neque solus Deus talis Regulæ vicem obire poterat, in solo enim homine non fuisset recta, & in solo Deo videri non potuisset; necesse igitur fuit, vt Deus fieret homo, quem vt rectissimum, & visui expositum, homo sequeretur. Aptè ergo, & iuxta exercitiorum ordinem succedit aliis hæc vndecima Veritas, circa quam hæc præcipuè consideranda, quid sit se adiungere Christo Domino; & tam præterea referre, vt illi te adiungas, vt nisi contra illum esse velis, necesse sit te esse cum illo.

Primò coniungimus nos Christo Domino, beneficio gratiæ sanctificantis, quæ excludit omne ab animo peccatum mortiferum, omnemque eius aliquando committendi voluntatẽ; Atque hinc ordienda esset noua vita, si grauiorum essemus noxarum rei, & quamuis cõscientia tam enormibus non prematur, per exercitia tamen solet etiam à leuioribus exonerari, vt tantò paratior sit ad vnionem

(a) *Sequendus Deus erat, qui videri non poterat; sequendus homo non erat, qui videri poterat: Deus factus est homo, quem sequeretur homo.* Aug. serm. de Nat. Ch.

nem & consensionem cum illo ineundam, *qui pascitur inter lilia*, (a) id est, purarum mentium consuetudine delectatur. Quid hac in re tibi deliberatum est?

Secundò, iungimur illi per gratias actuales quas nobis confert eo nomine, vt obnitamur motibus naturæ, vbique se suaque sectantis, subijcientisque ijs perturbationibus, quas mox deplorauimus, nisi iungamur ac consentiamus illi gratiæ ac spiritui, quem Iesus paratus est nobiscum liberaliter communicare, tanquam caput nostrum, æquè potens ad aspirandam nobis vitam spiritualem, supernaturalem & Diuinam, quàm aptum est (b) caput hominis ad conferendos spiritus animales vitæ naturali sustentandæ necessarios. O rem consideratione dignissimam, totisque viribus procurandam, quandoquidem in ea propriè consistat nouæ vitæ ratio, quam inire debemus.

Tertiò, animi affectibus atque intentionibus illi coniungimur, nullum in mente affectum admittendo, nullum amorem, nullum desiderium, nullum odium, nullam tristitiam, neque aliam aliquam motionem, quæ non sit ordinata, penitusque conformis ijs, quas ipse in terris degens habuit, aut quarum ipse in nobis est author, seu ad pellendas eas, quas natura commouet, seu in exercitium illustrium virtutum, quibus reddamur similes Diuinæ

(a) *Cant.* 6. (b) *vid. Eph.* 4.

illius vitæ, quæ tota in exercitio horum affectuum, ex quibus virtutes existunt, transigebatur. Quod etiam consideratius circa fines & intentiones, quibus ad agendum, loquendumve permouemur, attendendum est. Nihil nisi vanitatem, nisi voluptates, nisi commoda spectabimus, si sequimur naturæ stimulos; hæc enim cùm sui semper studiosa sit, nullibi meliùs, quàm in honore, in voluptatibus & in commodis, conquiescit. At Christo coniunctis despiunt hæ viles sinistræque (a) intentiones, neq; capessuntur aliæ, quam rectæ, rationi consentaneæ, quæque naturæ vim excedunt, imò tales, quales erant illius, dum inter mortales versaretur, aut qualibus etiam modò vtitur, dum nobis subsidio est ad gloriam Patris propagandam, ad exequenda sua diuinissima consilia, ad finem illum obtinendum, propter quem viuimus & desudamus in hac vita. Sic ad litteram exprimimus id, quod tantoperè commendauit Apostolus; (b) *Hoc sentite in vobis, quod & in Christo* IESV, si nimirum eosdem animi sensus, eosdem fines nobis propositos habeamus.

Est

(a) *Sicut est veritas in* IESV, *deponere vos, secundùm priſtinam conuersationem, veterem hominem, qui corrumpitur secundùm desideria erroris, renouamini autem spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundùm* DEVM *creatus est in iustitia, & sanctitate Veritatis.* Eph. 4.

(b) *Phil.* 2.

Est & quartus modus cõiungendi nos Christo Domino, quatenùs paratum gerimus animum ad omnia, quæ placuerit diuinæ illius prouidentiæ de nobis disponere, tum generatim de vita nostra, tum peculiariter de quouis momento, & de quacunque actione, de manu illius, quidquid seu graue, seu gratum acciderit, admittentes: enimuerò attendendum non est, an euenta voluptate condita sint, an respersa molestijs; sed id dumtaxat, quæ possit ea occasione, quam Deus ad gloriam suam, & meritum nostrum amplificandum, submisit, virtus exerceri.

Denique, vt quamcumque actionem nostram perfectam, numerisque omnibus reddamus absolutam, quinto prætereà modo nos illi coniungemus, si dum operamur, identidem conijciamus in ipsum mentis oculos, (quo modo Pictor exemplar sibi exprimendum intuetur) vt eum imitari possimus, & actionem nostram ad illius exemplum efformare; vt oremus, quemadmodum ille orabat in terris; incedamus, vt ille incedebat; ea simus morum compositione in mensa, in congressibus, alijsque qua erat ille. & sic de reliquis; nam teste D. Ioanne, (a) *qui dicit se in ipso manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare,* debet sicut ille, & loqui & tacere, & viuere, denique agere vniuersa.

Atque tanti hoc refert, vt, præterquàm

(a) 1. *Ioan.* 2.

quòd nihil bene rectéque fiat, nisi ita conspiretur, viuaturque cum illo, regressuri simus in antiquam vitiorum siluam, adeóque non tantùm non cum illo, verùm etiam contra illum futuri simus. Eius veritatis ipse est praeco, & manifesta ratione euincitur, nam omni omnino amore affectúque vacui esse non possumus; Quando id actum est, ne te amares, oblatus est Iesus, cuius vsu familiari fruereris, in quem amorem tuum transferres, quem sequereris potiùs, quàm te, & quàm creaturas in perniciem tuam coniuratas: quòd si ab illo discesseris, redibis in te, resumesque immoderatam tuam viuendi consuetudinem, & ipsa hæc consuetudo tam illi aduersatur, quàm vitium virtuti, (a) quàm veritati mendacium, quàm luci tenebræ, quàm mors vitæ. Id igitur statuendum est, vt aut esse veis cum illo, aut contra illum. Vrgendus hic animus. Neutris hîc esse non licet, aut ab illo standum, aut aduersus illum. Vide quid statuas.

(a) *Ex 2. Cor. 6.*

II. PVNCTVM.

Aduersio ad vitam præteritam & statum præsentem.

VIde ne aliquid in animo resideat fermenti veteris, & inanium illarum opinionum qui-

quibus olim credidisti fieri omnino non posse,aut rem nimis esse arduam tibique difficilem,vt Christum imiteris, eiusque exemplis insistas: Error est,quo exsoluendus es. Nihil vnquam tibi præceptum est, quod situm non sit in tua potestate, accedente potissimùm Diuinæ gratiæ præsidio; cùm ergo imitatio Christi sit tibi præcepta, dubitare non debes, quin fieri à te possit,præsertim cùm,teste Augustino,(a)ad hoc præcepta sit,vt eius exemplo,ad res magis arduas confortarêre. Non hoc tibi imperatur vt facias, quæ fecit Iesus,neque vt tam eximia sis animi demissione,aut patientia, atque ille, sed vt oblatis occasionibus, quantùm volet gratia & vires tuæ patientur, proximè insistas eius vestigijs. Ita perfectissimis sanctissimisque propositis est in exemplũ,vt etiam imperfectiores habeant,quod imitentur; Totidem enim sunt gradus imitationis, quàm variæ sunt conditiones,& quot personæ,quæ illum imitando perficere se possunt. Eam ob rem dicitur(b) *flos campi & lilium conuallium* omnibus patentium, non verò hortorum, qui ad paucos

(a) *Neque imperaret hoc Deus,vt faceremus,si impossibile esse iudicaret,vt hoc ab homine fieret: si considerans infirmitatem tuam deficis sub præcepto, confortare in exemplo. Sed etiam exemplum ad te multum est. adest ille,qui præbuit exemplum,vt præbeat & auxilium.* Augustin. in Ps. 56.

(b) *Cant.2.*

cos pertinent & ad quos solis dominis patet accessus. Idcircò etiam D. Ioannes eum vidit, in admirabili illa forma, quam describit initio Apocalypseos, quæque diuersos Ecclesiæ gradus, variasque personas repræsentat, quas sibi vnire, velut membra sui corporis paratus est, modò illæ velint, neque effrænatâ viuendi licentiâ sese sejungant.

(a) *Caput eius & facies sicut Sol lucens in virtute sua*, designat supremos Dominos, seu Ecclesiastica, seu sæculari potestate fulgentes; *Capilli candidi tanquam lana alba, & tanquam nix*, sunt Consiliarij & rerum publicarum administri; *In dextra eius stellæ septem, & ex ore eius gladius acutus exiens, & vox tanquam vox aquarum multarum*, sunt Episcopi & Prælati, Doctores, Concionatores alijque qui se lucris animarum totos impendunt; *Oculi, tanquam flamma ignis*, notant Gubernatores & iustitiæ administrandæ præfectos: *Zona illa aurea, quâ ad mammillas præcingebatur*, exhibet Sacerdotes, Religiosos, Virgines, & alios qui castimoniæ leges sibi proposuerunt; *Pedes eius similes aurichalco, sicut in camino ardenti*, denotant opifices, & qui artibus illiberalibus manuarióque opere vitam sustentant: quique nihilominus non desinunt illi coniungi, modò in sua conditione viuant agantque ex illius præceptis, & propter fines quos ille intendit.

Vides igitur neminem ab hac coniunctione

(a) *Apoc.* 1.

ne excludi, nisi quis metu & apprehensione difficultatum se ipse eximat, vti fecit nequam ille, & deses seruus (a) qui defodit sibi creditũ talentum, quod in vtilitatem Domini sui impendere debuisset, & diligenti eius vsu illustrius aliquod munus promereri. Absit, nihil metue, tantum abest, vt deuotio & imitatio Christi Iesu tibi futura sit grauis & molesta, vt etiam temperatura sit & lenitura reliquas omnes molestias, imò supplex deprecare, quod aliter quàm oportebat de illius bonitate senseris.

(a) *Luc. 19. Timui te, quod homo austerus es.*

III. PVNCTVM.

Propositum in futurum.

VT rectè concipias propositum te, modis omnibus ante consideratis, coniungendi tam arctè Christo Domino, vt ab eius societate nullus te vnquam casus auellat: scias imprimis ad hoc grauissimè te obligari, nisi spem omnem frugis deinceps melioris penitùs seponere lubeat; (a) nihilominùs ita, tamque liberali animo illi te trade, vt tametsi nulla te vrgeret obligatio, velles tamen ex reuerentia personæ ipsius & quia meretur, id præstare. Nam eas promerendo gratias, quas tibi obtinuit, & actionibus suis designando viuendi

(a) *Vide Bernardum in illa verba: Cant. 2. Fasciculus myrrhæ dilectus meus &c.*

uendi exemplum, in quod intueris, vitam tuam informares, simul quoque promeruit ab animo tuo, nisi prorsus ingratus est, vt lubens acceptes illius gratias, vt in eius imitationem toto affectu rapiaris, neque Iesus tibi sit minori incitamento, vt illi seruias, quàm est exemplo, vt discas, quâ illi sit ratione seruiendum. Et quid æquius est; quàm vt istos labores, quos te Homo Deus exantlauit, perire non sinas? & si ille tanto fuerit in te affectu vt pro te laboraret, vt tanto illum & te amore prosequere, vt illius laboribus & exemplis (a) fruaris, maximè cùm tam amabilia, blandaque sint vt non solùm facienda doceant, sed etiam ad executionem illorum, quæ discimus, pelliciant.

O mi Iesus, fierine ergo potest, vt imiter te, imò fierine potest, vt hoc ego possim, & tamen nolim? aut si modò velim, id dum fert occasio, reipsa non exequar? Anime mi, generosè subi vinculum illud sequendi Jesum, eique adhærendi, vt perpetuò, & vbique eius insistas vestigijs; via enim est, & donec eris cum illo, vbicumque locorum fueris, nunquam aberis à recto tramite. Propositum igitur tuum sit, te nolle vllo casu, vlláve itineris molestiâ

(a) *Sumo mihi exempla de homine, & auxilium à potente, illa tamquam pigmentarias species, hoc tamquam vt acuam eas... Hoc tibi electuarium habes, anima mea reconditum in vasculo vocabuli huius, quod est Iesus*, &c. Bern. Serm. 15. in Cant.

leſtiâ ab illo diuelli, nam præſtat conſtanter tenere viam, etiam cum aliqua moleſtia, quàm illius metu tædioque deuiare.

COMPENDIVM MEDITATIONIS in vndecimam veritatem.

I. PVNCTVM.

Declaratio eiuſdem.

CVm iam deliberatum ſit, nos conuertere, & recto calle tendere ad finem à quo deflexeramus, cumque Ieſus ſit Via, Veritas & Vita, hoc eſt vera via ducens ad veram vitam, ſcilicet finem noſtrum: debemus tam arcta ſocietate nos illi iungere quàm ſecuri eſſe volumus de via, quæ eò ducit, quò tendimus & aſpiramus. Conſidera igitur, quid ſit illi coniungi, & quanti illud ſit, quamque neceſſarium. Non ſolùm illi vnimur per gratiam ſanctificantem, quæ nullum patitur peccatum mortiferum, neque ſolùm per gratias actuales leuiora vitia excludentes, verùm etiam per vnionem affectuum, & intentionum, ad illius affectus intentioneſque efformatorum; per cõſenſionem voluntatis noſtrę cum omnibus, quæ circa nos noſtraque ſtatuerit; denique per imitationem actionum illius, dando operam vt noſtras ex illius exemplo componamus, *vt ambulemus, ſicut ille ambulauit,*

uit, vt in ipso & cum ipso maneamus. Hoc enim verò est illi se coniungere, si ex illius vita & moribus, nostram vitam, moresque exigimus.

Idque adeò necessarium est, vt si nō sumus cum illo, contra illum simus; si non componimus affectus nostros, nostra verba, & opera ad exemplum vitæ illius, & ex præscripto gratiarum nobis collatarum, dissoluimus nos ex naturæ sensuumque effrenatis cupiditatibus, eaque viuendi dissolutio tam Christo contraria est quàm vitium virtuti, nox diei, & mors vitæ. Hinc totius mali nostri origo est, quòd hactenus ex mundi amorisque proprij præscripto vixerimus; & ad hoc nobis datus est Iesus, vt inde nos abstraheret, nos erigeret, nostræque consuleret saluti; adeoque alteruter nobis in Ducem viuendique normam eligendus est, aut amor nostri, aut amor Iesu. Cum vtroque vnà viuere non possumus, neque sine alterutro, vide igitur, quem deligas, & an non sit satis argumenti vt deligas Iesum, quòd non possis non esse cum illo, quin illicò sis contra illum.

II. PVNCTVM.

Aduersio in vitam præteritam, præsentemque.

NIsi attenderis, ex priore vita inhærebit menti falsa quædam persuasio, errorque mun-

mundanus, quasi nimium tibi sit Christum imitari, eiusque consilijs & dispositionibus vniri, quemadmodum vnitum te esse oportet, vt sis cum illo. Error est, aut ab ignorantia proueniens, quòd nescias tam varios esse gradus huius Diuinæ imitationis, quàm variæ sunt hominum conditiones: aut qui procedit à malitia, quod nolis adlaborare huic imitationi, tibique vim illam facere, vt non viuas, nisi ex præscripto, ductúque illius.

Agnosce hunc errorem, & si audieris Iesum esse florem campi, non hortorum; esse lilium conuallium, non montium, crede ijs idcircò nominibus appellari, quòd omnibus det liberum ad se accessum, quodque vitio fiat tuo, si non accedis; & quamuis ad illum accedendo, enitendum sit in montem perfectionis, tam facilem tamen esse adscensum, atque si in conuallem descenderetur. O mi Iesu, perperam credidi, in te considerando, imitandoque esse difficultatem; agnosco culpã meam, & profiteor, à tui consideratione, imitationeque potiùs omnem difficultatem amoueri.

III. PVNCTVM.

Propositum in futurum.

INcumbit tibi necessitas, vt quã arctissimè, & modis omnibus, quibus ea fieri potest vnio,

vnio, te cum Iesu coniungas: hanc necessita
tem meditatus es, vt te cogeres ad debitum
officium tuum, nolim tamen eò te solius ne
cessitatis intuitu compelli; alij sunt stimul
qui te pelliciant, ac æquè excitent ad eius se
quenda vestigia, ac si nulla necessitate tenere
ris. Sola ipsius merita eam apud animum
tuum vim habeant, oportet. Talia tibi reli
quit vitæ suæ exempla, & in suis laboribus ta
le robur, talesque gratias, ad eum imitan
dum, opportunas promeritus est, vt vel ho
solo titulo (nisi insigniter ingratus es) digni
simus quoque sit, cuius gratijs obsequari
quemque imitêre. Illius vita locum obtinet
exempli, & incitamenti: Exempli, vt disce
quid & quò modo agendum sit: Incitamen
ti, vt agere velis quæ agenda esse didicisti. O
eximium Magistrum, ò ducem adeundæ æ
ternæ felicati securissimum! Facit ille, v
sciamus, quo modo illam adire oporteat; fa
cit, vt quæ scimus, etiam velimus; facit ide
denique, vt quæ volumus, possimus.

DVODE

DVODECIMA VERITAS.

Totam scientiam Euangelicæ, moralisque doctrinæ Iesu Christi in eo consistere, vt scias eius exemplo, *Abstinere, Agere, & Pati.*

Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me. Luc. 9.

MEDITATIO

in hanc duodecimam veritatem.

I. PVNCTVM.

Declaratio eiusdem veritatis.

QVamquam Iesus, teste Propheta & Apostolo, verbum sit abbreuiatum, (a) & reipsa solus ille complectatur quidquid vetus testamentum prædixerat, præsignaratque: nihilominus sacrum ipsius Euangelium, & actiones ad imitandum nobis propositæ, tam latè patent, atque ad tam varia extenduntur, vt difficile nobis esset meminisse omnium, quæ docuit, fecitque ad institutionem nostram, nisi illa ipse contraxisset; & hæc fortasse ratio est, cur non minùs verbum abbreuians,

(a) *Is.* 10. & *Rom.* 9.

uians, quàm abbreuiatum nuncupetur, quòd totam Euangelij, suæque moralis doctrinæ scientiam contraxerit in hæc verba: *Abstinere sustinere, & agere. Qui vult*, inquit, *venire post me, abneget semetipsum*, en abstinere; *tollat crucem suam*, en sustinere; *& sequatur me*, en agere illius exemplo. Quisquis igitur sciuerit, habueritque in vsu hæc tria verba, quæ in diuinissima Christi sententiâ continentur, næ ille totum Euangelium, totamque doctrinam quæ ad mores, & nouum vitæ, quod aggredimur, institutum pertinet, complexus sit!

Hinc proponitur nobis duodecima Veritas, tam aptè subiecta præcedenti, vt illius sit expositio, & sit summa omnium, quæ Magistri & Ducis nostri exemplo facere iam statuimus. Nos alloquitur, dum ait: *Qui vult venire post me*; nos enim volumus, nos istud professi sumus, & ratum firmumque habemus. Solùm supereſt, vt hanc veritatem benè animo comprehendamus, & ex integro nos accingamus ad eius vsum exercitiumq;.

Hanc ob rem, cogita, quibuscumque circa vitæ emendationem conceptis propositis, semper relinqui in anima quoddam germen peccati, & malorum radicem, quam vocant Concupiscentiam, & à natura inditam procliuitatem, quâ ferimur in honores, in voluptates, in opes, & vnde alij omnes affectus & animi perturbationes enascuntur. Verùm hi

omnes

omnes affectus & perturbationes non habent propriè loquendo, nisi duos motus, naturales, ex quibus omnia scelera existunt, alterum amoris & prosecutionis erga bonum sensibile, alterum odij & fugæ à sensibili malo. sicut cor hominis viuit motu duplici systole, & diastole, quorum vno recentem aërem attrahit, altero nimium calorem exspirat, ita corrupta natura, vel amor proprius, qui cor est vitæ sensualis, solùm aspirat ad bona sua naturalia, suas voluptates, suasque oblectationes, vnde desideria, amor & gaudia: si verò alio aliquo motionis genere agitetur, fit, vt se contrario malo expediat, vnde mœrores, tædia, iræ, odia, pœnæ & ægritudines. Inde peccata omnia promanant: quid enim aliud, exempli causâ, superbia, quàm immoderatus amor excellentiæ, quàm ex honore & opinione aliorum capta oblectatio, quæ ex naturæ genio nobis arridet? (a) aut quid est aliud, quàm auersio & odium illius contemptus qui naturæ contrarius est atque intolerabilis videtur? Inuidia est gaudium de malo alterius, quasi nobis benè foret, quod alteri malè: & odium boni alieni, quasi malè nobis esset, quod alteri bene. Ira nil est aliud, quàm amor vindictæ ob voluptatem nobis inde prouenientem; aut impatientia mali aduersùs nos commissi. Luxuria est amor inordinatus turpium voluptatum:

&

(a) v. *Aug. in Psal.* 79.

& odium continentiæ, veluti mali sensibilis huic turpi voluptati oppositi. Gulæ intemperantia consistit in prosecutione ciborum aut nimiorum, aut nimis delicatorum : aut est fuga abstinentiæ nos ea oblectatione priuantis. Auaritia est nimius amor diuitiarum, & odium paupertatis velut mali oppositi. Denique Acedia nihil aliud est quàm prosecutio quietis & desidiæ, aut fuga laboris, captandam ex otio voluptatem, amoturi.

Quæ cùm ita sint, vti patet ex enumeratione capitalium vitiorum, videntur etiam virtutes omnes, quæ illis sunt oppositæ, & quarum exempla nobis Christus reliquit hisce duobus actibus, abstinendo nimirum & sustinendo, potissimùm constare. Humilitas, quæ aduersatur superbiæ, in eo sita est, vt quis à prosecutione affectuque honoris abstineat, aut sustineat contumeliam, iniurias, contemptus. Charitas oppositа Inuidiæ, abstinet ab oblectatione ex alieno malo proueniente, & sustinet illam animi ægritudinem, quæ ex alterius felicitate posset oboriri. Mansuetudo non aliter iram frænat quàm abstinendo ab vltionis voluptate, & sustinendo iniuriæ nobis illatæ molestiam. Castitas hostem suum compescit, dum libidine abstinet, & generosè sustinet ortas a continentia difficultates. Quis vsus Temperantiæ, nisi vt abstineamus ab immoderato nimisque exquisito victu, potuque, & ieiuni-

sust-

sustineamus & paruò viuamus? Quid efficit liberalitas aut paupertas Religiosa? nempe vt abstineamus Dominio & possessione rerum voto jam abdicatarum, aut à nimio bonorum, in nostra potestate sitorum, affectu; & vt incommoda & necessitates, quas secum fert inopia, æquo animo sustineamus. Diligentia aut deuotio qua ratione desidiã propulsat, nisi abstinendo à nimio otio, ignauiâ: voluntarijs animi euagationibus, aut molestiam, quæ à labore & precibus percipitur sustinendo?

Id enimuerò est abnegare semetipsum, sic suis cupiditatibus abstinere, & est ferre Crucem suam, (a) cùm quis sustinet aut Christi aut aliorum similium incitamentorum gratiâ, quidquid difficile, molestumque est. Atque ita intelligendus est vsus duorum horum vocabulorum, *abstinere* & *sustinere*, quæ virtutes omnes constituunt quatenus suis vitijs opponuntur, eorumque impetum infringunt.

Sed quia virtuti parùm est malum impedire, nisi etiam bonorum operum exercitio sese impendant, idcircò tertia vocula additur, *Agere*, quod tum fit, quando istud agitur, quod fieri vult Deus à nobis; quando ex ipsius

I

(a) *Non sufficit passio malorum, nam & latrones multa patiuntur; patienda sunt mala propter Christum eiusque virtutes adijciendæ.* Chrysost.

(b) *Quæ didicistis & accepistis, & audistis, & vidistis in me, hæc agite.* Phil. 4.

sius gratia, & spiritu agitur, non ex meris naturæ impulsibus; quando insistitur Christi vestigijs, & iuxta eosdem fines & intentiones, quibus ipse ad agendum mouebatur, actiones instituuntur. Et sic eadem opera, qua per Humilitatem, Caritatem, Mansuetudinem, Temperantiam, Deuotionem, aliasque virtutes, abstinebis à voluptate, quæ peccatum constituit, & sustinebis incommoda quæ ad illud euitandum, aut bonum exercendum, sustinenda sunt; Ages pro re nata, orabis, versaberis inter homines, colloqueris, tractabis negotia, incumbes studijs & muneri cuicumque tuo, prout illæ ipsæ virtutes te instruent, & iuxta præbitum tibi à IESV exemplum, & oblatam, eas opere ipso, exequendi occasionem. Adeoque vides planam hanc esse veritatem, quòd scire vsum horum verborum, scilicet *abstinendi, sustinendi, agendi*, & abnegare semetipsum, portare crucem suam, & sequi IESVM, agendo quod ille vult, & quomodo vult, & quia vult, sit perspectum habere totum Euangelium, vniuersamque morum Christianorum doctrinam.

O mi IESV, qui non minùs potens es vt facias nos velle ea facere quæ scimus, quàm vt doceas, quæ nobis sunt facienda, vrge me in oblatis, sensum horum trium verborum exequendi, occasionibus tam validè, quàm clarè eum, eiusque vsum mente complexus sum, & quàm me profiteor obstri-

obstrictum, vt in occasionibus me impendam.

II. PVNCTVM.

Aduersio ad vitam præteritam, & statum præsentem.

POsses hîc dolere & detestari licentiam, quam tibi antehac indulsisti prosequendo tuas voluptates, & effugiendo pro viribus omnes patiendi occasiones, vnde pluribus vitijs, quàm virtutibus imbutus es. Posses meritò formidare, ne prauos aliquos habitus contraxeris, qui propensioni naturæ coniuncti, te in eiusmodi amoris & odij affectus abripiant, pro ratione occurrentis boni vel mali sensibilis, vnde opus erit maiore gratia, curaque attentiore, vt rectè abstineas, sustineasque; posses præterea, & iure quidem, metuere, & in hoc metu demittere animum, ne propter tantam tuam ignauiam ac perfidiam merearis potiùs à Deo derelinqui quàm necessariis fulciri præsidijs, & hæc plerumque pœna negligentes sequitur, vt cùm noluerint, quando potuêre, non possint, cum volent. Habereſque ex his magnam variorum affectuum segetem, vt Contritionis, Humilitatis, Deprecationis, Spei, aliorumque similium.

Sed, cui potissimùm attendere debes, est,

vt errore quodam animum liberes, qui impedimento esse queat executioni huius veritatis: scilicet exiguam plerumque operam adhiberi, vt abstineatur à delitijs, quòd istud existimetur neque admodum difficile neque tanti esse, quanti sustinere oblatas difficultates, in difficultatibus verò sustinendis idcircò simus ignauiores, quòd eas non lubeat experiri: atque ita semper hæremus in vitijs nostris, & sola intelligentia, non vsu hanc veritatem ediscimus. Qui obex eiusmodi est vt nisi remoueas, breuî in eosdem affectus deducendus sis, quibus ante hæc exercitia implicabâre.

Tametsi facilius sit abstinere honoribus, & voluptate, quàm sustinere contumelias & incommoda, scire tamen semper oportet, Apostoli exemplo, (a) rectè vti oblatis honorum, voluptatum & opum occasionibus, nam subinde ex ijs pro ratione, pro officio, pro necessitate, aliquid admittendum est; alias ijsdem penitùs abstinendum, neque minor est virtus, eo pacto, quo Deus permittit, an iuxta exemplum à Christo nobis relictum capessere honorem, voluptatem ve quam ijs penitus abstinere, aut æquo animo incommoda

(a) *Ego didici, in quibus sum, sufficiens esse. Scio & humiliari, scio & abundare (vbique & in omnibus institutus sum) & satiari & esurire, & abundare & penuriam pati; omnia possum in eo, qui me confortat*, Phil. 4.

moda oppoſita tolerare. Hoc effatum meum expende ſeriò, videbiſque veriùs eſſe, ac momenti maioris, quam prima fronte videatur.

Adhæc intolerabilis error quoque eſt, nolle idcircò ſtudere ferendis incommodis, ne cogaris ſuſtinere, aut de diſcenda aliquando tolerantia ſpem omnem abijcere. Id enim eſſet falſi arguere magiſtrum noſtrum, qui vult à ſe diſci virtutes, (a) virtutibus autem ſemper eſt aliqua adiuncta difficultas, quæ ſine ſtudio & tolerantia ſuperari non poteſt. Anime mi, quid trepidas, dum ſtudendum eſt ferendis aduerſis! Diſcis pati, vt minùs patiâre, neque enim quidquam nobis in hac vita grauius accidit, quàm quòd neſciamus grauia nobis imminere, & modum, quo ſuſtinenda ſunt, ignoremus.

(a) *Matth.* 21.

III. PVNCTVM.

Propoſitum in futurum.

CVm iam deliberatum ſit perfectè ſe Chriſto Domino conſecrare, atque tam arcta ſocietate illi coniungi, vt nullus nos caſus ab eo diuellat; nihil aliud reliquum eſſe videtur, niſi vt quamprimum applicemus manum operi, & vſum trium illorum vocabulorum, *Abſtinendi*, *Agendi* atque *Patiendi*, quæ totam artem conti-

nent illius vnionis, aggrediamur. Incipe igitur iam nũc, neque differ in finem exercitiorum, quod heu! nimium hactenus dilatũ est; & verò praxim hãc sanctiorem (a) aggredere potiùs, quia Iesus eò te suis verbis, inuitat, præitque exemplo suo, quã quod id scripserit Epictetus aliquis, aut quòd ratio doceat, aut commonstret experientia; Cùm enim deinceps effici debeat tota vita spiritualis, & hoc vitæ genus pẽdeat ab usu trium illorum verborum, vsus quoque spiritualis sit & supernaturalis oportet: non erit autẽ, nisi procedat à stimulo supernaturali, qualis est Christi Iesu, qui præ cæteris omnibus ea gaudet prærogatiua, vt vnà sit Diuinus & humanus, supra & secundum naturam, sublimissimus, idemque perfacilis, nam quid diuinius, quid magis supra naturam, quid denique sublimius est Christo Deo? & quid humanius, quid naturalius, quid facilius excogitari potest, Christo nomine? Cogitata rerum merè spiritualium nimis difficilia sunt imaginandi facultati, vt diutius illis hæreat; rerum verò merè corporearum, humanarum & naturalium abiectora sunt quàm vt instituto nostro finem supernaturalem spectanti deseruiant. vnde fit, ea, quæ de Iesu concipiuntur, (b) esse

(a) *Finis propositi nostri Christus est.* August. in ps. 4. *vt ita simus nostro probati Imperatori.* Ambros. 1. Offic.

(b) *v. Bernard. ser. 15. in Cant. item serm. 20.*

esse ad occupandam mentem aptissima, cùm & diuini aliquid habeant & humani, itaque sublimia sint, vt tamen non excedant vires ingenij tam facilè hominis imaginem animo informantis, quàm haud difficulter illum oculus intuetur.

Præterea, non constat, Deo placere, vt quasuis alias cogitationes, vtcumque bonæ sint, in animum admittamus, cùm forsitan esse possint à conditione nostra alienæ, at cogitationes de Iesu nullinon conditioni, nulli non tempori conueniunt. Certumque est, dum cogitamus Iesum, nos idem cogitare, quod cogitat Deus, nam Patri vna cogitatio est, verbum scilicet suum, quod continuò generat in se, quodque optat continuò in animis nostris, in intellectu, in voluntate, in memoria nostra generari.

Si igitur illud decretum nostrum, quod hodie aut statuimus, aut innouamus, nos aggredi hanc praxim ex vi verborum Christi Domini, ad imitandas illius virtutes, & ad prosecutionem vltimi finis nostri, vnde contraria vitia nos abduxerant. O Iesu, *ad quem alium ibimus? verba vitæ æternæ habes? verba tua spiritus & vita sunt*; (a) id operantur, quod significant; quando nos alloqueris, vt abnegemus nosmetipsos, vt tollamus crucem nostram, & sequamur te; seriò sanè volumus, & satis est meminisse, atque mentis auribus

 haurire

(a) *Ioan.* 11.

haurire tua verba, quasi nos alloquereris, v
semper velimus: & sola tuorum verborum
tuæque personæ recordatio idem efficit i
anima fideli, tuique amante, quod olim i
oculis & auribus eorum, qui te coram intue
bantur, aut loquenti auscultabant.

COMPENDIVM MEDITATIONIS in duodecimam veritatem.

I. PVNCTVM.

Declaratio eiusdem.

APpositè in sacris litteris nomina
Christus verbum abbreuiatum, & abbr
uians quod à Patre æterno factus sit, vel
Epitome veteris testamenti, & ipse tota
artem sui Euangelij contraxerit in hæc tr
verba *Abstine, Sustine & Age*, quæ hac mon
mentis omnibus dignissima sententia cont
nentur: *Qui vult venire post me abneget semetipsu
tollat crucem suam, & sequatur me.*

Abnegare semetipsum, est abstinere cupid
tatibus nimiùm naturalibus, quibus in b
num sensuale semper proni ferimur. Toller
crucem suam, est sustinere tædia & difficu
tates, quas ferendo malo sensibili, quod a
exequendam Dei voluntatem, ferendum e
experimur. Et sequi Iesum est oblata qua
cunque opportunitate agere potiùs ex pra
scrip

scripto gratiæ quam naturæ; potiùs ad illius exemplum, ad fines & intentiones illius, quàm ob rationes humanas, aut consilia merè naturalia.

Quisquis vsum nouit horum verborum, idem quoque perspectam habet virtutem omnium, in Euangelio commendatarum experientiam: nam iustitia Christiana, quę virtutes omnes complectitur, duo dumtaxat à nobis exigit, vt declinemus à malo, & faciamus bonum: à malo autem declinamus, abstinendo & sustinendo; & facimus bonum, agendo ex spiritu & exemplis Christi Iesu. Anime mi, ne causare ignorantiam, si non satagis de perfectione tua; tria tantùm scire verba, & quæ sciueris, exequi oportet, vt debitam perfectionem assequaris.

II. PVNCTVM.

Aduersio ad vitam præteritam præsentemque.

MAgnum hîc tibi argumentum offertur detestandæ vitæ præteritæ, quæ tota per actus hisce tribus oppositos, traducta est, quæq; plurimos vitiorum habitus contraxit, vnde tibi euadet virtutum exercitatio difficilior at grauissimum, quod ex præteritis; tibi reliquum est, malum, & ex quo metuere iure potes magnum futuris temporibus

impedimentum, est error aliquis, quo mentem tuam imbuit proprius amor, dum persuasit, hinc nihil magnoperè contendendum, vt discéres abstinere, quasi id, præsustinendo, foret leuissimum; illinc verò vix inducis in animum, vt discas sustinere, ità vocem illam horret naturæ genius, metuisque scire, quod facere non allubescit. Vnde fit, vt, tametsi duo, triáve tantùm verba perdiscenda sint, haud magis proficimus, quàm si totam molem sacrorum voluminum scire nos oporteret, eò quòd, hæc verba solo vsu exercitationeque addiscantur, quam adhibere recusamus: paruipendimus ea, quæ scitu facilia videntur, quæ verò difficilia, defugimus, adeoque nihil vnquam scimus aliud, quàm ex naturæ legibus viuere quòd modum ei resistendi, quem docent illa verba, non ediscamus.

Anime mi, si tam expeditum tibi videtur, abstinere, cur occasione nata non abstines? & si nescis sustinere, cur non adhibes operam vt scias, maximè cùm hinc non exaggeretur labor sustineadi? Imò verò istud potissimùm laborem minuit, & difficultatem, si pati scias. Agnosce igitur culpam tuam, & dole.

III. PVNCTVM.

Propositum in futurum.

DEliberatum iam quidem est, sed nihil dum mãdatum executioni, semper enim procrastinamus; Itaque omnis cunctatio nobis abrumpenda est, statuendumque iam nunc aggredi exercitationem trium illorum actuum, quos Christus verbo & exemplo nos docuit, & quia nos docuit, eoque inuitat.

Expictetus, atque alij nonnulli Philosophi, lumine rationis hanc quidem morum doctrinam assecuti sunt, alijsque tradiderunt, sed non exercuêre, neque eum exercendi modum docere potuerunt, quem docuit Iesus: facit enim id modo prorsus supernaturali & spirituali; nam cùm sectemur vitam spiritualem, sitam in vsu trium horum verborum, ipsum quoque vsum omninò spiritualem esse, necessum est; non erit autem vnquam spiritualior, quàm si solum Iesum habeamus præ oculis, quo nihil sublimius, sed neque facilius cogitari potest, cum Deus idem sit & Homo, inde obiectum intelligentiæ nobilissimum, hinc, quà homo est, expeditissimum, solius Dei cogitatio perquàm difficilis est, solius hominis, vilior est, quàm vt animum expleat, at Dei simul & hominis eius-

modi est, vt in ea possit & intellectus & voluntas conquiescere; Non semper mihi liquet velitne Deus hisce vel illis obiectis me mentem applicare; sed illud habeo exploratissimum, placere illi, vt semper cogitem de filio eius Iesu Christo, quem quoties cogitauero, toties eadem, cum illo, fruar cogitatione, quandoquidem Deus vnam habeat solùm cogitationem verbum scilicet suum, & Filium, quo res omnes cæteras cognoscit, creatque.

Vtinam hæc animæ nunquam excidat cogitatio, ne tum quidem cùm à corpore dissoluetur! nam nulla, neque viuenti, neque morienti potest esse salubrior, suauiorque.

CONSIDERATIO in quartum diem.

De Orationibus, quæ voce proferuntur, seu eæ fiant ex obligatione, seu spontanea pietate.

1. IN præsentia Dei constitutus, & implorata eius ope in rem præsentem necessaria, gratias age Christo Domino ob traditam nobis precandi formulam, quam orationem vocamus dominicam, quæque omnium est nobilissima, facillima, & maximè efficax.

2. Con-

2. Considera, quandoquidem Christus de effectu precum nostrarum, modò benè rectéque fiant, nos iusserit esse securos, & dubitari nequeat, quin hæc sit perfecta atque modis omnibus absoluta, deberemus vtique fieri compotes omnium, quæ in illa continentur, nisi nos obicem poneremus, qualem tu maximè opponis?

3. Sic aduerte tuos defectus debitæ reuerentiæ & attentionis, vt simul etiàm agnoscas interiora tua cum postulatis tuis non consentire, respuis ea, quæ postulas; ab ijs tam procul cor tuum, quàm vitium à virtute: nam septem petitiones huius Diuinæ orationis complectuntur septem virtutes totidem capitalibus vitijs oppositas; & donec erit cor, hisce vitijs deditum, non applicabitur sanè orationi. An non graue istud impedimentum est?

4. Prima Petitio, *Sanctificetur nomen tuum*, opponitur superbiæ nostri nominis existimationem apud homines occupanti. Altera, *Adueniat regnum tuum*, repugnat auaritiæ, quæ magis huius, quàm alterius vitæ bonis inhiat. Tertia, *Fiat voluntas tua*, oppugnat Iram, quæ casibus à diuina voluntate prouenientibus indignatur. Quarta, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, pudorem incutere debet Gulæ nostræ, cupedias & lautitias sectanti. Quinta, *Dimitte nobis debita nostra, sicut nos dimittimus debitoribus nostris*, exprobrat nobis

nobis nostras Inuidias & vindictæ cupiditates quas aduersus alios in animo fouemus. Sexta, *Ne nos inducas in tentationem*, accusat illam viuendi licentiam, quâ inducimus nosipsos in mala, quæ nec nominare, nec cogitare fas est. Septima, *Libera nos à malo*, inuehitur in accessiam, quæ nõ permittit nos cum Deo laborare, ad euadenda illa mala, quorum liberationem nos cupere simulamus. Hi sunt veri obices, qui non remouentur, nisi inter orandum, ea vitia detesteris, aut seriò desideres virtutes illis oppositas.

5. Lege in libello Exercitiorum tres orandi modos, qui vsui esse possunt in ægritudine, in itineribus, aut cùm Meditatio commodè instirui non potest.

6. Est & alius orandi modus per preces, vt vocant, Iaculatorias, quæ identidem, pro deuotione, & aliis occurrentibus necessitatibus vsurpantur. Quis tibi illarum vsus est?

7. Preces ex obligatione, semper anteferendæ sunt ijs, quæ ex deuotione assumuntur: obligatio nobis oritur vel à statu præcipiente officium diuinum, quod Breuiarium dicimus: vel à Regula quasdam preces indicente, vel à sacramento Pœnitentiæ, vel ab aliquo superiorum præscripto, vel à voto nuncupato, vel denique ab aliqua necessitate, à qua sine peculiari diuinę opis auxilio emergere non possumus, Quomodo in ijs te geris?

8. Officij Diuini recitatio tribus conditionibus affecta esse deberet, nempe vt fiat attentè, religiosè, & tempore suo : vbi tu potissimùm offendis, & quod remedium?

9. Preces deuotionis spontaneæ non sunt recitandæ cum scrupulo & anxietate, sed neque etiam ex negligentia & animi leuitate, omittendæ. Istúdne attendis?

10. Sunt aliæ breues precatiunculæ, quas quotidie sine attentione ulla aut sensu pietatis effundis, cuiusmodi est Angelica salutatio ad pulsum campanæ, matutinis, meridianis & vespertinis horis; Benedictio & Gratiarum actio ad mensam, persequere hoc modo reliquas, & emenda.

11. Inter preces deuotionis, quas Christo & sanctissimæ eius matri persoluturus es, locum habeant Litaniæ de nomine Iesu, & de B. Virgine : & si precariam Corollam quotidie potes euoluere, quidni velis?

12. At præcipua quadam religione, adeas visitandi gratiâ Venerabile Sacramentum, idque frequenter, ardenter, & cum reuerentia sed filiali, amicaque.

13. Nihil vnquam aggrediaris, non ab opere desiste, non domo, ne cubili quidem exeas, nulla tibi hora prætereat, sine aliqua prece; nunquid hoc potes?

14 Habe versus aliquot ex psalmis, aut alijs sacris libris, tibi familiares, manda memoriæ locum aliquem, aut ex oratione matutina

tina delige aliquid, quod reliquo die tibi deseruiat: aut denique laxa habenas cordituo vt ex occasione Deum pro arbitratu alloquatur.

15. Qua religione es in Angelum tuum tutelarem, in Patronum nominis, in sanctum menstrua sortitione tibi obuenientem, in alios Cælites, quorum patrocinium aut dignitas ad peculiarem cultum te obligat?

16. Quomodò vteris rebus, quas vocant sacramentales, quæ semper aliquam nobis gratiam & fauorem conciliant, si debita reuerentia usurpentur, vt sunt aqua lustralis, Cera benedicta, Rami, candelæ, Imagines sanctorum, eorumque reliquię, numismata; & Indulgentiæ? an non residet in animo quidam rerum similium contemptus, quædam incredulitas, quidam neglectus?

17. Quas fundis preces pro Ecclesia, pro superioribus, pro benefactoribus, pro amicis & inimicis tuis, pro animarum conuersione, pro vitâ functis, proque alijs necessitatibus? Preces in eam rem ab Ecclesiâ compositæ semper efficacissimæ sunt.

18. Si te aliorum precibus commendas, nónne vis vt tui peculiariter meminerint; idem igitur & tu redhibe ijs officium, qui se tibi commendarunt.

19. Preces tuæ nunquam spectent aliquid absolutè, sed subiectæ sint Diuinæ voluntati, cui melius, quàm nobis perspectæ sunt necessitates

ceſſitates & vtilitates noſtræ; ſint etiam vnitæ meritis & intentionibus Chriſti Domini: & potiùs procedant à Spiritu ſancto, cuius *gemitus inenarrabiles* omnibus noſtris naturalibus deſiderijs & votis, potentiores ſunt.

20. Agnoſce multa defuiſſe precibus tuis, veniam pete, & gratiam emendationis.

LECTIONES.

Ex ſcriptura Caput 2. Ieremiæ 15. S. Lucæ, & 6. Epiſtolæ 2. ad Corinthios.

Ex libello Exercitiorum, Meditatio de regno Chriſti poſita initio ſecundæ hebdomadis. Item de duobus vexillis.

Ex Thoma Kempenſi Caput 1. 7. & 8. ſecundi lib.

QVIN-

QVINTVS DIES.

De Abstinendo, ex mysterijs Infantiæ Christi.

DECIMATERTIA VERITAS.

Sicut, quidquid in mundo est, est Amor Voluptatum, diuitiarum & honorum, ita quidquid est in præsepi Christi, est instructio, vt abstineamus à tribus hisce pessimis Amoribus, & præsertim ab Amore diuitiarum.

Apparuit gratia Dei Saluatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, abnegantes impietatem, & sæcularia (terrenorum bonorum) *desideria, sobriè & iustè & piè viuamus in hoc sæculo.* ad Tit. 2.

MEDITATIO

in hanc Decimamtertiam Veritatem.

I. PVNCTVM.

Declaratio eiusdem Veritatis.

MEditationes nostræ, totidem sunt Conciones quas ad nos ipsos dicimus: at peri-

periti Concionatoris est, teste (a) D. Paulo, rectè diuidere & distribuere verbum veritatis, alioquin nonnisi confusè intelligeretur, cùm singula tamen verba digna sint, quæ rectè & distinctè capiantur. Eam ob rem, postquam generatim perspeximus, totum Euangelium, totamque Christi seruatoris imitationem, ad hæc tria verba, *Abstine*, *Age*, & *Sustine*, esse contractam: operæ pretium erit tribus hisce sequentibus diebus singula verba commentari, vt sensus illorum, & consensus cum vita Christi, melius apprehendatur animo.

Et quia iuxta Ordinem Exercitiorum, occurrit hodie considerandà eiusdem nativitas atque Infantia, erit argumentum accommodatissimum, vt discamus exemplo Jesu Infantis abstinere, & quidem modo perfectiore, per applicationem propositæ decimętertiæ veritatis: quod, sicut, quidquid in mundo est, nihil est aliud quàm amor & cupiditas opum, voluptatum & honorum, ita quidquid est in præsepi, & infantia Iesu Christi, nihil sit aliud, quàm solida instructio, quomodo à prauis istis amoribus abstinere debeamus.

Et profectò, si solùm à malo abstinendum est, oportet initium facere ab eo, quod grauissimum est malum, & aliorum malorum origo; nunc verò perspexisti illud esse amorem

(a) 2. *Tim.* 2.

rem proprium, qui alio nomine dicitur cupiditas,(a) & omnium malorum radix ab Apostolo, à Petro deinde Rauennate, transgressionis mater, magistra nocendi, primipilaria iniquitatis, auriga malitiæ, sicaria virtutum, seditionum origo, fouea scandalorum, non verè minùs, quàm eleganter, nuncupatur; & reipsa ab amore proprio generantur hi tres opum, voluptatum & honorum Cupidines. Quare hinc prima abstinendi lectio discenda est, vnde primam docendi fecit Magister noster, & quam præcipuè docet eius præsepe, in quod ipse, velut in cathedram ascendit, vel potiùs descendit, vt, (b) secundùm D. Bernardum, doceret nos, errare mundum & falli, suas sectantem cupiditates, & longè alia esse, quæ ipse, illius saluator & instaurator prosequeretur, dum nasci vellet in paupere stabulo, tempestate anni acerbissima, & conditione tam abiecta, vt abiectiorem vix viderit humana mortalitas.

Mundus similis est statuæ illi, quam vidit in somnis Nabuchodonosor, (c) cui caput erat aureum, pectus cum brachijs argenteum, reliqua ex ære, ferro & terra: & Iesus in præsepi, est instar lapilli illius de monte, sine manibus abscissi, statuamque ingentem illam prosternentis.

Vide, ne hîc abripi te sinas in ratiocinationem

(a) 1. *Tim.* 6. (b) *Serm.* 3. *de Natiuitate.*
(c) *Dan.* 2.

nem aliquam minùs vtilem, aut curiosam: cogita quæ solida sunt & vera, & fac plenam assequaris huius veritatis intelligentiam. Expende in Christi Natiuitate singula, vide quàm sint opposita tribus istis cupiditatibus. Memineris æternam esse sapientiam & infallibilem, quæ venit in Mundum, vt illum de tanti momenti veritate instruat. Dic, obstupescens hanc tantam Mundi & Iesu oppositionem: aut Mundum falli necesse est, (a) aut Iesum errare, cùm sententijs tantoperè vterque discrepet: at fieri nequit, vt Iesus erret, ergo necesse est mundum falli; & quandoquidem hic error non proueniat aliunde, quàm quòd abripi nos sinamus in triplex illud Cupiditatis barathrum, nullus erroris amouendi modus est alius, quàm vt ex Christi exemplo discamus Abstinere motibus, desiderijs, & prosecutionibus, quò cupiditates illæ nos deducunt.

Nónne hæc vniuersim vera sunt, & an non ma-

(a) *Non est tale iudicium Mundi, aut iste fallitur, aut Mundus errat. sed diuinam falli impossibile est sapientiam, meritò proinde & carnis prudentia, mors siquidem & ipsa, inimica est Deo, & sæculi quoque prudentia stultitia nominatur. Quid enim? Christus vtique, qui non fallitur, eligit quod carni molestius est, id ergo melius, & vtilius, id potius eligendum; & quisquis aliud doceat, vel suadeat, ab eo tanquam à seductore cauendum.* Bern. Serm. 3. de Natiu. vbi plura in hanc rem.

magnam vim habet hæc veritas vt artem Abstinendi te doceat? Verùm vt hæc euadat adhuc efficacior, vtque fructus inde colligendus melius perspiciatur, sume vnam aliquam ex tribus hisce cupiditatibus, & propiùs præsepi te admoue, vt videas quantùm hæc ab illo dissentiat, itaque euincas ab animo tuo, errari, dum illi indulgetur, vt nullus superfit dubitandi locus. Accipe terrenorum bonorum cupiditatem, Amorem, inquam, illum, quo à natura ferimur in pecuniam, & amplas fortunæ facultates. Non ignoras, quo loco sint apud nos isthæc bona, quem amorem, qualia desideria, quos metus, quæ gaudia, quas tristias, quales curas, qualia dicta, quales obtrectationes, quales denique motus & anxietates in nobis excitet hic affectus: & his tamen omnibus necessitatem prætexi-mus. Obuerte nunc oculos in infantem Jesum, qui pro arbitratu suo nasci potuisset in palatijs, in cunis opere materiaque superbissimis inter Reges & Principes; verbo, in rerum omnium affluentia: vide, quomodò his omnibus abstineat, quomodò deligat egenam Matrem, Stabulum, Præsepe, Pastores, omnia egentissima, pauperrimaque. In vrbe tota nullus hospitij angulus illi conceditur, sic ab omni, rerum etiam necessariarum, subsidio destituitur, vt nullus aliàs Infans, in tanta egestate natus videatur; si vnquam viuentibus grauis est necessitas, ea potissimùm

vrget

vrget in infantia, in nariuitate, quãdo tam tener est Infans, tam debilis, tam impos opis sibi adhibendæ, vt parum profuturæ sint omnes maternæ sollicitudines, nisi accedant aliqua fortunæ subsidia; at interim vniuersa Matri desunt & Infanti, & nihilominùs æquè lubenti animo carent hisce suis necessitatibus, cùm id visum sit Diuinæ Prouidentiæ, atque si rebus omnibus, quas appetere in tali casu natura posset, abundarent.

Quòd si cordium, affectuumq; penetralia ingrediaris, videbis eos etiam abstinere desiderijs maiorum facultatum, ne petere quidem illas, aut de earum defectu, vt fieri potuisset, colloqui; sed è contrario eas paruipendunt, & infinito inopiam suam interuallo omnibus mundi bonis anteponunt. quid censes? (a) sanúmne est Infantis de rebus iudicium? recténe sic ab omnibus abstinet? quid igitur ex hoc exemplo tibi concludendum est? O Iesu, (b) *qui propter nos egenus factus es, cùm esses diues, vt tua inopia diuites essemus*, fac, vt agnoscam grandia bona, quæ à contemptu temporalium bonorum prouenium, & discam sic ijs abstinere, vt ne eorum quidem mouear desiderio.

II. PVN-

(a) *Christus eligit quod salubrius iudicat, vos eligitis quod reprobat. quis prudentior è duobus, cuius iudicium iustius, cuius sententia sanior.* Idem ibid.
(b) 2. Cor. 8.

II. PVNCTVM.

Aduersio in vitam præteritam, & statum præsentem.

INteresť, vt te hac in re discutias, non tam examinis & confitendarum præteritarum culparum gratiâ, quàm vt præpares animum ad concipienda solidiora in futurum proposita: nam vti varij sunt gradus imitandæ huius paupertatis, & ars multiplex abstinendi bonis temporalibus, eorumque cupiditate, pro varia ratione conditionum, munerum, ingeniorum, & necessitatum, primò aduerte animum ad conditionem tuam, an illa permiserit administrationem bonorum, & quomodo in ea te gesseris. quod sufficeret sæculari, vt aduersus sextum Præceptum, prohibens iniustam alieni boni detentionem, lethaliter deliquisse censeretur, satis est Religioso, vt mortiferum scelus admiserit in votum paupertatis, si illud, tanquam proprium, sine superioris vsurpauerit facultate; sunt & alia vitia in vsu bonorum, ex statu suo discutienda, expendendaque.

Altera aduersio spectet genium naturæ tuæ, nam quidam non admodum propendent in opes & fortunæ commoda; alij vehementissimè eò rapiuntur. quo ex genere

es tu? (a) & qualia tibi hactenus vitia peperit immoderatus iste affectus? Caue ne tibi persuadeas, sola te necessitate adactum; ad hunc pecuniarum amorem, nam ille fucus est cupiditatis, vt suos appetitus colore necessitatis & decori inuoluat.

Et quia ab æstimatione rerum, oritur in easdem amor & affectus, tertio loco mentem excute, an non iuerit in erroneam opinionem mundanorum, diuites beatos, aut pauperes miseros existimantium; aut potius fidem habuerit Christo Domino, verbis tam planis sententiam suam à sensu mundi alienam exponenti, maximè post tot lumina in hoc ipsum argumentum peculiariter tibi concessa. Quid ais? putabis forsan sermone suo inuectum esse Christum in solos nefarios opum (b) possessores, aut in religiosos bona ordinis,

(a) *Multi dati sunt in auro casus, & facta est in specie ipsius perditio eorum. Lignum offensionis est aurum, væ illis qui sectantur illud, & omnis imprudens deperiet in illo. Beatus diues, qui inuentus est sine macula* &c. Eccl. 31.

(b) *Cur ipse Saluator, cuius est aurum pariter & argentum, sacram in corpore suo dedicat paupertatem? aut certè cur paupertas ipsa tam solicitè enarratur ab angelo*: Hoc, *inquit*, vobis signum, inuenietis infantem pannis inuolutum. *In signum positi sunt panni tui Domine Iesu, sed in signum, cui à multis vsque hodie contradicitur.* Bern. Serm. 4. in Natiu.

dinis, priuato sibi commodo, vendicantes, qui vulgò tales ab omnibus habentur, teque ex eorum numero non esse ac proinde nihil imminere tibi periculi: verùm id etiam hîc aduerte, illum esse grauissimum inter mortales errorem, quod nemo se diuitem arbitretur, neque credat ad se spectare ea væ, quæ Christus diuitibus denuntiauit: Erras, si hac opinione imbutus es; non in eos diuites cadit execratio, qui pluribus opibus abundant, sed in eos, qui pluris illas faciunt, ardentiorique, quàm par est, prosequuntur affectu, seu amplas reipsa possideant, seu nullas; atque adeò vt rectè iudices, an ad illorũ spectes numerum, (a) vide an ex illis fueris hactenus, qui plùs æquo æstimarunt, coluerunt que diuitias, illa enim æstimatio, & ille affectus est omnium malorum fons. O Deus, etsi ægrè adducar, vt agnoscam errasse me in hoc nimio, erga res temporales, affectu, nihilominùs pro concessa mihi notitia gratias habeo humillimas, & rogo, digneris ita mentem meam hoc errore expedire, vt alijs etiam instruendis reddar idoneus.

III. PVN-

(a) *Non solùm ille auarus est, qui rapit aliena, sed etiam qui cupidè seruat sua.* August. Serm. 106. de temp.

III. PVNCTVM.

Propositum in futurum.

SI de eligendis diuitijs, aut paupertate deliberares, petendum esset à Deo lumen, ne imprudens fallerêre; illius enim est præscribere optionem, & nostrum, obsequi: interim autem cuiuscumque sis conditionis, si agitur de opibus aut paupertate voluntaria, profitere semper, meliori apud te loco esse paupertatem, quàm opes, quod ita Christus senserit, iudicaritque.

Terrena quippe bona, & opes huius mundi, (a) talia mala non sunt, vt debeant sceleribus accenseri, sed neque eiusmodi bona sunt, vt eam mereantur æstimationem, quam illis mundus & corrupta natura attribuit. Esse possunt occasiones benè agendi, promouendiq; salutẽ suam, sed plerumque ruinæ & damnationis sunt causa: quamobrem illa vereri potiùs oportet, quàm amare; & quia præcipua mali radix in corde sita est, & in cupiditate, illi præcipuè remedium est adhibendum, & decernendũ hodie, quod, quotiescumque

(a) *Si diues fueris, non eris immunis à delicto.* Eccl. 11. *Non est census in crimine, sed affectus. Superbum diuitem tormenta cruciabant, sed tamen dines Abraham fuerat, qui sinu Lazarum tenebat.* Greg. 10 Moral. 17.

que subibit animum eiusmodi affectus, velis illicò cohibere, nolis de ijs rebus loqui, nisi adactus necessitate, nolis affligi, imò ne earum quidem cogitationem admittere, nisi quantum exigunt officij tui rationes; quòd præterea abstinebis omnibus alijs naturæ perturbationibus, quibus obnoxius es; quod paruo contentus viues, & in illo ipso paruo, nihil spectaturus sis aliud, quàm nudum vsum; quod paratus esse velis id amittere, aut te priuare, si Deo sic visum fuerit; Denique, quod ita sis abstracturus animum à terrenis illis bonis, vt si vel minimam in ea sentias propensionem, meritò timere possis ne excludaris numero discipulorum illius Magistri, qui idcircò in tanta rerum omnium inopia nasci voluit, vt has nobis veritates inculcaret, & à quo disertè pronuntiatum est: *Omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus*: (a) Expende, quid sit *renuntiare*, quid *omnibus*, quid *non esse ipsius discipulum*: quisquis ille est, sit sæcularis aut religiosus, sit sacerdos aut profanus, sit diues aut pauper, excellat alijs virtutibus, aut non, nisi renunciat omnibus, extra scholam Christi est, nam Christus illum pro discipulo non agnoscit.

COM-

(a) Luc. 14.

COMPENDIVM MEDITATIONIS in Decimamtertiam veritatem.

I. PVNCTVM.

Declaratio eiusdem.

CVm hodie distinctiùs considerandum sit, quo modo nos abstinere oporteat ad exemplum Christi infantis, id facere rectiùs non possumus, quàm insistendo triplici cupiditatum generi, vnde omnes immoderati affectus, à quibus abstinendum est, emanant. Et exemplum Christi in stabulo & præsepi nascentis tam appositè venit in rem præsentem, vt meritò pro indubitata veritate admitti debeat; quod, sicut, quidquid in mundo est, est Amor diuitiarum, voluptatum, & honorum; ita quidquid est in præsepi, sit instructio, quæ nos doceat, vitiosis his amoribus abstinere.

Considera 1. an non verum sit, quidquid est in mundo, compositum esse ex tribus hisce Cupiditatibus; an non omnia mundanorum consilia eò tendant, vt accumulent diuitias, vt dignitates obtineant, vt commodis suis fruantur? ah qui corda illorum intueretur, quemadmodum Deus illa perspicit, quàm clarè aduerteret verissimum esse, omnes illorum cogitationes & consilia eò referri.

Considera 2. an non æquè verum sit, quòd, quidquid est in stabulo & in præsepi, sit absoluutissima instructio, quâ discamus ab hisce tribus prauis cupiditatibus abstinere ? nam cùm illic nihil appareat, nisi abiectio, paupertas, miseria, aliaque his cupiditatibus opposita; sitque ipsa sapientia diuina, quæ abiectionem opponit superbiæ mundi, paupertatem illius diuitijs, & miseriam ipsius voluptatibus, nónne fateri oportet cum D. Paulo, ad erudiendum nos, hanc esse institutam oppositionem, & vti loquitur Bernardus, vt discamus, Christo contraria mundi eligente, mundum falli, & quotquot illius studijs aguntur, prorsùs insanire ? & si sapere nos velimus, debere abstinere ab ijs opibus, ab ijs voluptatibus, ab ijs honoribus, quæ mundus consectatur, quo modo ijs Iesus & Deipara, quo tempore maximè indulgebant, abstinuerunt ?

Porrò vt ex hac consideratione fructum colligas vberiorem, obserua potissimùm paupertatem in hoc stabulo, vbi omnia egena sunt & misera, conspicuam; pauperula mater, pauperius hospitium, misera pastorum societas, miseri panniculi, denique tam misera & egena omnia, vt hoc indicio denuntient Angeli pastoribus Saluatorem : *Inuenietis puerum pannis inuolutum & positum in præsepio*. ô quale indicium, vt agnoscatur Rex orbis vniuersi ! ô quale indicium, vt postquàm illum

illum agnoueris, eadem quoque opera cognoscas homines errare suis desiderijs,& malè temporalia isthæc bona consectari!

II. PVNCTVM.

Aduersio in vitam præteritam, præsentemque.

TRia noxarum genera potuerunt committi in hac materia; primæ grauiores sunt & capitales, vt si sæcularis iniustè bona aliena detineat, aut Religiosus tantum sibi, velut proprium, vendicet, absque facultate superioris, quantum sufficit, vt in sextum præceptum mortaliter peccetur. Aliæ sunt leuiores, quando pecuniæ, vel boni quantitas retenta, exigua est, quando affectu nimio, nimia sollicitudine & anxietate ferimur in bona isthæc temporalia, & ratione istorum affectuum negligimus debita Charitatis, Pietatis, Mansuetudinis, aut alterius virtutis officia. Et tandem aliæ, imperfectionum nomine censentur, cùm diuitiæ, & vitæ commoda, paupertati & incommodis præferuntur; cùm nullius rei indigentiam pati volumus, cùm satis esse existimamus, non offendere in Iustitiam aut votum paupertatis, neque inquirimus an non maiorem aliquam perfectionem Deus à nobis requirat.

Peracto hoc examine, & agnito nimio tuo affectu, & immoderata rerum terrenarum æstimatione, erubesce & dole; neq; prætextu necessitatis te excusa, nam amor ille & affectus non reddit te ditiorem, sed vitiosum te facit etiam tum, cùm opibus non affluis; & adeò te illa opum cupiditas, à necessitate non eximit, vt potiùs illam etiam exaggeret, persuadeatque & superflua esse necessitates, & necessitatum speciem pro excusatione valere.

III. PVNCTVM.

Propositum in futurum.

NOn solùm, vt nolis imposterum delinquere in hac materia, vbi tam crassa vitia sunt, & palpabilia, vt etsi comparatione grauiorum leuia videantur, insigniter tamen improbum esse oporteat, qui ea admittit.

De promouenda igitur statûs tui perfectione aliquid statuendum est, id decernendum, vt meliore apud te loco sit deinceps paupertas, quàm diuitiæ, ob reuerentiam exemplo Christi & verbis eius liquidissimis debitam; vt potiùs metuas bonis abundare, vnde Deo & hominibus obstringaris, quàm præter naturæ votum aliquâ eorundem premi inopiâ; vt abstineas curis omnibus superfluis,

fluis, verbis, anxietatibus, querelis, alijsque perturbationibus tum internis, tum exterioribus, quibus naturæ genius commoda, ipsaque vitæ sustentandæ necessaria persequi consueuit; vt denique nihil omninò habeas, quo non carere paratissimus sis, si ita visum fuerit diuinæ dispositioni, vt habeare discipulus eius Magistri, qui ait: *Qui non renuntiauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Seriò expende hæc verba, aut enim renuntiandum est affectui rerum omnium terrenarum, aut è glorioso Discipulorum Christi numero excidendum.

DECIMAQVARTA VERITAS.

Maiorem esse voluptatem, voluptatibus propter Christum omnibus abstinere, quàm ijsdem indulgere.

Circumcisio cordis in spiritu non littera, cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est. Rom. 2.

MEDITATIO

in hanc Decimamquartam veritatem.

I. PVNCTVM.

Declaratio eiusdem veritatis.

VTi peculiariter, in meditatione de Natiuitate Infantis Iesu, considerauimus opum cupiditatem, vt illius exemplo discereremus eadem abstinere, ita peculiarem quoque in ipsius Circumcisione instituemus considerationem de cupiditate voluptatum, vt videamus, qua ratione circumcidi nos oporteat, & coërcere voluptates, quas nimiùm natura consectatur, & id spectasse Christum, vt in locum corporeæ, quæ Iudæis erat in vsu, succederet, in vsum suorum, circumcisio spiritualis.

Cons-

Considera igitur 1. vnam ex rationibus, propter quas sese benignus Iesus legi Circumcisionis subiecit, fuisse, vt nos confirmaret in hac veritate, quæ docet immoderatis voluptatibus abstinendum.

Considera 2. Etsi doloris tibi plurimum afferret ista ab hisce voluptatibus abstinentia, lubenti tamen animo ferendum fore, ob Reuerentiam eius, qui tantum pro te dolorem in Circumcisione sustinuit: cæterùm pro explorato habeas, maiorem in ea re voluptatem reperiri, quàm dolorem, aut ipsum etiam illum dolorem voluptate non carere; & denique iucundiorem esse sensum voluptatis, omni propter Iesum voluptate abstinere, quàm illi indulgere.

Verùm obserua 3. omni prorsus voluptate esse abstinendum, (a) aut respuendo res omnes, quæ sensibus atque appetitui lenocinantur, aut eas vsurpando non lenocinij causâ, sed necessitatis, aut alterius finis honesti ratione: qui enim quibusdam tantùm voluptatibus abstinet, quibusdam indulget, non experietur illam, quæ in abstinendo sita est, voluptatem, quandoquidem ea non reperiatur, nisi in voluptatum omnium abstinentia. Accedit quod ex Christi amo-

(a) *Nónne euidenter Circumcisio carnis præceptum est Castimoniæ, vt aliquis resecet libidinem carnis, & indomitas frænet cupiditates.* Ambr. lib. 1. de Abraham c. 17.

re reuerentiaque sit abstinendum: at illius amor exigit, vt abstineatur ab omnibus, cùm penitus amori voluptatis aduersetur, & necesse sit aut hunc, aut illum ex corde tuo exesse; non quòd repugnet ille licitis & innoxijs voluptatibus, quas in conditione tua honestè po es admittere, sed quod nolit, vt eas solius voluptatis gratiâ admittas, quin sublimiori potiùs ratione expurges illas ab ea lue, quam menti terrenis deditę voluptatibus afflare consueuerunt.

Quia verò asperum tibi videtur, & propè intolerabile viuere voluptatibus vacuum, audi, (a) quid proposita veritas tibi denuntiet: tantùm abesse vt voluptate careas, vt nunquam liquidiùs illam percepturus sis, quàm vbi abstinueris voluptate sensuali, senties enim aliam spiritualem, quæ præ omnibus sensuum voluptatibus est appetenda.

Hoc in argumento eueniet tibi, quod olim accidit (b) Abrahamo, filium suum Isaac, qui risum & lætitiam significat, sacrificaturo; vix enim consenserat in hoc genus sacrificij, cùm propensam illius voluntatem acceptam habuit Deus, & pro filio, arietem inter vepres repertum, sibi voluit immolari; ad eum modum

(a) *Voluptatem vicisse voluptas est maxima; nec vlla maior est victoria, quàm ea, quæ è cupiditatibus refertur.* Cyprian. l. de discipl. & bono pud.

(b) *Gen.* 22.

dum, inquit Bernardus, etsi de immolando risu & voluptate sermo sit, sola pars animalis, in qua sensuum voluptates, immolabitur, quæ verò animæ est, constabit tibi consolatio; (a) *peribit delectatio ventris, sed manet delectatio mentis.*

Et reipsa, liquidissima mentis solatia, quæ Deus seruis suis adpromittit, ijs peculiariter reseruantur, qui illi seruiunt eâ vitæ integritate quæ ab omni illicitarum voluptatum amore abhorret. Vide, quibus manna fuerit datum & quandonam cœperit de cœlo depluere: An non ijs, qui Ægypto excesserant, & quibus elata farina defecerat? an non ablactati sunt à lacte, & auulsi ab uberibus, quorum Deus voluntatem non minùs solidis implet delitijs, quàm intellectum ornat scientiâ, & cæleſtibus illustrat documentis? sed omittamus hæc solatia, quæ Deus pro arbitrio suo mentibus nostris affundet, vt non esset aliud solatium, quàm placere potiùs Iesu Christo, quàm suo appetitui, an non videbitur generosæ animæ sincerior illius sensus, quàm qui offendendo Iesum ex appetitus satisfactione perciperetur?

Anima sceleribus dedita, quæ vel non credit Deum offendi suis voluptatibus, vel illum offendere non reformidat, posset fortassis in ista sua viuendi licentia, aliquam persentiscere vo-

(a) *Bernardus qui plura in hunc sensum* serm. 5. in Quadragesi.

re voluptatem;sed anima,quæ credit sibi non esse licitum inhærere voluptatibus , quà voluptates sunt, quæque non ignorat , quid sit Maiestatem Diuinam offendere fierine posset vt illi volupe ijs inhærere ? possétne delectari eo ipso momento , quo videret se offendere Deum suum,se suam conscientiam , ac salutem discrimini exponere ; sibi aut pœnitendum esse;si tempus supperat,aut si illud desit, grauissima supplicia esse subeunda?

Fateberis te talia cogitantem nulla perfundi posse delectatione , sed hæc non occurrere animo argumenta, imo potiùs etiam repelli. At tu , vellésne in peccandi occasione constitutis ijs carere cogitationibus optimis,& mentem aliò auertere, vt tantò peccares liberiùs , maioriq; perfruereris voluptate? O infelicem animam in eo statu viuentem morientemque! fatendum igitur est,aut animam tuam hæc cogitantem non perfruituram peccati voluptate , aut si voluptatis fruendæ gratiâ non cogitet, fore illam infelicem quæ viueret morereturq; in eo statu,quo funestior nequit animæ euenire.

Quæ cùm ita sint,vt aut exiguam aut omnino nullam sentiat in peccato voluptatem anima Deum timens,an non verè dici potest, quòd abstinendo maiori fruetur (a) voluptate,cùm in peccato non habeat nisi perexiguam,

(a) *Hoc bonæ mentis est vulnus sentire peccati.* Ambr. in ps. 118.

guam, eamque turpissimam, at in contraria virtute habitura sit delectationem obsequij Iesu Christo præstiti, & tanti emolumenti sibi ab hoc obsequio prouenientis, quæ sanè materia est delectationis tam eximiæ, quàm sanctæ solidæque? nulla videtur maior voluptas, neque innocentior, quàm, si quis grauiter sitiens bibat, nihilominus Dauid magis delectatus est à potu abstinendo, licet eundem vehementer appetiuisset (a) effundendoque aquam, quam petendæ siti attulerant, dicitur à scriptore sacro, eandem libasse Domino, & sancti Patres asseuerant fuisse hoc præcipuum acceptissimumque huius Regis sacrificium, vt videas quo merito abstineatur à voluptatibus, & quanta voluptas consequatur talium meritorum acquisitionem.

O mi Iesu, in ipsa Circumcisione tua, tibi collatum est hoc Nomen, quo salus nostra, totumque gaudium nostrum continetur, vt innueres, nos, in Circumcisionibus nostris spiritualibus, saltem huius nominis effectum, posse nobis, de tua benignitate, polliceri.

II. PVN-

(a) 2. Reg. 23.

II. PVNCTVM.

Aduersio in vitam præteritam & statum præsentem.

SAnctus Paulus harum veritatum lumine illustratus satis deplorare non poterat, (a) se aliter aliquando vixisse, atque obtemperasse potiùs motionibus appetitus sui, quàm rationis aut Gratiæ. Et tu illius exemplo, itera hîc dolorem, quem iam ante concepisti, & magis magisque istam naturæ, mundique solam voluptatem sectantis, licentiam detestare. Vtque te meliùs, ad stabilienda imposterum proposita, disponas, obserua: id tibi antehac fraudi fuisse quod cùm ingentes essent voluptates, sensumque valdè afficerent, ita mentem abripuerint, vt non memineris peccati eas comitantis: cùm verò erant remissiores, minusque periculosæ tibi videbantur, tum existimaueris te sine culpa ijs frui posse, aut exigui esse meriti, ijsdem abstinere. In quo vehementer falsus es; nam imprimis, in leuibus hisce voluptatibus, quæ præ alijs, minùs videntur periculosæ, quibusque licentiùs indulgemus, istud semper inest mali, quòd appetitui obtemperetur. Hero nimirum tam proteruo, vt quò magijs illi obtemperatur, eò gra-

(a) *Eph.* 2.

grauiorem exigat obedientiam. Neque vllum ad nos tentandos perdendosque, commodius Cacodæmoni stratagema est, quàm eius generis voluptates obijcere, quæ non videntur lædere conscientiam, sed quæ tandem illam suffocant, ex vna enim in aliam pertrahit voluptatem, & eò tandem aliquis deducitur, quò nunquam prudens & adhibita consideratione ire voluisset.

Putásne, simul ac aliquis verba fecisset de tollendo Ioanne è medio, consensurum fuisse Herodem in facinus tam nefarium? Ego sanè non arbitror, consensit tamen? at quî? posteaquam se nimiùm oblectasset choreâ illius saltatricis, quæ tandem tanti viri caput sibi dari postulauit, ijsdem gradibus in falsorum Deorum cultum Salomon, in alieni thori violationem David, & alij peccatores in sua scelera sensim prorepsêre. Conijce mentis oculos, si lubet, in primum, ipso statim mundi exordio, peccatum, vt tua clariùs agnoscas, videbisque quod, sicut Eua, quæ peccandi fecit initium, non comedit de fructu vetito, nisi postquam *vidisset bonum esse lignum ad vescendum & pulchrum oculis aspectuque delectabile* (a): ita neque tu in vitia exorbitaueris, nisi post admissas leues aliquas delectationes, quæ vitio carere videbantur? Quid? nónne hanc ipsam ob rem disertis nos verbis iubet Christus & manum & pedem & oculum,

(a) *Gen.* 3.

lum, (a) si fortè offendiculi aut peccati præberent occasionem, resecare, proculque abijcere? agnosce igitur errorem illumque deplora.

Alter est, quòd non putetur singularis esse meriti, se modicis illis priuare voluptatibus, sibique in argumento tam leui vim inferre. Verùm vt non esset aliud emolumentum, quàm procul esse à discrimine quod aliàs incurritur, an non foret satis æqua causa sese ijs priuandi? sed & falsum est in ista leuium voluptatum abstinentia (b) meritum esse tam exiguum; ea enim ratione damus illustria fidei nostræ amorisque indicia, si ostendimus nos ita Deum reuereri, vt illius intuitu nolimus inhærere vlli rei, quæ illum offendat, aut aliquam præferat speciem mali. Abstinuisset Adam pomo vetito, an non exigua se priuasse edendi voluptate tibi videretur. Attamen non ignoras quanto merito stetisset hic actus temperantiæ, quandoquidem posteris suis omnibus promeruisset, vt in felicissimo illo statu, in quo Deus illum condiderat, nascerentur, vitamque degerent bonis omnibus cumulatam: & quando sanctus ille, de quo in Apocalypsi (c) mentio est, abstinuit delectatione, quam ex verbo impatienter prolato haurire poterat, quantula erat voluptas, & quanti eandem cohibere? nihilominus hinc

prome-

(a) *Matth.* 5. & 18. (b) *Qui timet Deum, nihil negligit.* Eccl. 7. (c) *Apoc.* 3.

promeruit robur ad subeundum martyrium, vbi plures viribus defecére,& fidei atq; animę iacturam facere , quàm vitæ maluerunt. Ah! mi Deus;lubens dicerem bonum esse tibi deseruire , cùm tam bonus sis, vt liberalissimè compenses etiam minima seruorum tuorum obsequia;sed malo dicere,te eousque bonum dignumque obsequijs omnibus , vt etiam citra omnem compensationem, merearis , vt æque tibi fideliter in minimis , atque grauioribus occasionibus deseruiatur.

III. PVNCTVM.

Propositum in futurum.

SVfficit *præteritum tempus*,aiebat Petrus (a) *his qui ambulauerunt in luxuriis, desideriis*, alijsque carnis & naturæ voluptatibus;hodie tandem &,quàm antehac , solidiori decreto statuendum est,ijs abstinere,& se circumcidere cum puero Iesu ad eum modum , quem ipse requirit,commendatque.

Primò,quædam sunt delectationes, à quibus quòd prauæ sint,penitùs est abstinẽdum, id tam deliberatum sit,quàm chara est animę salùs, de hac enim agitur. Eijce ancillã Agar, & filium eius Ismaelem , dictum olim fuit Abrahamo,ad præstandam Isaaco securitatẽ. Cõsidera nihil aliud fecisse Ismaëlem , quàm quòd

(a) 1. *Petri*. 4.

quod colluderet fratri suo Isaac, (a) at lusum illum Sara ferre non potuit, quem malè Isaaco cessurum ominabatur: & reuerà perierat, si vnà habitare fratres perrexissent: & Paulus meritò (b) lusum Ismaëlis vocat persecutionem Isaaci, aitque idem prorsùs inter appetitum sensualem & spiritum nobis euenire, ita illum huic colludere; sed malo esse occurrendum, separari illos oportere, neque vnquam committendum, vt vitiosæ delectationi sit vllus ad animum nostrum accessus.

Sunt aliæ quædam innocentiores voluptates, neque prohibitæ, vt quæ è lusu, è cibis, ex aspectu, ex alloquijs, alijsque eius generis non malis actionibus capiuntur, à quibus tamen iuuat nonnumquam abstinere, tum ad frangendos naturæ impetus & ad artem eius moderandæ perdiscendam, tum vt propriùs insistamus Christi vestigijs, reddamusque nos diguos eius Magistri discipulos, qui in perpetua voluptatum abstinentia vitam omnem traduxit. *Arca Dei, & Israel,* aiebat Vrias, (c) *habitant in papilionibus, & Dominus meus Ioab super faciem terræ manet*, procul à domesticis commodis, & delicijs, *& ego ingrediar in domum meam, vt comedam & bibam,* meisque etsi licitis, indulgeam voluptatibus! absit,

(a) *Gen.* 21. (b) *Gal.* 4.
(c) 2. *Reg.* 11. *Solus in illicitis non cadit, qui se aliquando à licitis cautè restringit.* Greg. 5. Mor. 8.

absit, non faciam. Ad tale capiendum decretum animari exemplo Seruatoris nostri deberemus.

Denique, cùm necessarium sit viuere, & viui non possit, quin cibus, quin aliqua animi relaxatio, aliqua denique voluptas capiatur: capiatur equidem, sed quasi non caperetur; non habeatur tanta ratio voluptatis, quanta necessitatis aut dispositionis diuinæ, hanc viuentibus necessitatem indicentis, in qua tam indifferenter, tantaque affectûs abdicatione viuendum est, vt nihil propter delectationem illi admixtam, amemus, sectemurque, neque propter molestiam oderimus, & refugiamus. Eam ob rem comedit Iesus, & inter homines versatus est, vt eos doceret, tam vbi rebus, quarum vsus culpâ vacat, quàm ijsdem abstinere. Idcirco etiam nos hortatur Apostolus(a) vt *siue manducamus, siue bibimus, siue aliud quid facimus* vitæ sustentandæ necessarium, *omnia ad Dei gloriam*, ad explendam illius voluntatem & consilia, *faciamus*: vti reipsa, cùm voluerit Deus nos viuere beneficio vsuque rerum necessariarum, (b) magna per nos ad ipsius gloriam fit accessio, si non aliter vsurpamus res istas, nisi quatenus eas nobis ille statuit, præscripsitque.

Ani-

(a) 1. Cor. 10. (b) *In omnibus talibus non vsus rerum, sed libido vtentis in culpa est.* Aug. 3. doctr. Christ. c. 12.

Anime mi, si dumtaxat propter Deum, & nulla ratione propter voluptates nobis vita ducenda est, an non pariter obligamur non vsurpare res vitæ ducendæ necessarias, nisi eiusdem Dei, & nullo modo voluptatum permistarum gratia? O Deus, annue, vt hoc sit decretum meum; confer Gratiam tuam, vt quauis oblata occasione exequar, quod modò decreui.

COMPENDIVM MEDITATIONIS in decimamquartam veritatem.

I. PVNCTVM.

Declaratio eiusdem.

DIscemus ex mysterio Circumcisionis abstinere & resecare immoderatas voluptates, quemadmodum ex Natiuitate didicimus nimio diuitiarum affectui moderari: Et quidem discemus primò, vt acerbum sit suis voluptatibus abstinere, eam tamen acerbitatem molestiam que ferre patienter, exemplo Christi, cui Circumcisio non potuit non esse acerba, & cruenta. Quia tamen hinc exigitur à nobis, vt sic abstineamus ab omni voluptatum genere, vt nihil solius voluptatis gratiâ faciamus, & aliunde constet, nos viuere non posse sine aliqua voluptate, innitendum est propositæ veritati, quæ ait, nos maiorem volu-

voluptatem capturos, abstinendo voluptatibus, quàm ijsdem fruendo. Nimis benignus est Deus, quàm vt non illicò restituat, quod illi consecratur; & si exigit sibi immolari nostrum Isaacum, nostrum risum & solatium, potiùs ad periclitandam fidelitatem nostram id facit, quàm quòd velit solatio nos nostro priuare. Sic Abraham immolandum filium recepit; & Israelitis, loco farinæ ciborumque Ægyptiacorum, quos deseruerant, cœleste Manna liberaliter concessum est.

Verùm, vt non esset aliud argumentum quàm quòd desumitur ex consideratione diuersi statûs duarum animarum, quarum vna non ignorat se Iesum offendere, dum vacat suæ voluptati, & altera scit eidem se placere, dum voluptate abstinet, an non sufficeret, vt agnoscere s hanc animam placendo Deo suo, liquidiore perfundi voluptate, quàm possit altera capere, illum offendẽdo? si foret anima eousque profligatæ malitiæ, cui Numinis loco sua esset voluptas, aliis deberet stimulis vrgeri; sed tu, qui nosti, quo loco habendus sit Iesus, quamque offendatur impuritate quæ menti ex vsurpatione mundanæ, terrenæque voluptatis adhæresci t, quî poteris eum offendendo delectari? aut quî fieri potest, vt hæc eius offendendi consideratio non tollat omnem sensum qualiscumque voluptatis.

Si

Si dicas eò te animum non advertere,dum voluptati indulges,ô miserum & perditum te si vt liberiùs indulgeas voluptati, mentem à Iesu avertis?at non aduertes postea ? nullus affliget te sensus pœnitentiæ ? non voles te illũ non offẽdisse?an non foret tibi iucundius hac voluptatulâ abstinuisse? Ai vel nega, eloquere ex animi sententia;dicere sanè non audebis,te non agniturum scelus tuum, nimis enim quàm infelix esses in eiusmodi statu viuens morienſque:si igitur vnquam te agnituru es,necesse est,vt fatearis tandem aliquando maiorem fore voluptatem, voluptate abstinuisse,quàm eidem indulsisse, quandoquidem grauiùs dolebis, indulsisse te, quàm si abstinuisses:aut si non doleas, neque agnoscis hanc veritatem, nunquam pariter agnosces scelus tuum, adeoque in pessimo statu viues morieriſque.

II. PVNCTVM.

Aduersio in vitam præteritam, præsentemque.

POstquàm cum Paulo agnoueris,doluerisque te hactenus in studio voluptatum,& offensione Iesu tui, vitam exegisse; observa duplicem errorem,à quibus hæc praua viuendi ratio promanauit;alter fuit, quòd quando voluptas non erat singularis, tu non aduerte-

ris

ris singularem malitiam, adeoque licentius illi vacabas: sed vti voluptas exigua semper gradum facit ad maiorem, ita quoque grauioris patrandæ malitiæ periculo nos exponit, & ratione huius periculi quò ducit exigua voluptas, oportebat agnoscere grauiorem malitiam, quàm prima specie promittebatur; quantillum erat etiam opinione tua, in pomum vetitum oculos defigere, eoque se oblectare aspectu? erat sanè exponere se periculo gustandi, adeoque grauius malum, quàm aspectus præseferebat. O quoties tibi similia acciderunt!

Alter error est, quòd passim arbitremur, non admodum nos mereri abstinendo voluptatibus, quæ vti leues sunt, ita exiguam meriti materiam præbent abstinenti: sed iam aduerteris, non tam æstimandum esse damnum voluptatis ex suis initijs, quàm ex ijs, quæ illam consequuntur, quæque semper sunt periculosa, atque adeò non exigui esse meriti, hanc malorum consecutionem præpedire. An non plurimùm promeruisset Adam, abstinendo oculos & manus ab illo fructu, ne in eius esum deduceretur? Et vir ille, de quo in Apocalypsi mentio est, qui solùm cauit, ne verbum aliquod impatientius excideret, nónne singulare meritum collegisse videtur, quandoquidem intuitu huius silentij, meruit perstare in fide, martyrijque laureâ coronari, quam alij impatientiæ fræna laxantes,

xantes,amisêre? ô quales quantasque nos iacturas facimus ob modicam quæ ex sermone,ex esu,ex visu,audituque,capitur,voluptatem!in his enim modica voluptas magnarum iacturarum est causa.

III. PVNCTVM.

Propositum in futurum.

QVando delectationes prauæ sunt,aut periculosæ,quales quales sint, exiguæne an vehementes, penitus est ijs abstinendum; & hîc eodem animi decreto opus est, quo Sara ancillam Agar, filiumque eius Ismaëlem domo sua eiecit,eò quòd Ismaël colludens Isaaco, eundem,vt loquitur Paulus, persequebatur,quo modo appetitus noster spiritui colludens,eundem deprauat, corrumpitque,adeoque separari illos necesse est.

Imò sint licitæ videndi,audiendi, loquendi delectationes, proderit tamen subinde iis abstinere,maximè si vehementiori sensu titillent animum, nam ea ratione discimus procul habere illicitas voluptates, si ne licitas quidem & innoxias admittamus.

Denique,si tam coniũctę sint delectationes vitæ actionibus,vt nequeant ab ijs separari,vt cum cibi potusq; sumptione vtere,quasi nõ vtereris,vtere quatenus Deus vult,& quia vult, nullo autem modo,quia te delectant. Si enim viue-

viuere non debemus noſtri gratiâ, ſed Dei, non debemus etiam referre neceſſarias vitæ delectationes ad nos, ſed ad Deum, qui vult his vitæ delectationibus nos frui: oſtendemus autem nos eas ad Deum potiùs referre, quàm ad nos, ſi æquè parati ſimus abſque illis viuere, ſi fortè ita Deus diſpoſuerit atque prompti ſumus illas acceptare, cùm offert, ô quàm pura & ſancta eſt illa voluptas, quæ ſolius Dei causâ capitur, & quàm liquidus illius ſenſus, cùm ſic ab omni fæce cuiuſcumque alterius intentionis expurgatus!

DECIMAQVINTA VERITAS.

Honorificentius esse, cum Iesu mundanis honoribus abstinere, quàm cum hominibus eosdem sectari.

Ioseph, surge, & accipe puerum & matrem eius, & fuge in Ægyptum, & esto ibi, vsque dum dicam tibi. Matth. 2.

Et Iesus descendit cum eis, & venit Nazareth, & erat subditus illis Luc. 2.

Nónne hic est Fabri filius? nónne hic est Faber filius Mariæ? nónne hic est Iesus filius Ioseph, cuius nos nouimus Patrem & Matrem? Matth. 13. Mar. 6. Ioan. 6.

MEDITATIO

in Decimamquintam veritatem.

I. PVNCTVM.

Declaratio eiusdem veritatis.

ADhuc discendum nobis est, quomodo debeamus abstinere ab amore inordi-

nato,

nato, quo ferimur in honorem, noſtriſque exiſtimationem nominis, exemplo Pueri Ieſu, qui tam efficere poterat vt ab Herode, à Iudæis, mundoque vniuerſo agnoſceretur, coleretur que, quàm à Paſtoribus & Magis, nihilominus ab omni illo honore volens abſtinet; adeoque non ſolùm (a) *non recipitur à ſuis, in propria veniens*, vt loquitur Euangeliſta, vt etiam pellatur, quæratur que ad necem, cogitur deſerere Nazareth maternam domum, exulare procul à patria, & in Ægyptum confugere: non erit redux, niſi poſt ſex, aut ſeptem annorum curriculum, & patriæ redditus non exhibebit ſe cæteris pueris ſpectabiliorem; aut ſi ſemel id præſtet Ieroſolymis, erit ad diem, vel horam vnicam, & poſteà ſtatim ſe recipiet in oppidum ſuum Nazareth, vbi ad annum vſque triceſimum ætatis viræ genus tranſiget, tam ab omni honore alienum, tam obſcurum & occultum, vt cùm deinde proditurus eſt in publicum concionabundus, manifeſtaturuſque ſe mundo, (b) difficulter credituri ſint auditores, hominem in officina opificioque fabrili educatum, ſubitò in concionatorem, in Prophetam euaſiſſe, ipſumque adeò eſſe Meſſiam.

Dubio procul hæc Ieſu vita tot annorum ſpatijs occulta, ſeu apud Ægyptios, ſeu Nazarethi, magnum pondus habet ad perſuadendam veritatem, quam ſumus meditaturi, &

(a) *Ioan.* 1. (b) *Ioan.* 7.

reuera fatendum est, talem solitudinem neque vacare mysterio, neque leues esse rationes, propter quas, in illa tamdiu sese continuit, cùm tot causæ tantaque argumenta viderentur vrgere mundi Seruatorem, vt se quàm ocyssimè hominum congressibus conuictuique immitteret. Eo fine venerat, vt illos imbueret sanctiori doctrina, (a) *vt testimonium perhiberet veritati*, quid moratur adire illos, cur differt instructionem? Etsi centenis annis eos inter vixisset, videri poterat, haud nimium vixisse ob ingentia, quæ illis contulisset, beneficia, at si solùm ad triginta tres annos illi vita prorogabitur in terris, an non est admiratione stuporeque dignissimum, quòd tricenos transegerit in vita occulta, seductaque à publico, & tres dumtaxat impenderit suæ cum hominibus conuersationi? si illi, quemadmodum nobis, perdiscendæ fuissent artes liberales longo vsu studioque, nemini mirum videretur (b) at *in eo erant omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi*, si, quod nos meritò veremur, illi periculum aliquod fuisset, inter homines viuenti, nihil fecisset insolens, si annos, si virtutem auertendis periculis damnisque idoneam expectasset; sed ille, qui erat ipsa sanctitas, nulli peccato obnoxius, quid à mundo, quid ab hominibus, quid à gloria sibi deferenda metuere poterat? si fuisset naturâ melancholicâ, quæ secessu potiùs, quam

(a) *Ioan.* 18. (b) *Coloss.* 2.

quàm hominum consuetudine delectatur, indoli potuisset aliquid indulgeri: at satis liquet, nullam hinc ei moram fuisse iniectam, quin è contrario, (a) *deliciæ ipsius* fuissent, *esse cum filijs hominum*.

Quid ergo? cur non prodit citiùs? an non esset (b) in mortalium commodum? an non in Patris sui æterni gloriam? An non esset illa functio muneris sui, cæli gaudium, terræ emolumentum? Vides confluere vniuersa, vt prodeat, vt se manifestet, vt homines alloquatur; & tamen non mouet se Nazaretho suo, officinâ suâ non egreditur, artem fabrilem non deserit, eius ope comparat sibi vitæ subsidia, suisque Parentibus, illis obedit, tamq; subditus est, vt nullus vnquam fuerit hoc diuino Puero, puer demissior, docilior, obediẽtorque.

Cùm autem non abdiderit se, neque alio fine hominum consuetudini prætulerit secessum suum, quàm vt nos doceret frænare propensionem illam à natura nobis inditam, quâ videri cupimus, & magno honore atque existimatione esse apud homines, nónne cogimur agnoscere, quantopere desiderarit hãc veritatem nobis penitùs esse persuasã? Quod melius sit latere, quàm videri, quòd præstet honorem declinare, quàm persequi? & quamvis subinde videatur ad amplificandam Dei

(a) *Prou.* 8.

(b) *Nemo quippe in occulto quid facit, & quærit ipse in palam esse. manifesta teipsum mundo.* Ioan. 7.

gloriã ſpectare, vt inter homines verſemur Deo tamen eſſe glorioſius, ſi ſimus humiles & procul ab aucupanda gloria noſtra, & nominis noſtri celebritate, quàm ſi cum ſanctis abſque eorum humilitate, & rerum mundanarum contempru, admiranda patraremus.

Seriò igitur inſiſte huic conſiderationi, neque pigeat animo reuoluere, atque admirari iſtud Chriſti conſilium, triginta omninò annorum ſolitudine, vitaque ſua occulta, agitatum: certoque tibi perſuadeas, tanti referre ad ſalu em conſequendam, vt ſcias abſtinere ab hoc propriæ exiſtimationis affectu, vt ad lectionẽ illam tibi ritè inculcandam, debueris Serua or tuus tantum impendere temporis interuallum, quantum publico ſubduxit, cùm conuerſationi non dederit niſi tres annos: quaſi nulla ſupereſſet ad perfectionem difficultas, poſtquam quis didiciſſet mundo, eiuſque dignitatibus & commendationibus carere, & compeſcere illum naturæ impetum quo in iſtas vanitates vehementiſſimè propendemus. Numquid ita eſt?

Sic omnino res habet, (a) nihil homo dimittit ægriùs, quàm honorem, imò nunquam induces vt penitùs abſtineat aliquo genere honoris niſi oblato alio, quo prioris iacturam ſoletur. Quare cùm honor omnis vitioſus non ſit,

(a) *Scio quibus viribus opus ſcit; vt perſuadeatur ſuperbis, quanta ſit virtus humilitatis.* August. l. de Ciuit. 2.

sit, & Iesus ipse (a) *acceperit à Deo Patre honorem & gloriam*, obijci potest animo honor aliquis sincerus, cuius intuitu discamus facilius ab illo abstinere, qui mera est vanitas & mendacium; hanc in rem asserit proposita veritas, honorem esse, abdicare se honore quin esse honorificentius eodem abstinere cum Iesu, quàm cum mundo eundem sectari, quod verum est non solùm coram Deo, sed etiam coram hominibus, nam scitur nihil esse probrosius, contemptibiliusque, quàm pro superbo ambitioso que haberi, (b) & è contrario nihil honoratius esse homine, qui, quem meretur honorem, virtute & seriò, non simulatè, contemnit.

Sed istud longè verius est coram Deo, qui quantum resistit superbis & ambitiosos deprimit, tantum attollit, honoratque honorum mundanorum contemptores, & honor ille, quià tanta Maiestate defertur, infinito interuallo excellentior est omni eo, quem conferre posset orbis vniuersus, cùm enim honor cõsistat in iudicio & bona existimatione quæ de nobis concipitur, tantò erit is amplior, (c)

(a) 2. *Petr.* 1.

(b) *Odibilis Deo, & hominibus superbia.* Eccli. 10. *Qui humiliatus fuerit, erit in gloria.* Iob 22.

(c) *Qui gloriatur, in Domino glorietur: non enim, qui seipsum commendat ille probatus est, sed quem Deus commendat.* 2. Cor. 10.

quantò persona nos æstimans fuerit dignior & æstimandi peritiâ iudicioque magis excelluerit ; cumque augustior persona non sit, quàm Deus, illiusque iudicium cæteris meritò omnibus iudicijs præpolleat, necesse est honorem, qui nobis ab illius iudicio atque æstimatione prouenit, vniuersis mundi honoribus antestare. Nónne pluris faceres commendari ac magnifieri, à viris peritis, prudentibus, & in honore ac dignitate constitutis, quàm à fatuis, à pueris, aut ineptis & ignorantibus? & non existimas tantum discriminis intercedere inter iudicium vniuersorum mortalium, & iudicium ipsius Dei, quantum iudicijs discrepant Vir & Puer?

Fatere igitur, si aliquem apud te locum fides obtinet, credere te debere, quod reuera honor sit amplior à Deo, quàm ab hominibus honorari: & quandoquidem æstimet illos, qui filij sui exemplo, mundanum honorem flocci pendunt, collige indubitatam esse veritatem, quod honorificentius sit, cum Iesu mundanis honoribus abstinere, quàm cum hominibus, eosdem sectari. Cum quo malles societate & similitudine conuenire, cum Jesu qui mundum eiusque dignitates declinat, an cum Herode, qui easdem prosequitur, earúmque studio insectatur infantem Iesum & tot innocentium sanguine litat ambitioni suæ? istud enimverò agitur, cùm agitur de declinandis prosequendisve honoribus mundanis,

danis, vt aut imitationis similitudine referas Christum, aut eundem insecteris. O mi Iesu quis vnquam cogitasset, tantum ab hac honoris nostri cupiditate prouenire periculi damnique, aut ea pericula, damnaque cogitantem, adhuc posse eiusmodi iusistere cupiditati?

II. PVNCTVM.

Aduersio in vitam præteritam statumque præsentem.

VT in hac materia te melius explores, obserua honorem, quem in hoc mundo cõsectamur, vanum esse posse, adeoque eius cupiditatem, qua ad eum consectandum impellimur fieri quoque posse quatuor modis vitiosam & inordinatam: Primò, si honorem aucupamur ex re, (a) qua caremus, aut maiorem cupimus, quàm res ipsa mereatur, species quædam mendacij est & vanissima vanitas.

Secundò, si gloriemur de rebus extra nos sitis (b) vt de vestibus, de supellectili, alijsque similibus, inanis ista gloria est, & mentis delirium, hinc se circumspicere.

(a) *Quasi qui apprehendit vmbram, & persequitur ventum: sic & qui attendit ad visa mendacia.* Eccl. 34. (b) *In vestitu ne glorieris vnquam, nec in die honoris tui extollaris.* Id. c. 11.

Tertiò, si facinora nostra, aliaque laude digna quæ gessimus vel possidemus, sic adscribimus nobis ipsis, vt laudem & gloriam inde (a) nobis promanantem, non referamus ad Deum fontem omnis boni accepti, arrogantia est, & ingrati animi vitium, quod Deus sæpe suorum subtractione donorum gratiarumque vindicare consueuit.

Denique licet honor tibi debitus sit, ob rem laude dignam, licet agnoscas solius Dei beneficio te illam obtinuisse, & fieri etiam possit, vt aliquam inde gloriam admittas; tamen ardentiore illam affectu appetiuisti, si nimiũ ex ea tibi blanditus es, verbo, si pluris illam feciſti, quàm merebatur, fuit immoderatio quædam & vanitas, à qua tibi, velut à fructu vetito, vinoque inebriante erat abstinendum. At, nónne verum est, quod è contrario totum animi impetum laxaueris illis cæterisque perturbationibus ex hoc quadruplici fonte promanãtibus, vt inuidiæ, anxietati, intentionibus siniſtris, humanis respectibus, ostentationibus, simulationibus, dissimulationibus, spebus, timoribus, gaudijs, tristitijs, detractionibus, alijsque sexcentis vitijs

(a) *Nunquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea, aut exaltabitur serra contra eum à qua trahitur*, &c. Is. 10.

(b) *Facta est contra eum* (Ezechiam) *ira, humiliatusque est postea, eò quòd fuisset exaltatum cor eius.* 2. Paral. 32.

vitijs (a) quæ ab hoc ſuę exiſtimationis affectu, & ab hac mundi ſapientia, quam (b) Apoſtolorum nonnemo vocat diabolicam, procedunt? Iſtud modò deplora, & deprime te internis externiſque ſubmiſſi animi indicijs, vt præteritæ arrogantiæ labem detergas, & auertas impoſterum pœnam illam, quam meritò timere potes; ne, quia abuſus es, & fortè adhuc abuſurus ratione ambitionis tuæ diuinis fauoribus & gratijs, eoſdem à te Deus auferat, permittatque te labi in apertum & (c) ignominioſum aliquod ſcelus, cuius ſaltem verecundiâ ſuperbi tui ſpiritus compeſcantur. O formidandum honorum cupiditatem, quæ & virtutum omnium tyrannis eſt & omnium parens vitiorum! ô humilitatem exoptandam, tum quia medetur vitijs omnibus, tum quia præſtaret, cum Publicano humiliter agnoſcere culpam ſuam, quam cum Phariſæo de bonis operibus ſuperbire!

III. PVN-

(a) *Initium omnis peccati eſt ſuperbia; qui tenuerit eam, implectitur maledictis, & ſubuertet eum in finem.* Eccli. 10.

(b) *Iacob.* 3.

(c) *Audeo dicere ſuperbis eſſe vtile, cadere in aliquod apertum, manifeſtumque peccatum* &c. Auguſt. l. 4. de Ciu. c. 13.

Magis placet Deo humilitas in malis factis, quàm ſuperbia in bonis factis. Idem.

III. PVNCTVM.

Propositum in futurum.

EOdem modo deinceps te gere circa honorem, quo præcedenti Meditatione statuisti te gerere circa voluptatem, & scias primò, quosdam esse honores, à quibus tam tibi abstinendum est quàm certò constat, te illos, pro dignitate, non posse sustinere, quos ne appetes quidem, neque vt rem magnam suspicies.

Secundò, si nullus honor aut dignitas tibi deferatur, paruipende: si defertur, recusa quantum potes, idque ex animo, atque eodem affectu quo Iesum & virtutem illius prosequeris, imò, quo affectu spiras ad ipsum honorem, quandoquidem maximus sit honor, honorem contempsisse. Quòd si denique cogaris aliquem aliquando admittere, admitte tribus hisce conditionibus: (a) prima vt tanquam munus à Deo impositum, quandoquidem eò adigaris. Secunda, vt Deus in te honoretur, cùm nullus exhibeatur honor, nisi intuitu meriti alicuius, & omne meritum ab illo dimanet. Tertia, vt existimes in illo honore nihil boni existere, nisi quod ex illo Deus elicere

(a) *Prosperijs huius seculi ex sola iussione, aduersis autem etiam ex deuotione militemus.* August. ep. 148.

dicere ſtatuit, niſi quantum ille iudicat : atque eatenus dumtaxat æſtimandũ eſſe, ac de eo gaudendum ; quatenus ille æſtimat, & vult: nam extra hoc Dei iudicium & voluntatem, nihil eſt in honore, neque in alijs rebus humanis, niſi mera puraque vanitas : Atque ita, ſicuti cõtemnitur idcircò honor, quod tale ſit iudicium Chriſti, alienum à mundi iudicio, ſic acceptari idem poteſt, quando conſtat Chriſtum approbare, conſereque admittendum; adeoque vt rectè honorem æſtimes, attendendum eſt Dei iudicium, neque ille ſiue in nobis, ſiue in alijs faciendus eſt, quàm quanti Deus illum facit, neque alia ratione ambiri vel admitti debet, quàm quòd Deus illum velle ac decernere videatur. Sed quibus ex indicijs colligetur hoc Dei iudicium & voluntas ? ex his ſanè, ſi aduertas malè te facturum, non admiſſo honore aut dignitate, quæ defertur. Nunquam enim vult Deus nos peccare, adeoque ſi appareret aliquod peccandi periculum, vt contumaciæ, vel offenſionis proximi, niſi oblatum honorem acceptaremus, certò nobis deberemus perſuadere, è voluntate Dei dignitatem illam nobis obueniſſe, ideoque acceptandam. *Domine, qui habes omnium ſcientiam tu noſti, quia oderim gloriam iniquorum, & quod abominer ſignum ſuperbiæ & gloriæ meæ, tu ſcis neceſſitatem meam*, orabat olim Regina (a) Eſther, vt oſtenderet illo optimè

(a) *Eſth.* 14.

mè indicio cognoſci, velítne Deus, nos honorem acceptare, ſi nimirum neceſſitate compellamur, & ſine offenſione declinare non poſſimus. Diligenter animaduerte hoc documentum.

COMPENDIVM MEDITATIONIS in decimam quintam Veritatem.

I. PVNCTVM.

Declaratio eiuſdem.

TErtia & periculoſiſſima cupiditas, à qua nobis abſtinendum, eſt cupiditas honoris, quâ publico nos ingerimus, ad aucupandos fauores hominum & captandam ex ingenio, virtute, alijſque laude dignis facinoribus, aliquam nominis noſtri celebritatem; eſtque hæc cupiditas tam effrænata ac impotens, vt ad docendum eius cohibendæ modum, neceſſe fuerit, Deum ipſum præire nos tam ſingulari demiſſionis exemplo.

Patuit iſta animi demiſſio ab ipſis præſepij incunabilis, uti vidimus, ſed multò lucu-lentiùs emicat in Ægypto, quò ſe fuga proripere coactus eſt, & deinde in Nazareth, vbi tringinta annorum ſpatio vitam duxit tam obſcuram, ſemotamque ab hominum oculis, vt non alius quàm fabri filius, haberetur.

Si ſolam infantiam aut aliquot pueritiæ annos

annos in hac solitudine viliqúe opificio transegisset, non esset, quod tantopere miraremur, sed ex triginta tribus annis qui illi ad vitam inter mortales degendam suppetebant, totos tricenos annos illum vixisse ignotum obscurumque, vt nos doceret mundum fugere, id enimverò est, quod meritò admiremur, & vnde discamus compescere hunc affectum immoderatum, quo ferimur in honores, & studium existimationis ab hominibus colligendæ.

Quibus non argumentis urgebatur, vt se quamprimum ingereret hominum congressibus, vt se spectandum, audiendum, cognoscendum exhiberet, suique cognitione & amore sanctimoniam salutemque conferret vniuersis? quid non dixisset, fecissetque in admirationem & exemplum totius generis humani, illis triginta annis, quibus siluit, latuitque? Verùm existimauit se plus agere, nihil agendo quod splenderet in oculis hominum; quandoquidem eo pacto nos docebat abstinere ab illa vanitate, qua videri commendariqúe volumus. O quale exemplum! sed tali opus erat vt informaremur in re, in qua tam sumus fragiles, vt ægrè induci possimus ad deserendum aliquod genus honoris nisi in vicem alius offeratur adeò in honorem sumus procliues. Hanc ob rem proponitur in hac Meditatione veritas, cui acquiescere nos oportet; nam asserit, adeò nihil nobis de ho-

nore

nore nostro decessurum, ex contemptu neglectuque honoris, vt è contrario nunquam futuri simus honoratiores, quàm cùm minus volemus honorari. Reipsa, videmus, nihil ab hominibus præ vera humilitate coli suspiciique, nihilque superbo atque ambitioso haberi vilius contemptibiliusque; quod longè verius est coram Deo, qui tanti facit humiles humanæ gloriæ contemptores quantum superbos & inanis gloriæ cupidos despicit atque abominatur.

Et in hac Dei æstimatione situs est sincerus honor: nam si honor omnis quem ambimus, fundatur in iudicio & æstimatione, quam de nobis alij concipiunt, profectò, quò persona nos æstimans fuerit dignior, eò quoque honorem ampliorem esse necessum est, cùm autem nemo conferri cum Deo possit, consequens est, honorem illum esse amplissimum, quo Deus æstimat honoris contemptorem, tantoque superare interuallo omnes omniũ hominum plausus atque cõmendationes quanta Deus homines vniuersos Maiestate excedit. Age ergo anime mi, si ambis honorem & inter Primates censeri cupis, despice honorem & æstimationem, Primatum huius mundi, eriscque in honore eximius quandoquidem in Dei æstimatione futurus sis.

II. PVNCTVM.

Aduersio in vitam præteritam, præsentemque.

ANte omnia agnosce, quatuor ex capitibus procedere vanitatem, aut ex illis fieri, vt appetitio honoris sit vana & inordinata. Primò, si honorari cupimus, ratione alicuius boni, quo caremus. Secundò, si ex re, quæ laudem & honorem non meretur. Tertiò, si honorem adscribis tuis meritis, neque ad Deum refers. Denique, si nimio affectu illi adhæres, si pluris, quàm oportet æstimes, etsi illum merearis, etsi referas ad Deum, etsi cum Pharisæo agas de bonis tuis operibus gratias, si tamen pluris facias coli celebrarique ab hominibus, quàm faciat Deus, illa appetitio honoris, immoderata est, & omnes affectus gaudij, desiderij, spei, metûs, alijq; inde prouenientes hac immoderatione corrumpuntur, efficiuntq; hominem qui eò abripi se sinit, terrenum, animalem, diabolicum, quibus illum coloribus, quidã Apostolorũ depingit.

O quale argumentum deflendi præterita? quale, in præsens & futurum metuendi, ne Deus pœnam exigat de tot vanitatibus tuis, quas plerumque solet punire suarum subtractione gratiarum, sine quibus, in fœdum & probrosum deinde peccatum facilè proruas,

vt vel sic excidas opinione hominum, & elati tui spiritus deprimantur. Anime mi, cogitasses tantum in immoderata honoris cupiditate inesse periculi, vt ad auertendum periculum, & damnum, Deus cohibeat omnem fluxum suarum gratiarum, ex quibus superbiendi ansam arriperes, permittatque ea scelera; quæ idonea sint, ad te pudore suffundendum? sic est, (a) *magis Deo placet humilitas in malis factis, quàm superbia in bonis factis.*
(a) *Augusti.*

III. PVNCTVM.

Propositum in futurum.

PAr ratio honorum est, atque voluptatum. Quidam omnino declinandi sunt vtpote periculosi; Alij possunt acceptari, sed meliùs sæpè recusantur. Denique si cogat necessitas conditionis tuæ, vel quædam diuinæ prouidentiæ dispositio, vt aliquos honores admittas, fiat id purè intuitu huius dispositionis, quia Deus vult, & quemadmodum vult, non pluris illos æstimando, quàm Deus æstimet, neque plus sumendo, quàm exigat necessitas, quasi vinum foret fumosum, & ebrietate caput euertens. Id autem colliges ex hoc indicio; si pariter feras, honorem tibi negari, atque deferri: si tam obligari te credas, ad eum acceptandum, vt sine crimine non

possis

possis detrectare. O Domine, aiebat regina Esther, tu scis necessitatem meam, extra quam delatos sanè honores repudiarem. Ita loquendum atque sentiendum est.

CONSIDERATIO
in hunc quintum diem.

De Missæ sacrificio & Communione.

1. PRæmissa oratione præparatoria, quæ te in Dei conspectu statuat & exoret lumen ad cognoscendam huius materiæ grauitatem & obligationem muneris tui ritè obeundi: Considera quòd, præter excellentiam actionis, quæ eò te satis inuitat, tua etiam plurimùm interfit: nam fructus, qui ex Missæ sacrificio & Communione colligitur, multùm pendet à dispositione accedentis, & fas est hîc spectare commoda, quæ cum Diuina gloria coniuncta sunt.

2. Quando itur ad dicendum, audiendumve sacrum, oporteret eundem affectum induere, quo quis montem Caluariæ conscenderet, reuisurus omnia, quæ istic olim gesta sunt, idem enim hîc sacrificium est, idem IESVS, qui se immolaturus est, tantumque tui vnius gratia præstiturus in Ara, quantum olim in Cruce pro humano genere vniuerso, quam adfers animi præparationem?

3. Pu-

3. Puritas cordis, & effectuum aptissima est dispositio, quæ adferri ad hanc diuinam actionem queat: si enim IESVS diuinam vitam suam nobis & pro nobis offert, quid minùs facere possumus, quàm illi offerre vitam nostram sensualem animalemque? hæc immolanda est, si dignè participes esse velimus sacrificij IESV. vin' verò tu? sed anne vitam tuam illam immolas?

4. Quatuor hæ considerationes, priusquam ad Aram vel communionem accedas, facta facillimæ sunt, eædemque ad mentem ritè disponendam potentissimæ. Quid acturus sum? Quis ego, cum Deo collatus; Cur & quo fine illum accedo? Quomodò me hodie illum adire oportet? Tantíne erit paucis ad ista quatuor animum aduertere?

5. Nunquam prætermittas formare intentionem actualem, iuxta quatuor genera sacrificiorum in vno Missæ sacrificio comprehensorum: quorum primum est *Holocaustum*, in agnitionem & cultum supremi Dominij, quo Deus nos moderatur. Alterum, *Eucharisticum*, in memoriam acceptorum ab eo beneficiorum. Tertium, *Propitiatorium* ad impetrandam nostrarum culparum veniam. Quartum, *impetratorium*, ad necessaria gratiarum subsidia obtinenda, & nominatim id, quod quouis die peculiariter optabimus, siue vnum idemque sit, quod per plures dies vrgere lubeat, siue diebus singulis aliud

atque

atque aliud. Meministine harum intentionum?

6. Modus sacrum dicendi est, accuratè insistere legibus præscriptis, feruenti deuotione animi animando ritus omnes & verba posita, quasi Iesus ipse hanc obiret actionem: Modus verò audiendi est attendere, mentemque affigere omnibus, quæ à sacerdote geruntur: nam reuera præsentes certa quadam ratione cum illo sacrificant & deceret illos, si fieri posset, eodem affectu, eadem mente, eademque ferri cogitatione.

7. Si tamen periculum esset, ne aliò mens sacrum audientis euagaretur, colligi deberet consideratione vitæ & Passionis Christi Domini, quæ tota in vnius Missæ curriculo exhibetur, vt videre poteris alibi.

8. Vsus etiam esse potest Precum, quæ voce proferuntur, quibus tamen non est adeò occupandus animus vt non integrum illi sit attendere, & vnire se ijs, quæ in ara fiunt à sacerdote.

9. Generalis peccatorum confessio quæ sub initium sacrificij fit, maioris est, quàm existimes momenti: Vide an eam sentias contritionem, quæ recipiendæ à sacerdote absolutioni, qua veniales noxæ deleri possunt, sufficiat.

10. Scis idcò erigi corpora, ad lectionem Euangelii, vt testemur nos paratos esse ad propugnandam illam veritatem viribus omnibus

omnibus, ipsoque sanguine; sed accendere oportet hanc contestationem, illiusque meminisse.

11. Quandoquidem debeas teipsum hîc immolare, necesse est, vt te cum hostia offeras in ea sacri parte, quæ Offertorium dicitur, venitne hoc aliquando in mentem, & tam seriò hanc tui oblationem & sacrificium peragis, quàm Christus suum.

12. Quinam tui sunt affectus in eleuatione corporis & sanguinis Christi Domini? qua fide, quo amore, quâ reuerentiâ diuinam hanc personam adoras?

13. Nosti, quid sit communio spiritualis? hancne semper obis vnà cum sacerdote: Amplissimi ea est meriti, quando magno ferris desiderio, totumque laxas animum recipiendis fauoribus & gratijs, quas Deus tecum communicare paratus est.

14. Quod ad communionem sacramentalem attinet, eóne animo accedis, quo in cælum ingrederere? nam reipsa, eadem reuerentia & puritate opus est, vt IESVM excipias, quâ vt ab illo excipiaris.

15. Grauis foret abusus, si frequentia Communionum aliquid de feruore & religione decerperet, quin è contrario, nihil melius ad sequentem Communionem disponit, quàm præcedens Communio: & nisi obex aliquis ponatur Gratiæ, quæ in sacramento confertur, ita hæc nos satiat, vt non tollat ap-

appetitum, desideriumque Communicandi? quo modo cælestis Gloria sic explet mentes Beatorum, vt desiderium Dei videndi non amittant, & postquam illum mille milleniſque annis intuiti sunt, tanto eius intuendi tenentur desiderio, quasi primò in cælum admitterentur. sentísne hæc talia desideria!

16. Prodest quàm maximè, vt tempore Communionis, vel eo, quo sacerdos à sacro Gratijs agendis incumbit, reuocetur in mentem, quæ soleant nobis esse in diuino seruitio difficillima, & in quibus superandis minimam operam collocamus, alloquamurque nos his similibusve verbis: Age, Deus tuus, totum se tibi impertit, non vis etiam illi te totum impertiri? & cùm sola hæc impediat difficultas, non vis illam ex eius amore reuerentiaque superare? tantúmne illi negabis? profectò non auderemus hac vti erga illum illiberalitate, quare sic vrgendus est animus & sensim suauiterque ad officium compellendus. Denique certò tibi persuadeas nullũ in tota vita tempus esse opportunius, quo ore ad os (vt scripturæ loquuntur) & corde ad cor tua conferas cum Iesv, quàm horam Communionis, & quod temporis illam consequitur. Sed animaduertes te vitio tuo hactenus non collegisse fructum illum, qui ab hac sanctissima familiaritate tibi prouenire potuisset.

17. Fortasse, quod loqui solus velis, neque

auſcultes Chriſto Domino, qui te alloqui quoque vellet?

18. Non eſſet hîc magnoperè laborandum, vt nouæ quotidie conſiderationes, & bene communicandi induſtriæ excogitarentur, quæ enim communiſſimæ ſunt, eæ quoque ſunt optimæ, cùm nihil ad nos Deo noſtro integrè penituſque vniendos, ſit potentius, quàm ea conſiderare, quæ Fides, vti maximè vulgata & nota de hoc auguſtiſſimo ſacramento nos edocet. An non ita eſt? Quidni ergo quotidie has conſiderationes menti tuæ proponis?

19. Si verum eſt, quod dicitur, vna Communione ritè obita euadere nos poſſe in viros perfectos, an non fatendum eſt, aliquam eſſe culpam à nobis, qui tot communiones pergimus eſſe tot imperfectionibus obnoxij?

20. Excute hac in re negligentias omnes tuas, illas deplora, illarum veniam à Deo poſtula, propone ſeriam emendationem, aut propoſita aliàs, hanc circa rem, concepta, nouo animi conatu ſtude obfirmare.

LECTIONES.

Ex ſcriptura ſacra: Caput 55. Iſaiæ, & 2. Epiſtolæ primæ S. Ioannis.

Ex libello exercitiorum: Tres gradus humilitatis, & quæ ſequuntur, de Electione.

Ex Thoma Kempenſi: Cap. 27. & 32. Libri Tertij.

SEXTVS

SEXTVS DIES.

De Agendo, ad exemplum Christi inter homines versantis.

DECIMASEXTA VERITAS.

Considerationem id esse actionibus nostris, quod corpori est oculus.

Videte, vigilate, & orate, nescitis enim quando tempus sit. Marci 13.

Lucerna corporis tui est oculus tuus, si oculus tuus fuerit simplex, nullo vitiolo humore imbutus, *totum corpus tuum lucidum erit*, rectè in suis functionibus dirigetur. Luc. 11.

MEDITATIO

in hanc Decimam sextam veritatem.

I. PVNCTVM.

Declaratio eiusdem.

POSTQVAM asseruisset Sapiens, (a) *Omnibus mobilibus mobiliorem atque agi-*

 liorem

(a) *Sap.* 17.

liorem *esse sapientiam*, tria adfert, quæ ipsius actionibus sunt propria, quæque mirum in modum emicuerunt in vita & Conuersatione Christi Domini, sapientiæ scilicet increatæ & incarnatæ, & à quibus hodie discamus tres insignes defectus, quos plerumque agendo committimus, emendare. Tria illa sunt, primò, quod *Attingat à fine vsque ad finem*, considerando accuratè omnia, quò fines sibi propositos assequatur. Secundò quod *fortiter* eò connitatur, adhibendo media finibus consequendis congrua & efficacia Tertiò, quod *disponat omnia suauiter*, fortitudinem suam & efficaciam insigni suauitate & mansuetudine temperando.

Vitia contraria, quæ nobis ad exemplum ex quibusdam Christi inter homines versantis actionibus, desumptum reformanda occurrunt, sunt hæc tria, ex quibus cætera dimanant: inconsideratio, ignauia, & impatientia.

Prima Christi actio, quæ meditaturi proponitur, est ipsius Baptismus, & secessus quadraginta dierum in deserto. Hinc discimus esse considerati, tantique facere considerationem, vt ex sententia decimæ sextæ Veritatis, fateamur illam id esse actionibus nostris, quod oculus est corpori.

Propone tibi imprimis ob oculos S. Ioannem concionantem in deserto, confluente Iudæorum multitudine, quos baptismo eluit

quos

quos exhortatur ad pœnitentiam & disponit ad recipiendum breuî proditurum Messiam, cuius ille sit Vox, Præcursor, & Legatus.

Vide deinde, quomodo in tempore, quo Ioannes de illo loquitur, Christus accedat, seque illi cum cæteris offerat baptizandum: vnde sanctus Præcursor captauit occasionem eum populo manifestandi; profitendi eum esse Messiam, Dominum, ac Redemptorem; primusque eo titulo defert illi honorem, demittendo se coram illo, & palam profitendo, se indignum, qui etiam (a) *procumbens soluat corrigiam calceamentorum eius.* Eodem tempore cælum discedit, & Spiritus sanctus columbæ similitudine in illum delabitur, & plebe ad hoc portentum attonita, auditur è cælo vox: (b) *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.*

Hæc in illius Baptismo contigêre. Vbi notanda prima proprietas actionum tuarum, consideratio scilicet, quæ singulari quodam modo in hac Christi actione eluxit. Nihil in ea præceps, nihil imprudenter, nihil temerè susceptum, vt solet in actionibus tuis vsuvenire, in quas ruis potiùs, quàm feraris, nulla rei agendæ circumspectione: sed considerata sunt omnia, omnia dimensa & exacta. Exspectat Iesvs ætatem annorum triceno-rum, antequam concionari, atque inter

 homines

(a) *Marc.* 1. (b) *Matth.* 3.

homines versari incipiat, quòd ea ætas maximè sit apta congruaque tali muneri. Exspectat, donec suus Præcursor disposuerit animos illorum, quos suis sermonibus compellaturus est, & donec ille sibi conciliauerit eam apud populum authoritatem, vt eius testimonio fides haberetur, id enim magis decebat, vt alterius indicio innotesceret, quàm vt suo manifestaretur, aut ipse ingereret. Incipit priùs facere, quàm docere, dum baptismo eluitur, dum se peccatoris instar humiliat, quia hinc nobis semper exordiendum est, & quia meliùs hanc lectionem exemplo, quàm alia quauis oratione erat inculcaturus. At quia maximè refert, ad actiones nostras bene obeundas, vt fiant in spiritu, & ex gratiæ potiùs vi, quàm propensione naturæ, voluit se illicò dare in preces, (a) & excipere Spiritum sanctum, licet eo plenus esset, vt disceremus eundem inuocare, & eius exemplo nos humiliare, tunc enim cælum aperietur suosque fauores & dona liberaliter nobis affunder.

Porrò si consideratio facit, vt non simus præcipites, neque naturæ impetu abripiamur, eadem quoque docet, nos non lentos & pigros esse debere, quando ad aliquid agendum mouemur, impellimurque à Spiritu sancto. Hinc Christus cùm eoden

(a) *Luc.* 3.

eodem momento sentiret sese impelli, vt in desertum se reciperet, ibique transigeret, priùs quadragin a dies in ieiunio, in solitudine, & in precibus, quàm cum hominibus loqueretur, duci se patitur, eò abit, illicque tanto tempore omnis cibi & potus expers, commoratur.

Sed cui bono hoc desertum, hæc solitudo, hoc silentium? quid tantisper agebat? quid cogitabat? ah anime mi, magno etiam hæc documento sunt, vt res actionesque nostras consideratè aggrediamur. Opus sanè non erat vt Iesus, cùm esset ipsa sapientia, otio & locis ad meditandum, considerandumque opportunis vteretur, nam momento perspiciebat vniuersa, nihil illũ latere poterat: sed quia actiones ipsius, nobis seruire debebant loco instructionum, & quia agendi exemplar effingebat, quod inspiceremus, imitaremurque, abdit se in hanc solitudinem, quasi agitaturus animo atque circumspecturus, quid operis sibi incumberet versanti inter homines; quasi prospecturus casus omnes, qui accidere poterant. vt paratum illis adferret animum; quasi necessariæ sibi forent hæ considerationes, ne incauto aliquid eueniret, aut vt nihil officij sui prætermitteret; at minimè opus illi erat istis prouidentijs; Nos, nos in hanc solitudinem euocabat, nos instruebat suo silentio: nostrum est, ita prius recedere, quàm rem aliquam momenti

alicuius aggrediamur, vel vt seriò suscipiamus negotium salutis nostræ, vt discamus incumbere actionibus nostris, tam matureconsilio, tam deliberato, consideratoque vnulla nos vnquam capiat rerum actarumpœnitentia, quippe nullum aggredientes negotium, nisi adhibitâ eâ, quam res exigit, consideratione.

In hunc finem quotannis secedimus in hoc Exercitia, vt illa cogitemus, quæ totius annicurriculo rectè transigendo sufficiant; Ad hoc singulis mensibus deligimus diem, singulisseptimanis tempus matutinum, & diebus singulis horam vnam, vt per istud otium, apræterita, præsentia, & futura, commodiusaduertere possimus animum, eoque pactosic corrigamus, sic prospiciamus, sic deliberemus de euentibus, qui possunt occurrere, vtquantum fieri licet, nihil accidat, quod nonsit prouisum, & cui excipiendo non sit paratum, obfirmatumque pectus.

Ex hoc denique sapientiæ prudentiæque in Christo Iesv elucentis exemplodiscimus, in ipsa quoque actione, tancollectum præsentemque habere animum,vt aduertat ad omnes illius circumstantias, ad locum, tempus, personas,media, & præcipuè ad Finem, vt nullis alijs ad agendum consilijs feramurquàm quæ à Gratia & à Spiritu Christi suam opem conferentis, spectan-

tur, cùm enim ille nunquam non aliquem ob finem operetur, excellentissimus censendus est, quem ille intendit. Hunc vsum considerationis testamento reliquit Dauid filio suo (a) Salomoni, nihil æquè in extremis illi commendans, quàm vt in omnibus suis actionibus esset circumspectus. In eo mortalium sapientissimus Salomon sapientiæ decora collocat, (b) vt *intelligat* quis *viam suam* (c) & rebus agendis attendat. Hęc est discretio, quam aiebat Antonius oculum & lucernam corporis in Euangelio nuncupari. Hoc denique est argumentum præclarissimorum quinque librorum, quos D. Bernardus Eugenio Papæ composuit, vt hinc peritiam sui regendi consecutus, tantò feliciùs totam Ecclesiam administraret.

O Iesu, quantum tibi debeo, & ob tempus illud, quod considerandæ tuæ vitæ, quam aggrediebaris, insumpsisti, & ob hoc otium, quod mihi modò concedis, vbi disco te non alia de causa secessisse in desertum, quàm vt nos doceres, quanti referat in omnibus negotijs nostris vti consideratione, tum ad ea rectè inchoanda, tum prosequenda, tum denique exitu felici concludenda. Adijce, si placet, hunc prioribus cumu-

(a) 3. *Reg.* 12.
(b) *Prouerb.* 14.
(c) *Apud Cass. Coll.* 2. *cap.* 2.

lum fauoris, vt modò sic agnoscam culpas meas in hac materia commissas, vt præterita expiem, & futuris prospiciam.

II. PVNCTVM.

Aduersio in vitam præteritam, & statum præsentem.

TRia vitia huic considerationi aduersantur, quæ in vita anteacta, & naturæ tuæ genio debes agnoscere, vt ijs prouideas. Primum est Præcipitatio quę te ad loquendum, ad agendum, ad familiaritatem cum hominibus ineundam, ad studia vel ad alias occupationes, (a) subito potiùs naturæ impetu, quàm ratione vel delectu impellit; vnde fit, vt tota actio ab hoc solius naturæ impetu procedens, euadat omninò naturalis & humana, neque quidquam spirituale sapiat aut diuinum, quæ multorum & prægrandium origo est vitiorum. Detestare, & defle hanc miseriam.

Alterum vitium est leuitas quædam & inconstantia animi facilè euagantis, digredientisque ab attentione, quam ad opus, (b) quod

(a) *Vbi non est scientia animæ, non est bonum: & qui festinus est pedibus, offendit.* Prou. 19.

(b) *Dissipantur cogitationes vbi non est consilium.* Prou. 15.

quod præmanibus est, adferre oporteret, vt illud perfectissimo, quo occurrit, & quo secundùm gratiam, ipsiusque operis dignitatem, fieri modo potest, absoluatur. Hinc oriuntur immoderati gestus corporis, imperfectiones actionum, otiosæ cogitationes, sermones abs re alieni, temporis mala inutilisve collocatio, visitationes & congressus sine vllo fructu, studia malè ordinata, orationes & pietatis exercitia sine gustu reuerentiaque. Vide quænam ex hisce vitijs tibi familiaria sint.

Tertium est, quòd peracto opere & per diem non colligatur animus, neque se, suasque actiones excutiat, sed impetu naturæ, veluti torrente aliquo se sinat abripi; ex quo fit, vt admissis mille culpis, ne vnica quidem agnoscatur. nam praua consuetudo sic pro libidine & naturæ arbitrio viuendi, non patitur vt mens & conscientia aduertat fieri malè, vbi grauioris peccati nota non appareret, quin etiam de eo admoniti, sese à consuetudine & suo agendi modo excusant, quasi idonea esset, quæ à vitijs sumitur, excusatio. (a) Magnum ergo vitium esse oportet inconsiderationem, quæ cæterorum aufert notitiam vitiorum.

(a) *Vide Greg. 25. Mor. 6.*

III. PVNCTVM.

Propositum in futurum.

QVandoquidem (a) D. Bernardus præ cæteris fusiùs, distinctiusque hanc materiam scribendo excoluerit, ex tribus illius documentis efforma propositorum tuorum rationes. Primum est, vt, ad rectè agendum, tanti facias cõsiderationem, quanti rem vllam aliam, quòd ipsa, eo testante, medium sit vniuersalissimum ad applicandas omnes partes, (*quas*, inquit, *benigna quadam præsumptione suas facit, præagendo quodammodo*) perficiendis actionibus nostris requisitas; vnde consideratione deficiente, cætera deficiunt omnia. Oculus morum est, tam necessarius, vt inter agendum non delinquamus, quàm est oculus corpori, vt inter gradiendum, non prolabatur.

Secundum documentum est, vt applicemus hanc considerationem moderandis nostris affectibus, aut si iam moderati sunt, vt hanc ipsam moderationem nostris actionibus adhibeamus. Ratio est, quia si actionem aliquam aggrediamur temerè, & nulla præmissa consideratione, res, circa quam actio versatur, illico naturam stimulabit aliquo capiendæ voluptatis, vel emolumenti, vel glo-

(b) 1. *de Consid. c. 7.*

gloriæ vanæ desiderio, natura verò hoc affectu labefactata, totam quoque actionem corrumpet, vti nimis quàm sæpe experimur: Adcoque vt non corrumpatur actio, labes ab actibus remouenda est, quod fit per considerationem, qua menti obijcimus ea, quæ alias animũ à rerum mundanarum affectu abstraxerunt, docueruntque abstinere motionibus, quas res sensibus subiectæ solent excitare. Id igitur omnino faciendum est, vel vt naturæ impetus anteuertatur, vel si ille nos occupauerit, vt ad normam quam nobis præfiximus omnia ex gratia, & spiritu agendi, illum componamus.

Tertium & postremum documentum complectitur exteriora omnia, compositionem corporis, morum, occupationum, aliorumque ad nos spectantium, vt omnia exacta, rectèque digesta sint, vt nihil non honestum, non decorum, in tota nostra viuendi ratione appareat; vt nihil abundet, nihil desit; vt nulla sit rerum agendarum ignorantia, nullus neglectus; vt nihil confusum sit indigestumque; vt cuncta sint debito loco, debito fiant tempore, ordo denique in omnibus seruetur; vt quod per diem agendum est, manè præuideatur; vt inter agendum cogitetur, quid præuisum sit, & vesperi vel statim ab opere videatur, an vti par erat, satis attentus fuerit animus; proponantur aduersa, quæ possũt accidere, vt cùm acciderint non ita feriant

riant vt de mentis ęquitate tranquillitateq́ue aliquid decedat, quin potius Prudentia succurrat Fortitudini, vt Fortitudo Prudentiam conseruet.

O Deus, vtinam tam procliue mihi esset datis occasionibus agere, quàm facile est, in oratione, quomodò agendum sit, cogitare, sed tota difficultas in vsu executioneq́ue consistit. Fili mi, si rectè consideras in oratione, quomodo sit agendum, etiam disces quo pacto superanda sit illa difficultas, quam in executione perhorrescis: & accomodatissimum eius superandæ medium est, meminisse illius considerationis, quam in oratione concepisti, vt excitares te ad tuarum omnium actionum perfectionem, nequidquam obnitentibus omnibus difficultatibus, quæ occurrent; si enim orationis tempore verum est, te, quidquid agis, perfectè agere debere, verùm etiam censebitur tum, cùm erit agendum: & si natura aliunde commota, non aduerteret inter agendum hanc veritatem, aperiet consideratio mentis oculos, facemq́ue prælucebit, vt eam tam actionis, quàm orationis tempore animaduertat.

COM-

COMPENDIVM MEDITATIONIS in decimamsextam veritatem.

I. PVNCTVM.

Declaratio eiusdem.

QVando sapiens de sapientia locutus, aiebat illam agere considerate, fortiter, & suauiter, loquebatur sanè de sapientia increata atque incarnata Iesu Christo, proferebatq; tres prȩclarissimas dotes, quibus ille suas omnes actiones reddebat perfectissimas, & quarum exemplo nos artem agendi disceremus, seclusis tribus vitijs nimiùm nobis familiaribus, inconsideratione, ignauia, atque impatientia. Prima, quæ est consideratio, discitur ex eius Baptismo & secessu in desertum. in Baptismo, vt percurras minutissimè singula, nihil tamen reperies non exactum, digestumque tanta sapientia & consideratione, vt sola hæc actio sufficere videatur, ad circumspectionem nobis inculcandam; siue enim exspectet annum ætatis tricesimum ad inchoandum diuini verbi præconium; siue tantisper moretur, donec Præcursor ipsius auditorum suorum animos, ad illum excipiendum disponat; siue curet se, more aliorum, aquis elui; siue se deinde det in preces, ad recipiendum spiritum sanctum columbæ similitudine

descen-

descendentem; tam aptè disposita sunt vniuersa, vt facilè appareat non aliunde, quàm à consideratione sic disponi potuisse.

Et vt adhuc manifestiùs demonstraret, se nihil aggredi, non diu præmeditatum, & bene perpensum, priùs in desertum secedit, quàm ineat prædicandi & cum hominibus conuersandi officium, ibique quadraginta diebus, totidemque noctibus commoratur, intentus rebus postea dicendis, agendisque, non alio certè consilio, quàm vt videremus, an non oporteat nos, qui naturâ tam sumus imprudentes, adhibere curam & studium, ne quid inconsideratè temereque aggrediamur, cùm ille, qui minimè secessu considerationibusque indigebat, vt agenda prospiceret, ijs nihilominùs, quasi vsui sibi forent, voluerit vacare? si consideratio idem præstet actionibus nostris officium, quod oculus corpori, quid ab illis sperare aliud possumus, quàm lapsus, & imperfectiones, nisi oculus ille mentis apertus sit, & illustratus? O sapientia æterna, cuius beneficio in hanc solitudinem abductus sum vt deinceps mihi agenda prospiciam, fac, quæso, vt agnoscam, quæ sint partes debiti officij mei: nam, ô Deus, non tam solitudo docet, quæ tibi sint accepta, quàm tua, quæ in hac solitudine confertur, sapientia.

II. PVNCTVM.

Aduersio ad vitam præteritam, præsentemque.

SI te noueris, agnoſces tria vitia, quæ plerumque admiſiſti, in initio, in progreſſu, & in fine tuarum actionum.

In initio, nimium fuiſti præceps, impetu potiùs, quàm electione, potiùs naturæ genio, quàm ductu rationis & gratiæ, opus aggreſſus es. Nónne ita eſt?

In progreſſu, auocas alio animum ab attentione, quæ ad opus perfectè exequendum eſt neceſſaria, & nullibi minus es, quàm vbi maximè te eſſe oporteret: & aliud quiduis agis potiùs, quàm quod agis. quid cenſes?

In fine, opus relinquis imperfectum, quoties non colligis te, neque examinas, qua ratione paractum à te ſit, fieri enim non poteſt, quin multi defectus interuenerint, quos iſta reuiſio & examen emendaret, quo pacto ſcriptarum litterarum errores, relegendo corriguntur. Nihil hic eſt, in quo te reum agnoſcas?

Porro tria hæc vitia non ſunt niſi fontes & ſcaturigines plurimorum aliorum quæ inde promanarunt, quæque ſi agnoſcis deflere

deflere te decet; si verò non agnoscis, tantò magis defle neglectum considerationis, qui tibi nunc aufert notitiam tot aliorum defectuum in actionibus tuis commissorum.

III. PVNCTVM.

Propositum in futurum.

S. Bernardus, qui hac de re præclarè scripsit, tria tradit documenta, ex quibus propositum tuum efformabis.

Primum est, vt tanti facias vsum considerationis, quasi tota actionum tuarum perfectio ab hoc vsu dependeret. Oculus est, pariter & lumen, vide, quid corpori sit oculus, quid sol mundo.

Secundum, & grauissimum, vt ad componendas rectè actiones, prius componas affectus tuos, hi enim à re obiecta corrupti, facilè corrumpunt actionem, nisi à consideratione veritatum præseruetur. Da operam, vt hoc documentum rectè capias, maximè enim necessarium est, & vbi ceperis, statue eo uti, in occasionibus periculosis, in quibus affectus facilè peruertuntur.

Tertium spectat exteriora, vt nihil negligatur, quod attinet ad perfectionem muneris tui tuarum occupationum, tuæ conuersationis, tuorum morum, in sermone, in incessu, & reliquis, quin tantam illis adhibeas consideratione

rationem, quantam rei dignitas requirit; cauendo quod nimium, ne exteriora illa affectata & studio composita videantur, & quod parum est, ne quid appareat neglectum confusumque, vbique primas teneat ordo & moderatio, ordini leges consideratio præscribat; leges verò illæ non minus exactè obseruentur in actionibus, quàm consideratæ, & pro veris habitæ sunt in meditatione: nam æternæ veritates semper veræ sunt, seu agas seu mediteris; & si aliàs aliæ tibi videantur, vitio tuo fit, qui aliàs alius es, neque tibi constans. Quare si vis vt eædem, eadem semper specie, tibi occurrant, vt tu idem sis, tibique semper similis, allabora.

DECI-

DECIMASEPTIMA VERITAS.

Ad Fortitudinem spectare, id exequi, quod agendum esse dictat consideratio; eamque Fortitudinem nobis à Christo conferri.

Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus, in verbo autem tuo laxabo rete. Et cùm hoc fecissent, conclauserunt piscium multitudinem copiosam, rumpebatur autem rete eorum, & annuerunt socijs, vt venirent & adiuuarent eos. Et quæ sequuntur de vocatione Apostolorum. Luc. 5. cap. & Matth. 4.

MEDITATIO

in decimam septimam veritatem.

I. PVNCTVM.

Declaratio eiusdem.

SEcunda agendi proprietas, quam in sapientia notauimus, quamque debemus in Christo obseruare, vt illum in nostris actionibus

nibus imitemur, est Fortitudo & vis animi, quæ nos excitat ad integram executionem eorum, quæ consideratio dictauit esse facienda. Anima est, & vita actionis illa fortitudo, sine qua, quidquid suscipitur, languet ab ignauo quodam torpore naturæ, vel opus semper differentis, vel inchoatum fastidientis, priusque transilientis ad aliud, quàm quod præ manibus est numeris omnibus absoluatur. Aptissimè ad rem facit hæc decima septima veritas & vocatio Apostolorum, vt inde duo illa discamus, quæ à veritate proponuntur, & Fortitudinis esse, illa exequi, quæ agenda esse dictat consideratio, & fortitudinem illam nos à Christo mutuari.

Postquam Christus Dominus quadraginta dies in deserti solitudine, considerando nostræ salutis negotio, quod aggrediebatur, transegisset, confestim ad executionem eorum, quæ censuerat agenda, se accingit. Orditur à vocatione (a) quorundam hominum, quibus vti vult ad conuersionem cæterorum promouendam; videt piscantes in mari Galileæ, seque verbo illis manifestans, illos ad se euocat, non tamen omninò avocat à piscatu, donec alias reuisens, cùm totam noctem frustra piscando consumpsissent (b) iubet illos designato quodam loco laxare retia; obtemperant illi, & primo retis proiectu, tanta pi-

scium

(a) *Matth.* 4. (b) *Luc.* 5.

scium vis capta est, vt nec rete sustinere, nec adducere illi possent, nisi viribus aliunde emendicatis; fuitque tam prospera cumulataque piscatio, vt duæ naues implerentur, tanto onere, vt vtraque adiret periculum submersionis, hoc viso Petrus, qui prodigiosum tam copiosæ piscationis iactum fecerat, prorsus alium se sensit, obfirmatumque deserere omnia, vt se integrè illi consignaret, cuius vim & potentiam experiebatur, & illicò instituti sui socios habuit cæteros Apostolos, qui relictis parentibus & fortunis omnibus se quoque Christo tradidêre.

Vides, vt Christus non cunctetur exequi quod animo designauit? vides, vt statim operi se accingat, opereturque tanta fortitudine & potentiâ, vt cogat ad obsequium suum res sensus expertes, & homines, qui ad primos illius nutus, illicò parent euocanti? O vim & potentiam Seruatoris! sic primo congressu, pauciisque verbulis ad se pertrahere homines, & homines addictos arti suæ, suisque commodis; quo ex genere nominatim erat Matthæus, quem paulò pòst citauit, qui pari tamen promptitudine statim deseruit vniuersa, qua cæteri cymbas & retia, quæ totæ erant illorum facultates.

Verùm cur ad conuersionem aliorum, deligit hoc vile & illiteratum hominum genus? nempe ad vim & fortitudinem suam melius demonstrandam, si mundum conuertat opera duode-

duodecim (a) Piscatorum, non alia vi aut fortitudine pollentium, quàm quâ Iesus illos instructurus est. Et vt clarissimè ob oculos poneret, quales sine ipso simus, & quid possimus cum ipso, cum tota nocte piscando laborassent, esset piscatui tempus illud opportunissimum, nihilominus cepêre nihil; at sub auroram, facto vno iactu ex illius imperio, talem piscatum fecêre, qualem mox considerasti: An non, vt significaret, impendendas quidam esse vires omnes, omneque robur nostrum in executionem eorum, quæ scimus esse facienda, vires tamen omnes, & robur ab illo nobis suppeditari? venire à gratia, quam confert, vt quæ præscripta sunt, faciamus? procedere ab exemplo quod ille nobis reliquit, vt sciremus, quo sint modo facienda? & ab incitamento, ex intuitu (b) sacræ illius personæ, desumpto, vt illius vestigijs generosè constanterque operando insistamus?

Quamuis hæc præeuntis vestigia & exempla deessent, solaque ratio dictaret, opus esse fortitudine ad exequenda illa, quæ præmeditati sumus, & fieri debere cognouimus; satis vt mihi quidem videtur, esset argumenti

(a) *Elegit Christus discipulos humiliter natos, inhonoratos, illiteratos, vt quid magnum essent, & facerent, ipse in ijs esset & faceret.* Aug. 18. de Ciuit. c. 49.

(b) *Fiducialiter agam & non timebo, quia fortitudo & laus mea Dominus,* &c. Is. 12.

argumenti ad conuincendum te,& excitandum laboris ſtudium ; ſed quia poſſes , vel plus æquo fidere viribus tuis , vel ijs eouſque diffidere vt ab omni opere deſiſteres : ſatius eſt conijcere oculos in hoc exemplum , ex quo melius agnoſcas , comprehendaſque verum eſſe quod dicitur : adhiberi quidem neceſſariò debere fortitudinem quâ contente efficienterque,quæ agenda ſunt, agamus , fatendum tamen eſſe , fortitudinem illam non exiſtere à nobis,ne quid nimiæ fiduciæ ſubrepat,nobiſque aliquid arrogemus , ſed totam procedere à Chriſto tamquam eſſe potentem ac efficacem opi nobis ferendæ , vt dubitare non debeamus , (a) quin aſſiſtat imperatis facientibus , modò fideliter fiant intuitu imperij ab illo procedentis , ſicut illius iuſſu S. Petrus rete proiecit,exitu,vt vidimus , felicissimo.

O vtinam æquè mihi feliciter in meis omnibus actionibus cuncta euenirent ! Meliora vota anime mi, id optemus potiùs , nihil in noſtris actionibus omnibus ſpectare , præter voluntatem & imperium Chriſti Domini, nihil deſideremus,quàm, propter eum , iſtud exequi cum Petro , de cætero totum rei ſucceſſum illi committamus,quidquid enim ſta-

tuerit.

(a) *Quidni omnia poſſibilia ſunt immittenti ſuper eum,qui omnia poteſt ? quantæ fiduciæ vox omnia poſſum in eo,qui me confortat.* Vide Bernardum ſerm. 85. in Cant.

tuerit, ad maiorem ipsius gloriam, nostrumque emolumentum fore, certum est.

II. PVNCTVM.

Aduersio ad vitam præteritam, statumque præsentem.

AGnosce ignauiam omnibus tuis actionibus permixtam; originem, vnde prouenias & prauos, quos producit, effectus. Incipe à primo opere, quo surgis è strato, percurre deinde tua pietatis exercitia, tuum munus, & omnes bene agendi, & iuxta statum tuum operandi, occasiones, & fatere te multùm abesse ab eo feruore, quem adhibere oporteret, omnia marescere ignauiâ & languore spiritus, nihil integrè peragi, omnesque defectus tuos & vitia non aliunde, quàm à defectu fortitudinis prouenire.

Porrò, si scire cupis vnde hic animi languor oriatur: hinc est, quod naturâ non deprehendente sua commoda & emolumenta, quin è contrario difficultatem & molestiam sentiente, animus adeò illam non excitet, vt etiam abripi se sinat, & mens quæ imperitare corpori deberet, corporis imperio obsequatur: Atque ita ab hac inordinatione labefactatur actio, & quid mirum est, peruerti actionem, si animus, (a) quem sub Dei gubernaculis

(a) *Ex Leon. serm. 4. de Quadr.*

naculis constitutum, corporis decet esse rectorem, neglecta dominationis suæ dignitate, mancipium se præstet corpori, eiusque dictis obediat?

Effectus, qui à tam mala causa producuntur, non possunt non esse mali, perniciosique; (a) quid enim efficiat animus; cui vis & fortitudo deest ad superandas occurentes difficultates? Quæ virtus sperari possit absque fortitudine, cùm sua cuique sit difficultas, cui domandæ fortitudinem adhibere oporteat? Quod vitium ab ignauia non promanet, quandoquidem vitium nihil sit aliud, quàm subiectum esse spiritum naturæ corruptæ, & ab ipsa ignauia spiritus naturæ subijciatur? vbi meritum tuum, nisi ab actionibus? & quid merebuntur actiones tuæ, obitæ per meram ignauiam, & vitijs potiùs scatentes, quàm virtutibus? Et quod maximè deplorandum est, nobilissimæ, dignissimæque totius vitæ actiones, vt Exercitia pietatis, maximè sunt huic torpori obnoxiæ; ibi potissimùm languemus, vbi contentionem & feruorem adhibere potissimùm oporteret. O Deus! qualis tandem erit vitæ meæ ratio, cùm examina mea, meæ confessiones, & communiones, meæ denique preces, quæ reliquarum mearum

(a) *Qui mollis & dissolutus est in opere suo, frater est operis sua dissipantis.* Prou. 18. *Per agrum hominis pigri transiui & ecce totum repleuerant vrticæ.* Ibid. 24.

rum actionum imperfectionem restaurare deberent, ipsæ sint imperfectissimæ, maximeque correctionis, & restaurationis indigeant!

III. PVNCTVM.

Propositum in futurum.

REsponde hisce quæstionibus, & ex responsis tuis forma proposita. Non vis studere saluti tuæ consequendæ, & incumbere perfectioni status tui, iuxta illustrationes & gratias, ad hoc diuinitus tibi collatas? at, quî consequêris salutem & perfectionem tuam, nisi per virtutes? Quomodo virtutes tuæ erunt perfectæ, nisi fortitudinem adhibes illis perficiendis necessariam? Putásne te aliquid sine diuina gratia posse? credis gratiam facturam omnia, te vires & laborem, quantum illa meretur, non conferente? Plúsne à te exigitur, quàm possis? & si potes, quod exigitur, non erubescis te nolle? si penes te esset, diuitijs, viribus, scientia, valetudine, & honoribus abundare, aliquidne in facultate tua positum negligeres, quo optata consequereris? cur ergo tam negligens es & remissus in prosequenda perfectione & vitæ sanctimonia, cùm penes te, & in facultate tua illud potiùs, quàm cætera, situm sit, neque amplius, quàm facultates ferant exigatur?

Nónne experimento probasti, quod quando efficaciter menti occurrit exemplum Christi Iesu, satis tibi sit virium atque animi, ad quiduis audendum agendumque? cur ergo tibi illud non continuò exhibes, vt continuò tibi vires atque animus, ad omnia exequenda sufficiant? si nihil arduum est, de Christo cogitanti, ipsáne de Christo cogitatio est ardua? timésne, ne quid nimis agas, nimiamque perfectionem assequaris? Responde, & si responsa tua te conuincunt, hanc tui de te victoriam nunc concede vi rationum, vt in ipsis actionibus teipsum superes vi spiritus, & gratiæ.

O mi Deus, hoc statuo, atque vtinam facere plus possem ad præstandum debitum officium meum! Fili mi, qui, quod potest, negligit, neque fortè tum quidem, cùm plus posset plus faceret, satis est ad præstandum officium tuum, vt statuas facere, quidquid poteris.

COMPENDIVM MEDITATIONIS in decimamseptimam Veritatem.

I. PVNCTVM.

Declaratio Veritatis.

SEcunda proprietas, quam sapientiæ assignat Salomon, quamque Christus in suis actioni-

actionibus obseruauit, est fortitudo & efficacitas ad illud exequendum, quod fieri debere dictauerit consideratio. Ea virtus est tam nobis ad rectè agendum pro conditione status nostri, necessaria, quàm vitium illi contrarium, scilicet ignauia, nobis est pernicioſum. Ejus exempla desumi possent ex omnibus Christi actionibus, quæ cùm sapientissimè omnes obitæ sint, Fortitudine & Potentiâ non caruerunt: insistemus tamen peculiariter vocationi Apostolorum, quòd inde discamus, non solùm adhiberi vim & Fortitudinem actionibus oportere: verùm etiam vim omnem illam ac fortitudinem à Christo esse mutuandam, vti propositum est in ea, quam meditaturi sumus, veritate.

Considera igitur primò, quomodo Christus solitudine egressus, adeat egenos Piscatores, quomodo illos vocet ad se, quomodo ipsi ei obtemperent, quomodo relictis omnibus illum sequantur.

Secundò, aduerte in hac vocatione vim & potentiam Christi Domini non solùm in prodigioso illo piscatu, quem fecit Petrus, sed etiam in subita mutatione Piscatorum, tam facilè ipsius verbo captorum, quàm eius virtute ipsi pisces ceperant.

Si inquiras, cur voluerit Piscatores, & homines illiteratos sibi adsciscere socios laborum suorum, & sui Euangelij Præcones, reperies id factum eo studio, vt tanto luculen-

tiùs pateret eius fortitudo & vis, si in conuersione mundi, produceret tam prodigiosos gratiæ effectus, talium hominum opera, quos constabat talibus prodigijs, sine illius virtute, producendis, penitus esse ineptos.

Tertio, agnosce, quòd Christus hac suæ virtutis & potentiæ manifestatione, significet, nos quoque reddi quodammodo omnipotentes, si velimus ipsius gratijs nostram conferre operam; quidquid præceperit, possumus, vti ex illius imperio potuit Petrus colligere tantam piscium multitudinem, vti potuêre Apostoli nouam inire vitæ rationem, & deinde mundum conuertere vniuersum. Quid esse poterat difficilius, quàm vt opifices illico artem desererent, in qua omnes illorum opes, vitaque continebatur, vel quàm vt illi hominibus persuaderent nouam religionem, quâ crederetur is Deus esse, qui in Crucem fuerat actus? id tamen Christi virtute & potentiâ perfectum est. At eadem virtus & fortitudo ad agendum perficiendumque quidquid Iesus à nobis exiget, promissa est, sperare igitur debemus non defuturas nobis vires, modò illa fortitudine vtamur; & vti sanè debemus, modò ne desimus consilijs, & medijs, quæ ad nostram perfectionem promouendam, ab ipso adhibentur.

Sed quartò, agnoscamus, non aliunde, quàm ab illo, hanc fortitudinem prouenire; nos à nobis ipsis nihil posse, & sicut piscato-

res

res illi, etiam tota nocte laborantes, nihil ceperunt, ex imperio autem & virtute illius concluserunt piscium multitudinem copiosam; Ita tu, quocumque ingenio, quibuscumque dotibus, quacumque virtute, quacumque authoritate præditus sis, quamcumque operam & conatum adhibeas, nihil vnquam tuo, vel aliorum commodo, efficies, absque eo, qui disertè asseruit: (a) *sine me nihil potestis facere.* O quanti ponderis est hæc instructio, siue vt nobis ipsis diffidentes, non abijciamus animum; siue vt sperantes, nihil nobis arrogemus; siue vt fortiter agentes, non vanè efferamur, quandoquidem tota vis agendi futura sit à Christo

(a) *Luc.* 17. v. 10.

II. PVNCTVM.

Aduersio in vitam præteritam, præsentemque.

CVm ope diuinæ gratiæ possis omnia, quę à te eadem gratia requirit, si illa hactenus perfectè executus non es, culpa tua est, est defectus fortitudinis, vel potiùs, defectus eius non adhibitæ; est ignauia tua, quæ non vult vim inferre repugnanti naturæ. Atque hic defectus tam perfectioni tuæ pernicioſus est, vt absque ea fortitudine & vi, actiones tuæ abeant in vitia & imperfectiones,

citra vllam ſeriam ſolidamque virtutem. Eius rei ratio eſt luculenta, cùm enim in virtute comparanda ſit difficultas, & ratione huius difficultatis appetitus naturalis repugnet, niſi ope gratiæ & animi fortitudine vrgeas cogasque hunc appetitum, vt ſe ſubmittat rationi, ipſe euadet ſuperior, & ſcis, quandocumque rationi dominatur appetitus, nihil rectè & cum virtute fieri poſſe, ſed omnia perturbatè & vitiosè. Talis ergo fuit tua vita, niſi ſtipata fuerit fortitudine: & vita, heu! deploranda, præſertim cùm in exercitijs pietatis, vbi maximè te efficacem eſſe oportebat, ibi minimum habueris animi, plurimum languoris, ignauiæque. Deſle hanc miſeriam.

III. PVNCTVM.

Propoſitum in futurum.

EXquire ex teipſo, an nolis ſalutem adipiſci, an non velis te pro conditione tua perficere? an ſperari aliunde poſſit perfectio, quàm ab actionibus rectè factis? Denique an non à virtute, & fortitudine ad hoc neceſſaria actiones rectè fiant perficianturque? ſubſcribes haud dubiè his omnibus, nunquid ita eſt? ſed quid inde conſequitur, niſi vt ſerio animi propoſito dercernas adhibere fortitudinem illam, ſine qua neque perfectionem,

nem, neque salutem consequi potes? quo potentiore argumento exigis gratiam à Iesu; quam quo profiteris, te nihil sine illo posse? at nunquid etiam valida est ratio, ad extorquendam à te cooperationem, si dicatur, gratiam nihil operari velle sine te, & te nihil operari posse etiam cum gratia, quin aliquam tibi vim & violentiam inferas? O mi Iesu; nihil mihi arduum videtur, de te tuisque effatis cogitanti. Fili mi, si ita est, vide ne ego & ista vnquam animo tuo excidant.



DECIMAOCTAVA VERITAS.

Fortiùs nos agere animi mansuetudine, quàm fortitudine.

Ecce puer meus, quem elegi, ponam Spiritum meum super eum, & iudicium gentibus nuntiabit, non contendet neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem eius, arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet. &c. Matth. 22. & Is. 42.

MEDITATIO

in hanc decimam octauam veritatem.

I. PVNCTVM.

Declaratio eiusdem veritatis.

Sapientia disponit omnia suauiter, (a) Tertia hęc dos est, quam Salomon attribuit actionibus sapientiæ, quamque exploratum imus in Christo Domino, vt discamus illum imitari, & adiungere fortitudini mansuetudi-

(a) Sap. 8.

ſuetudinem, vt tantò fortiùs efficaciuſque agamus, iuxta effatum veritatis mox propoſitæ, dicentis: Fortiùs agi animi manſuetudine, quàm ipſa fortitudine.

Propone tibi Chriſtum Dominum cum ſuis Apoſtolis inter Iudæos verſantem veluti (a) *ſignum, cui contradicitur*, id eſt, tanquam ſcopum in quem intorqueantur omnia obtrectationis tela, quæ inuidia & malitia poſſunt excogitare. Quamuis enim nonnulli illum admirentur, alij velut ab ignoto incertoque homine linguam abſtineant, pleriſque tamen coniuratio eſt, in illum inſurgere, obloqui, & omnibus illius dictis fidem abrogare. (b) Ciues ſui ardẽt in illum inuidiâ: (c) cognati vrgent improbè, vt ſe mundo manifeſtet, ſpectabilioremque exhibeat. Apoſtolorum votum eſt, vt quàm citiſſimè ſe probet Meſſiam, ipſique primas in illius regno dignitates obtineant. (d) Infima quidem plebs illum ſequitur, (e) ſed non tam melioris diſcendæ frugis, quàm videndorum prodigiorum, & opis accipiendæ, gratiâ. Imperiti capere non poſſunt, qua ratione ſe dicat Dei Filium; (f) Doctiores, illius ſermonibus ſtruunt inſidias, eumque deprehendere nituntur. Si ſe probat à miraculis, exiguntur ſcripturarum teſtimonia; ſi à ſacris litteris, diſceptatur, (g)

(a) *Luc.* 2. (b) *Luc.* 4. (c) *Ioan.* 7.
(d) *Luc.* 17. (e) *Ioan.* 6. (f) *Matth.* 22.
(g) *Ioan.* 7.

vnde, homo expers ſtudij, & in ſola arte fabrili exercitatus, nouerit ſcripturas? (a) In illorum conſpectu patrat omnia miraculorum genera; pro animi libidine alia exigunt, fidem non habituri iam factis, (b) niſi illa ipſa, quæ volunt, faciat. Si de ſceleribus illos admonet, offenduntur; ſi ea illis remittat, obmurmurant, & gratiam blaſphemiæ loco habent. Si pellit Dæmones, iuratumque ſe illorum hoſtem profitetur, (c) id, aiunt, fieri potiùs, ex familiari, clandeſtinoque vtrorumque commercio. (d) Si Samariam ingredi vult, ab incolis velut Iudæorum amicus, (e) excluditur; ſi redit in Iudæam, Iudæi Samaritanum pronuntiant. Si de regno, regiaque dignitate loquitur, habetur ſeditionum concitator; ſi de abiectione & humilitate, non creditur eſſe Meſſias. (f) Denique promptum benefaciendi, vitamque illis conferendi, animum vbique teſtatur, & illi contra toti ſunt, vt illi mala mortemque inferant.

Non ſufficiebant hæc ad exacerbandum etiam mitiſſimum animum, ſic aperte obloqui, & tam ineptè procaciterque omnibus ipſius conſilijs, dictis factiſque repugnare: nihilominus conſtabat Chriſto animus tam tranquillus, pacatuſque in omnibus illis obtrectationibus, quaſi nulla polleret in eos authoritate, quibuſcum loquebatur, aut careret poten-

(a) *Matth.* 12. (b) *Ibid.* 15. (c) *Luc.* 11.
(d) *Ibid.* 9. (e) *Ioan.* 8. & 7. (f) *Ioan.* 5.

potentiâ, quâ suam tueretur authoritatem. Quòd si videatur aliquando verbis vsus in illos asperioribus, quantillum id est, pro summo suo in illos imperio, pro tot & tantis, illos excipiendi, castigandique illorum perfidiam, causis? vlline vnquam manum admouit, nisi vt beneficium præstaret? (a) vlline damnum vnquam intulit? nónne potius reprehendit discipulos suos, quòd in ingrata quorundam capita è cælo fulmen minarentur? nónne clarè illis significauit, hunc spiritum alienum esse à suo, & se *non venisse animas perdere, sed salvare.*

Quod adeò verum est, vt posteaquam Euangelista aliquis recensuisset, quam indignè Iesus exceptus fuisset à Iudæis, & quomodo, loco commotionis & vindictæ ab ijs sumendæ, se tacitè subduxisset in desertum: proferat insignem illam sententiam, desumptam ex Isaia, quam huic meditationi præfiximus, vbi verbis Patris æterni dicitur, Filium suum implendum suo spiritu, spiritu nimirum mansuetudinis & mititatis, eoque illum spiritu versaturum inter homines, atque illis sua consilia, & voluntates denuntiaturum: facturum id tantâ modestiâ & temperatione, vt procul futura sit omnis contentio & violentia, vix audiendum, præ submissione, & teneritudine vocis, & tum quidem præcipuè, cum in illum aperta vi insurgetur, & illius optima instituta oppugnabuntur; Fore illius condescensionem

(a) *Luc.* 9.

&

& benignitatem tam mirabilem, vt videatur non ausurus calcare arũdinem semifractã, ne penitùs illam diffringeret, neq; lucernam extinguere, (a) ne fumi odore præsentes fatigaret; denique hac illum mansuetudine reportaturum victoriam, leges mundo præscripturum, & conciliaturum sibi omnium mortalium animos, qui capti eius bonitate, spes omnes suas & fiduciam sint illi addicturi.

Hæc de Christo prædixerat olim Propheta quæ ab illo inter homines versante, fuisse impleta, memorat Euangelicæ historiæ scriptor: vbi obseruabis, quòd tametsi plures aliæ illius virtutes, & actiones prædictæ fuerint, tam nominatim tamen reliqua vaticinia non retulerunt Euangelistæ, quàm quæ ad hanc mansuetudinẽ spectabãt, siue quod illa cæteris virtutibus emineret, siue, quod nostra magis interesset, illam aduertere, & pro dignitate æstimare, vti reuera etiam Christus nos ad illius studium peculiariter inuitat his verbis: (b) *Discite à me quia mitis sum & humilis corde & inuenietis requiem animabus vestris*. Ex hoc igitur Christi exemplo persuasam habere debes veritatem, quòd in actionibus tuis iungenda sit fortitudini mansuetudo, & quòd per illam plus

(a) *Persecutores Christi perdita integritate, quassato calamo, & amisso lumine, lino fumanti comparantur: quibus pepercit, quia non venit iudicare &c.* Aug. 10. de Ciuit. 30.

(b) *Matth.* 11.

plus sis effecturus, quàm adhibitâ quauis violentiâ.

Quod intelligendum est, & pro conversatione inter homines, & pro priuatum tuarum actionum perfectione, quæ nunquam meliùs quàm (a) *in suauitate & mansuetudine* absoluuntur, tum enim tibi præsentior es & ad excipiendas cælitus illustrationes, easque intelligendas aptior, vbi è contrario, cùm nimia sollicitudine & impatientia peturbamur, perit dimidium animi, (b) attentionis & fortitudinis alia omnia, quàm Deum & diuina cogitamus ruimus in tædia, in scrupulos, in tentationes in illusiones, & omnes actionum nostrarum defectus. Vnde colliges negari fidem huic veritati non posse neque supereſſe aliud, quàm vt excutias animum circa vitia hac in parte hactenus commissa, aut circa impedimenta quædam naturæ, huius veritatis exercitationi contraria, vt illis occurras. O Deus benignissime, utere, obsecro, hac ipsa benignitate tua, in indicandis mihi meis prauis affectibus, qui spiritui tuo, & huic virtuti, cuius me vis facere participem opponuntur.

II. PVN-

(a) 2. Cor 6. & Eccles. 3.
(b) *Non est sensus, vbi est amaritudo.* Eccl. 11.

II. PVNCTVM.

Aduersio in vitam præteritam, statumque præsentem.

AGnosce, sicut in naturæ tuæ genio quædam resident ignauia, & languor animi qui te quodammodo eneruat, & in agendis negotijs reddit pigrum & oscitantem, quique excitandus est stimulis Fortitudinis, ita quoque esse quandam acerbitatem, anxietatem & impatientiam, quæ nos reddat nobis ipsis & alijs graues, quod tum apetiùs accidit, cùm agendum est cum personis alienæ, à nostra, indolis; aut cùm negotijs nostris difficultates, & aduersos conatus experimur; si ad compescendos illos naturæ motus aut opus urgendum sola fortitudine animi & violentiâ vtimur nulla adhibita Mansuetudine, periculum est, ne istud quia violentum, non sit diuturnum, & ne peruersa illa inclinatio magis exacerbetur ipsa coactione, ruaturque in morositates, tædia, odia, obtrectationes, alioſque graues defectus, quæ deprehendere tuis in actionibus potuisti, aut aduertere in alijs, (a) qui meritò ab illa

(a) *Omnis amaritudo & ira & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis. Estote autem inuicem benigni, misericordes donantes inuicem, sicut Deus in Christo donauit vobis.* Ephes. 4. *Vbi zelus & contentio, ibi inconstantia, & omne opus prauum.* Iac. 3.

illa morum tuorum acerbitate offendi potuerunt.

Deteſtaberis nunc omnia iſta vitia, & potiſſimùm obſeruabis, qui praui effectus hinc conſecuti ſint, quæ adhibueris remedia, quis fuerit eorum ſucceſſus, quomodo nunc affectus ſis vt futuris prouideas. O Deus integrum mihi foret modò in me excandeſcere, quàm id facerem meritò, qui toties immeritò & ſine cauſa in alios excandui, fuiſque acerbior!

III. PVNCTVM.

Propoſitum in futurum.

CVm ergo remedium adhibendum huic peruerſæ inclinationi & hinc emananti acerbitati, ſit hæc animi Manſuetudo, de qua meditamur: Obſerua hanc oriri poſſe ex tribus Principijs, quorum primum eſt naturale, alterum ſupernaturale, & tertium ex vtroque componitur, quatenus cum diuina gratia diſcitur, & acquiritur hæc Manſuetudo per conſiderationes, quæ illius amorem in nobis accendunt, per exercitationem tantoperè nobis commendatam, & per applicationem animi ad vitia contraria, quæ vel in alijs vel nobis ipſis aduertimus.

Ad hoc tertium genus Manſuetudinis obti-

obtinendæ, formare debemus propoſita noſtra eoque nos triplici hac conſideratione, fæpius vſurpanda, ſtimulare.

Prima, quòd ex rebus occurrentibus, quædam ſint in poteſtate noſtra, quædam verò penitus extra illam ſita: ſi hæ poſteriores occurrunt, dementia eſt, eorum causâ turbari ſeq; affligere, cùm iſtis remedium ſit nullum; ſi aliquid induſtria noſtra poteſt & facultas, ſuauiter illam adhibeamus, nam acerbitas potiùs impedimento eſt, quàm profit: Manſuetudo autem inſtar olei eſt & vnctionis ſpiritus ſancti, quâ ſuauiter fluit negotium animo interim pacato tranquilloque quod cum diuina gratia bonorum omnium ſummum meritò cenſetur.

Secunda eſt, vt, quia plerumque culpam conijcimus, in prauam aliorum indolem, aut adverſos caſus, qui ſtomachum nobis cient, cognoſcamus totum malum in nobis reſidere, veriſſimamq; eſſe D. Chryſoſtomi aſſertionem, Quòd nemo læditur, niſi à ſeipſo: & quòd ſi vera manſuetudine animi præditi eſſemus, nihil nos irritaret. Res enim tales ſunt, quales apprehenduntur, duplicem anſam habent; ſi te concitant, inde eſt, quod malè illas apprehendis, aliter apprehende, & cede pauxillum, iam etiam, licet moleſtæ ſint, voluptate te afficient. An non voluptas cordi tranquillitatis ſtudioſo, non deijci caſibus adverſis, eodem ſitu conſtare, pro-

cul

cul & extra habere tumultus & perturbationum causas, idque ab animo obtinere, quod haberi à rebus extra se positis nõ potest.

Tertia consideratio pro illis est, qui bono ferri zelo videntur, & aduersus vitia, & abusus diuinæ gloriæ studio excandescunt; sed disce si ex illis es, (a) *zelum* hunc esse *amarum*: vehementerque prohibitum, neque vnquam Deum dignius honorari, quàm suaui aptitionum nostrarum subiectione, pacata applicatione remediorum in nostra facultate sitorum, & agnitione diuinæ prouidentiæ ista nobis molesta permittentis, ob fines ignotos, quam interim adorare, cuique acquiescere tranquillissimo, religiosissimoque quo fieri potest modo, oportet. Verum quidem est, vnam excandescendi causam esse, peccatum, cùm illud meritò abominemur, sed tamen, si nihil aliud in illo spectamus, quàm remedium, illud efficacius maioreque cum fructu applicabit mansuetudo, & (a) *lenitas spiritus*, quàm ira & acerbitas; porrò si in hoc grauissimo malo retinenda mansuetudo est, quanto maiori iure conseruabitur in aliis malis minoribus, quæ mala non sunt, nisi quòd talia à nobis apprehen-

(a) *Iac.* 3.

(b) *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum ne & tu tenteris.* Gal. 6.

dantur, desitque mansuetudo, quæ inde bona posset effingere.

O Deus, qui de malis nostris bona efficis, ne patere, obsecro, vt è bonis tuis mala efficiamus: ipsa naturę nostrę acerbitas est, quę cuncta perperam accipit, & mansuetudo, quę in bonum vertit omnia.

COMPENDIVM MEDITATIONIS in decimam octauam veritatem.

I. PVNCTVM.
Declaratio veritatis.

SApientia adiicit suis actionibus, pro tertia dote, mansuetudinem & tranquillitatem, vbi nos impatientiâ, & acerbitate nostras dehonestamus: & hæc mansuetudo sapientiæ, tam potens est & efficax, vt decimæ octauæ veritatis effatum sit: Mansuetudine fortiùs agi, quàm ipsa Fortitudine.

Eius exemplum admirandum vide in conuersatione sapientiæ incarnatæ, Christi seruatoris, cuius tanta fuit benignitas & mansuetudo inter obtrectationes illorum omnium quibuscum versabatur, quosque alloquebatur, vt quidam Evangelista in hanc rem adducat locum Isaiæ, considerationе dignissimum, vbi verbis æterni Patris dicitur, Iesum tam fore mitem, in spiritu, in verbis, in actionibus,

bus,in inceſſu, & in omni conuictu ſuo, vt loquens vix eſſet audiendus, vix auſurus eſſet, arundinem pede conculcare, tam fore in ſermone ſubmiſſum,tam moderatum in inceſſu: ampliuſque aliquando effecturum, in comparando ſubigendoque ſibi vniuerſo, ſua illa ſuauitate,quàm vi quauis alia, quam aliquis adhibuiſſet.

Plurima loca alia in Prophetis legebantur, ad Ieſu Chriſti miracula, ſermones, actiones, virtuteſque attinentia: ſed nullus eſt, quem tam peculiariter fuſeque retulerint Euangeliſtæ,vti hunc, ſeu quod hæc Chriſti manſuetudo reliquis illius virtutibus clariùs emicaret, ſpectatis maximè contradictionibus, quæ vniuerſim ab omni hominum genere in illum inrorquebantur;ſeu, quòd noſtra intereſſet, hanc potiſſimùm virtutem obſeruare, quam cupit nos peculiariter à ſe diſcere, dum ait, *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde.*

Et ne tibi veniat in mentem ab hac Manſuetudine debilitari poſſe neruum fortitudinis,hoc adeò verum non eſt,vt contra ſit certiſſimum, nunquam fortiorem fore Fortitudinem, quàm cùm illam temperauerit ſocia manſuetudo, ſeu vt conuerſatio tua euadat gratior,fructuoſiorque, ſeu vt actiones tuæ reddantur perfectiores. Fortitudo ſine lenitate degnerat in impatientias animi admodum moleſtas,in violẽtias intolerabiles, in nauſeas, faſtidia,

fastidia, aliaq; innumera incommoda, quibus cum gratia medetur efficaciter mansuetudo, mentem seruando, rei quæ præ manibus est, intentam, absque vlla anxietate & perturbatione; quo in statu potentior est gratiæ vis, Domino ibi existente, *non vbi commotio*, à solicitudinibus: *aut ignis*, ab iracundia: (a) *sed vbi sibilus auræ tenuis*, ab animi tranquillitate. Vnde etiam fit vt homines pacati, mites, & blandi, Deo hominibusque sint in amore, & quidquid ex æquo postulant, assequantur. Benignissime Deus, qui nolit hoc bonum tam honestum, tam iucundum, tam vtile, cui omnes afficiuntur? attamen pauci omninò sunt, qui illud possident.

(a) 3. *Reg.* 12.

II. PVNCTVM.

Aduersio in vitam præteritam, præsentemque.

ADuertes in naturæ tuæ genio, sicut quædam est ignauia quæ difficultates declinat, ita, cùm illas subire cogeris, esse quandam impatientiam quæ te tibi, alijsque reddit difficilem, quæque tali acerbitate inficit omnes actiones tuas, vt sæpe præstaret illas omitti, quã obiri tam acerbè, insulseque. Patet equidem, id esse ab indole tua, sed sic à culpa te non excusas. Si dicis, te offendi indole alio-

aliorum indeque excandescere, scias te, si mitis esses, non offensum iri indole aliorum, sed illam toleraturum, sine vlla tædij aut indignationis significatione, quin tolerares teipsum, frænando tædium istud, quod solius mansuetudinis defectu amarum est.

III. PVNCTVM.

Propositum in futurum.

ALiqui naturâ suaues sunt & pacati, alij peculiari Dei beneficio & fauore istud consequuntur; si vtroque cares, ne desponde animo, sed adhibe considerationes & preces, vt illud obtineas, ac exequi decernas, quod natura aut peculiaris gratia hactenus negauêre.

Considera primò, cùm omnis ista impatientia oriatur à difficultatibus aut esse remedium aliquod, aut nullum: si nullum, cur affligeris! si aliquod, cur istud suauiter non adhibes, cùm impatientia malum exasperet, augeatque difficultatem, tãtum abest, vt leniat.

Secundò, Quia culpam conijcis in alios, qui opinione tua, te lædunt, ac inconsultè irritant; scito à te malum prouenire; neminem lædi, nisi à seipso; ineptiam esse iuxta ac dementiam, inutili labore se fatigare; alijs risum motura, quæ tibi bilem; imò aliàs ne te quidem eorum sensu tangendum, qui tum cùm

cùm tangeris, penes te esse, vt commodum inde referas, oblecteriſque potiùs, quàm vt ægreſcas animo.

Denique, quia tum videtur esse iusta excandeſcendi materies, cùm Deus aliquo scelere offenditur, diſce non rectè curari malum alio malo; diſce Deum magis placari, & efficaciùs curari peccatum manſuetudine & lenitate ſpiritus, quàm acerbitate; Manſuetudine prohiberi iracundiam, non tolli efficacitatem; Illam bonum esse ita mali expers, vt etiam mala conuertat in bonum, vbi è contrario acerbitas ex bono malum efficit; An non iſta ſatis, vt obfirmes animum conſtanti propoſito?

CONSIDERATIO in hunc Sextum diem.

De ſtudio, aut occupatione ordinaria, & de Remiſsionibus quæ à prandio, aliaſque capi poſſunt.

1. PEracta conſueta oratione, Propone tibi ſtatam tuam occupationem cui incumbis, ſiue ea manu, ſiue ingenio perficiatur, aut quodcumque munus quod tibi, pro conditione tua, obeundum eſt: vide an non alterutro horum vitiorum pecces, vel incumbendo illi nimio affectu, & ex mero impetu

petu naturæ, vel nimis ignauiter, & perfunctoriè, non attendens, Deo præstari hac occupatione obsequium.

2. Si plura occurrant facienda, vt plures libri legendi, plures scribendæ litteræ, plures, quos alloquaris; non in id præceps ruis, quod naturæ magis arridet, an auscultas rationi, quæ tibi discernat, quid hoc tempore sit vrgentius, apriusque.

3. Magnifice fidis diuino subsidio ad opus bene peragendum, quàm ingenio & industriæ tuæ?

4. An non, nimium tibi placent, aut displicent ea omnia, quæ agis?

5. Nunquid potiorem habes rationem Iudicij mundani, aut emolumenti, quod inde potes colligere, quàm fructus solidi & sinceri ex opere tuo ad Dei gloriam emersuri, aut meræ adimpletionis diuinæ voluntatis, quæ te voluit detineri hac occupatione, propter fines sibi perspectos, cæterorum cura illi relicta?

6. Habésne tua studia & occupationes aptè in sua tempora distributas, vt in matutinas horas, compositionem & studium magis serium, & quod speculando perficitur, & in horas alias lectionem librorum, excolendo statui tuo, conuenientium?

7. Æquè duc religioni, si te occupas rebus à te alienis, atque si eas negligeres, quibus tibi, pro conditione tua, vacandum est. Inquire.

8. Curá ſne moderationem inter duo hæc extrema, nimium & parum, ſiue ad conſeruandam tuam valetudinem, ſiue intuitu virtutis, & libertatis interioris, quæ dominari ſemper debet, & tueri mentis tuæ tranquillitatem, remota omni impatientia, & anxietate aliter captum opus abſoluendi, quàm quo modo conuenienter abſolui poteſt?

9. Inter operandum, non eleuas ſubinde mentem ad Deum? ſaltem ad finem operis, vt de illo gratias referas, vt illi conſecres, vtque fauere vltrà dignetur, exores?

10. Quomodo tranſigitur prandium, tum ratione qualitatis & quantitatis ciborum, tum ratione temporis & modi, quo te geris, aut aliorum, quæ hanc actionem, quæ tota, niſi attenditur, brutalis eſt, circumſtant?

11. Lege in bello exercitiorum, regulas quaſdam hanc in rem præſcriptas, & vide ne corpus hîc aſperius habeas, quàm ferat vſus, prudentia, & conſilium.

12. Si ad te non attinet perſpectas habere rationes rei familiaris, nullum de cibo aut potu fac verbum, neque vt extollas, neque vt queraris; ſed velut ad iſta non attenderes, id ſemper reſtare, te viuere contentum.

13. Didiciſtíne hanc præclaram Apoſtoli lectionem, quo gerere te modo debeas, (a) dum abundas, & dum penuriam pateris?

14. Si pecuniam tractas, habéſne manus inno-

(a) *Philip.* 14.

innocentes? estne cor liberum ab hoc mammona iniquitatis? non nimios sumptus profundis in vestes, in lusum, in supellectilem, aliasve res? aut è contrario, non nimis in pauperes & rei domesticæ necessaria, es parcus? hac in parte tibi non fidas, sed aliorum potiùs opinionem inquire.

15. Quibus modis à refectione, aut per diem, remittis animum? qua modestiâ es? quâ linguæ custodia? apprehendísne quàm proclivis hic sit lapsus? non experiris damna, linguæ vitio illata conscientiæ tuæ? non discis malo tuo sapere? Quoties te pœnituit nimij sermonis? sed deinde, téne emendasti? vrge teipsum hac in materia, velut te grauissimi ponderis.

16. Qualiscumque lusus, nisi infrequens sit, & breuis, non admodum congruit studio perfectionis.

17. Ne tristeris vnquam vitiosâ illâ mundi tristitiâ, quæ non aliunde prouenit, quàm ab immoderatione, & ægritudine animi, aut habentis, quod nollet, aut, quod vellet non habentis: sed ne in nimiam etiam effundaris lætitiam, quæ erumpat in cachinnos, in cauillationes & morum licentiam, quæ pestes sunt deuotionis.

18. Admitte visitationes aliorum, omni, quâ potes, vrbanitate, & redde in vicem illas pro ratione debiti tui officij, sed sublimiori semper ex causa, vt ad fouendam mutuam

amicitiam, ad explendum officium, ad opem egenti animæ ferendam, aut alios bonos ob fines potiùs, quàm ex aulica quadam comitate, aut humano affectu : & in his officiosis congressionibus vide potiùs, vt breuior sis, quàm æquò prolixior.

19. Scito veram virtutem non oblectari nimijs illis affectatæ vrbanitatis officijs, sed satis illi esse, si sit vrbana, ingenua, comis, familiaris, aliorum ingenio obsecundans, cordata quæ nullum lædat, neque facilè lædatur, & *quæ fiat omnia omnibus, vt omnes Christo lucrifaciat.*

20. Nota præcipuos defectus, quos hac in re commisisti, vt postules eorum veniam, lumen, & facultatem corrigendi.

LECTIO.

E sacris litteris. Cap. 8. & 9. libri Sapientiæ.
Ex libello Exercitiorum. Regulas ad motus animæ discernendos.
Ex Thoma de Kempis. Cap. 37. 38. & 39. libri 3.

SEPTIMVS DIES.

De Patiendo, ad exemplum à Christo nobis in Passione exhibitum.

DECIMANONA VERITAS.

Malum internarum nostrarum tolerantiarum non tam esse à Patiendo, quàm à nolendo Pati.

Tristis est anima mea vsque ad mortem, sustinete hîc, & vigilate mecum. Matth. 26.

MEDITATIO

in Decimamnonam veritatem.

I. PVNCTVM.

Declaratio eiusdem.

QVamquam Christus Dominus passus sit per omnem vitam, quæ continua quædam Crux fuit, & vita quodammodo moriens: nihilominus tam indigna sustinuit tempore Passionis suæ, vt illud meritò possimus tolerantiarũ tempus nuncupare: ita nobis

bis etiam, etsi nullum vitæ momentum sit à moleſtijs eximium, vt in continua pugna conſtitutis, quædam tamen ſunt tempora, in quibus amplius, peculiariuſque patiendum eſt, quemadmodum vidimus eſſe peculiares abſtinendi, agendique, occaſiones: Quare ab illa diſponi debet animus, (a) proposito Chriſti patientis exemplo, de quo hodie meditabimur. At quia materia amplior eſt, quàm ferant reliqui temporis angustiæ, reſtringemus ad tria capita pœnas omnes, quæ nobis exemplo Chriſti ſunt tolerandæ.

Primum caput eſt, pœnarum interiorum, quas ipſi nobis inferimus; alterum, externarum, quæ ab hominibus proueniunt; & Tertium earum publicarum, priuatarum ve, quas Dei prouidentia & iuſtitia nobis immittit; ad hæc tria tolerandorum capita, referemus omnia myſteria Paſſionis, vt fructum tanto vberiorem colligamus.

Et ſicut primum occurrens myſterium, est lucta illa, & pœna interior, quam, in horto oliuarum, ſibi Chriſtus inferre voluit, ita deinde, per hanc meditationem, diſcere incipiemus, quo pacto ferri debeant pœnæ ſimiles, quarum ipſi cauſam damus. & præcipua, quæ nobis hîc capienda eſt, inſtructio, continetur in decimanona, nobis propoſita Veritate:

(a) *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius.* 1. Petr. 2.

te: Malum, scilicet interiorum nostrarum tolerantiarum, non tam esse, quòd patiamur, quàm quòd pati nolimus; cognito enim hoc vitio, longe erit expeditius, cum Gratia, & exemplo Christi, remedium adhibere. Consideremus ergo prius hoc exemplum & pœnas interiores, quas sustinere voluit, & deinde veritati nostræ propositionis facilè assentiemur.

Exhibe tibi Christum cum tribus discipulis ingredientem in hortũ oliuarum, vbi Passionis suæ iecit fundamenta, per dolores internos, quos idcircò agoniam nominamus, quod grauissimè illi fuerit cum ijs colluctandum; hos ad sex præcipuè species reuocamus.

Prima fuit Tristitia, (a) quando permisit suæ imaginum formatrici facultati, vt sibi dolores omnes, contumeliasque tolerandas exhiberet, & præcepit appetitui suo, vt earum exciperet vim, omnemque ab illis auersionem quantamcumque inferre sibi posset, sustineret. Grauis sanè fuit hæc animi ægritudo, & ad illum vitâ priuandum, idonea, vti testari voluit hisce verbis, *Tristis est anima mea, vsque ad mortem.*

Secunda fuit metus (b) quidã & pauor naturalis tantorum cruciatuum: qui menti talem affudit horrorem, vt iuxta partem, quam

(a) *Cæpit contristari & mœstus esse.* Matth. 26.
(b) *Et cæpit pauere, & tædere & factus in agonia prolixiùs orabat,* Marc. 14. Luc. 22.

vocant inferiorem & sentientem, optaret his cruciatibus liberari; sed quia eodem momento sibi obijciebat hanc esse Dei Patris voluntatem, & in passione sua & morte totius generis humani salutem contineri, Metus hic abijt in anxietatem, qui dolor est altero acerbior, quando quis inter duo æquè grauia mala constitutus, nescit cui se parti dedere debeat: & quia decernendum erat aliquid, & tandem pati decernebat, vt ad hoc decretum capiendum induceretur, subijt agoniam, hoc est, luctam, quâ horribilior nequit excogitari, oppugnando omnes naturæ propensiones, à subeunda morte, alienissimas, cogendoque vt in illam, etiam maximè repugnantes, ac horrentes consentirent. Atque hæc illi luctæ sudorem sanguineum expressit, (a) tam erat violenta & vehemens.

Tertia pœna interior, quam vel vna vel ante agoniam sensit, (b) fuit commiseratio singularis, quâ illum generis humani calamitates omnes, distinctissimè præ oculis positæ, affligebãt. facile est huius acerbitatem doloris æstimare, ex eo, quem B. Virgo ad pedem Crucis sustinuit, qui cùm non fuerit, nisi commiserationis, tam acerbus tamen extitit, vt martyrum nemo acerbiora passus censeatur;

(a) *Et factus est sudor eius, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Luc. 22.

(b) *In misericordia sempiterna misertus sum tui, dixit Redemptor tuus Dominus.* Isa. 54.

tur; commiseratio verò Christi ex intuitu miseriarum nostrarum concepta, tantò erat grauior matris commiseratione, quantò nos ille teneriùs complectebatur, quàm illa natum suum, & quantò maiorem ille in nobis miseriam animaduertebat, quàm videret illa in filio, etiam in cruce languenti, exspirantique; animaduertebat enim in nobis peccatum, quod omnium miseriarum miserrimum est.

Quarta erat notitia & dolor de iactura tot animarum, suo ipsarum vitio perituraru, tametsi tanta pateretur, & pretium sanguinis sui, pro illarum salute, consecraret. Acerbus sanè erat hic sensus, expendere tantos cruciatus in solutionem gratiarum tum collatarum, tum ijs conferendarum, qui illas nollent in suum vsum conuertere, & qui erãt æquè perituri, atque si illorum causa nihil omnino sustinuisset; imò qui vel ob hoc ipsũ, (a) grauioribus erant æternùm addicendi supplicijs, quòd passus esset, quodque gratias accepissent, quibus abuterentur.

Quinta erat pudor horribilis & confusio, videntis se oneratum omnibus hominum sceleribus, pro quibus vadem se præstiterat, & sibi attribuentis crimina omnia, quæ profligatissimi quique vel patrarant, vel erant

(a) *In ruinam multorum.* Luc. 2.
(b) *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.* Is. 53.

patraturi, quasi illa ipse commisisset, sub isto deinde schemate præsentantis se Patri æterno, ad pœnas excipiendas, imò jam diuinæ iustitiæ manum & pœnas excipientis quasi reus ipse foret & peccator, qui peccatorum omnium personam sustinebat, & omnium nomine patiebatur. Hoc, inquam, in statu se intuens, tali pudore suffundebatur, qualem ipsimet peccatores meritò experirentur, si tam clarè coram Deo, qui se grauiter offensum testaretur, sui criminis fœditatem haberent perspectam.

Sexta ex præcedenti consequens, fuit contritio de peccatis omnibus, in quorum satisfactionem pœnas suas subibat, vt illa euaderet tantò integrior perfectiorque; quia verò contritio, si rectè obitur, dolor est omnium dolorum acerbissimus, dubitare non potes, quin ea, quam Christus elicuit, fuerit perfectissima, adeoque quin acerbissimus fuerit illius sensus.

Non nega animæ tuæ pios affectus, quos, hæc consideranti, suggeret gratia; sed ne illis tantopere insiste, vt non studeas cognoscendæ veritati in hac meditatione propositæ, referendoque fructui, quem Christus intendit, qui idcircò has pœnas sustinuit, vt nos doceret nostras sustinere. Profectò necesse est ingens fuisse Christo desiderium docendi nos tolerantiam, quandoquidem, vt illam nos doceret, tãta ipse voluerit tolerare.

Sed

Sed & valdè necessarium nobis erat eiusmodi exemplum, cùm à nulla re magis abhorreamus, quàm à tolerantia, maximè pœnarum interiorum, quæ, sicut ab animi vitio, & defectu virtutis procedere videntur, ita pudorem nobis aduertentibus incutiunt, easque erubescimus superioribus aut conscientiæ magistris aperire. (a) Et quod in his animi afflictionibus grauissimè torquere solet pias mentes, est metus assentiendi motioni alicui immoderatæ; est dubitatio, consensúsne præbitus sit; est quædam caligo, quâ conscientia sic inuoluitur, vt discernere nequeat, sitne in statu gratiæ, an peccati; an quod actum est rectè actum sit, an secus; an quod agendum est, possit sine Dei offensione adimpleri. Quæ cùm toleratu difficillima sint, experimur talẽ obnoxium voluntatis nostræ, vt quemadmodum asserit allata veritas non tam difficile sit illa reipsa ferre, quàm vt ferre velit, disponere voluntatem.

Verum quidem est, illum obnixum & rebellionem voluntatis procreari ab illo, quo affligimur, malo; sed is obnixus, & hæc rebellio dolorem internum sic exaggerat augetque, vt omnis dolor in hoc obnixu consistere videatur, adeoque si induci posset voluntas ad has molestias promptè libenterque amplectendas, iam nullus in his existeret dolor,

(a) *Timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ.* Psal. 54.

vti videmus nullum aut exiguum esse in pœnis voluntarijs & sponte susceptis, quas idcircò ferre non est graue, quod ferre velimus. Si ergo vellemus has animi molestias, & ex necessitate faceremus, vt aiunt, virtutem, acceptando illas tam lubenter, atque si penes nos esset earum optio, mellis amplius, quàm fellis experiremur, *gauderemusque* cum Apostolo, (a) *in passionibus nostris*; placet enim quidquid libet & ea sola, (b) quæ non libent, molesta sunt.

Adde, & in alio quoque sensu, qui non minori consideratione dignus est, quàm prior, agnosce veritatem nostræ assertionis. Quando dicitur, malum tolerantiarum nostrarum, non tam esse in patiendo, quàm in nolendo pati: sensus est, quod ob defectum volitionis, pereat rerum tolerandarum meritum, cuius iactura malum sit grauius, quàm pati: indignamur, obmurmuramus, Deum offendimus, & reddimus nos obnoxios plurimis pœnis alijs, quas hæ culpæ procreant, quæ sine comparatione mala grauiora sunt & formidabiliora, quàm aliquam animi afflictionem sustinere: atque adeò veritas est, cui contradici nequeat, tantum malum non esse, pati, quantum pati nolle: nam, præterquam quod minus pateremur animo lubenti patientes, accedit præterea meritorum cumulus & sola-

(a) *Coloss.* 1. (b) *Nihil est alicui pœna, nisi quod est contra voluntatẽ.* Ansel. l. de Conc. Virg. c. 4.

solatiorum : vbi è contrario si pati nolimus, accumulantur sine vllo merito dolores, quin & cum periculo demerendi , subeundique pœnas debitas impatientiæ , ac perfidiæ voluntatis in Deum, dum Crucem excutit , insurgentis.

Hæc omnia luculenter exemplo Christi has, quas vidimus pœnas, subeuntis confirmantur : Cùm enim in remedium malorum nostrorum, voluerit ipse sua tolerare , neque tamen aliter adhibuerit ijs remedium , quàm impartiendo nobis gratiam suam , quâ tolerare possemus , & relinquendo exemplum, quo ad id volendũ(a) induceremur: manifestè commonstrauit minus malum esse tolerare, quàm nolle tolerare , quandoquidem remedium ab illo non tam fuit adhibitum , vt à malo pœnæ nos eximeret , quàm vt nos ad illud volendum excitaret. Itaque necessariò concludendum est , malum non in sustinendi molestia , sed in defectu voluntatis extitisse , quandoquidem huic applicet medicinam , & in hunc effectum nobis reliquerit exemplũ suæ passionis, vti post perspiciemus.

O mi IESV , vtinam beneficij magnitudinem, quâ me tibi deuinxisti, satis possem æstimare!

(a) *Recogitate eum , qui talem sustinuit à peccatoribus aduersùm semetipsum contradictionem , vt ne fatigemini animis vestris deficientes; nondum enim vsque ad sanguinem restitistis, aduersùs peccatum repugnantes*, Hebr, 12.

mare! Fateor me tibi magis obstrictum ratione præbiti exempli, quo me, vt pati velim, excitasti, quam si me penitus ab omni re patienda liberasses; Majus enim bonum est, pati velle, quàm non pati. Sed heu? quàm parum agnoui hoc tantum bonum, quandoquidem me toties oppoſuerim tuæ gratiæ, meaſque afflictiones non niſi grauatè, inuitoque animo ſuſtinuerim! Da, obſecro, vt agnoſcam, quàm fecerim hoc immeritò, & ſic me pœniteat præteritarum culparum, vt reddar tantò magis, capiendis alijs in futurum conſilijs, idoneus.

II. PVNCTVM.

Aduerſio in vitam præteritam, & ſtatum præſentem.

TRia hîc tibi obſeruanda ſunt circa vitam præteritam, & affectionem naturæ tuæ, in futurum.

Primò, quænam ſunt internæ illæ moleſtiæ, quibus potiſſimùm diuexaris? quales tibi videntur?

Secundò, quo genere contradictionis illis repugnas? an merè naturalis eſt, & ex motu primo, vt aiunt, an verò voluntaria & deliberata? in quæ vitia hinc deduci ſoles? nónne nimium indulges triſtitiæ? nónne deſpondes animo? non abis in modicas quaſdam deſperationes,

rationes, in querimonias, in obtrectatiũculas diuini numinis, & in eas miserias, quò contradictio voluntatis pati abnuentis, præcipitare solet animam, quæ ei non resistit? Desle has omnes miserias, & erubesce.

Tertiò, quæ interim dum affligerere, bona præstare poteras, quæ neglexisti? quæ plerumque inquiris hisce occurrentibus animi molestijs remedia? nónne te ipse destituis, remedio nullo quæsiro? fors humana sunt solatiola, quæ sectaris? resistísne primis tentationum motibus? an confugis ad precum subsidia? meministíne tum IESV Christi? magnáne es in illum fiduciâ? illius opem imploras? quidnam agis?

O quàm verendum est, ne nihil agas aliud, quàm quòd voluas animo tuum malum; cogites te esse mortalium omnium miserrimum; inquiras absque fructu, quo te modo istis miserijs expedias; te magis perturbes, malumque malo cumules, & tantam gratiarum, spiritualiumque donorum facias jacturam, quantum facere posses incrementum, si alijs cogitationibus animum applicares. Pœniteat te rursus horum omnium vitiorum, & vni contritionem tuam cum dolore IESV Christi, vt tantò sit ad obtinendam veniam & medicinam efficacior.

III. PVN-

III. PVNCTVM.

Propositum in futurum.

CVm totum malum in eo consistat, quod internas molestias ferre nolimus, omne quoque remedium, & propositum nostrum in eo constituendum est, (a) vt cum diuina gratia, & intuitu huius exempli Christi seruatoris, excitemus voluntatem nostram ad eas imposterum acceptandas, approbandasque, quemadmodum suas Christus acceptauit, approbauitque. Verum equidem est, abhorruisse illum à subeundis ijs contumelijs & supplicijs Passionis suæ, & hunc horrorem procreasse magnam earum partem pœnarum, quas mox consideraſti; nihilominus hoc horrore & contradictione, quæ non erant nisi in appetitu, & parte sentienti, procul habitis, semper iuxta voluntatem diuinam & humanam pati volebat, quin & ipsum illum horrorem & obnixum appetitûs volebat, vt te doceret, non existere malum culpæ (quod malum est grauissimum, & maximè formidandum) in illo naturæ sensu, quamdiu illi voluntas ope diuinæ gratiæ, & suæ, quâ pollet libertate-

(a) *Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in authorem fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta.* Heb. 12.

libertatis, resistit, & modò pati velis nobiliori tui parte, quam vocant superiorem, etsi nolit inferior, atque à patiendo abhorreat.

O quàm potens est hoc, si rectè expenditur, exemplum! nam radicem ipsam petit & causam mali, vt remedium illi adhibeat; clarè demonstrat has interiores pœnas omni culpa & probro vacare, contra quàm imponit natura, nos hoc nomine plurimum diuexans? quandoquidem Iesus ipsa nimirum sanctitas hanc inter nam contradictionem & obnixum sustinuerit; quandoquidem non erubuerit illam suis Apostolis manifestare, voluerit que vt toti mundo innotesceret.

Si timetur, ne hæc pugna interior inducat ad consentiendum peccato, factum benè, modo (a) metus moderatus sit & rationi consentaneus. Nunquam illi consenties, nisi volueris, tantum resiste motui immoderato; & vel ob hoc ipsum amanda tolerantia est, ne in impatientias, in querimonias, aliaq; peccata prolabaris. Plus ipse tibi infers mali, affligendo te immoderatè ob malum tuum, quàm malum istud inferre tibi posset, si pacato velles animo sustinere: quin potiùs erit causa plurium virtutum, quas in hac patientia, & conformatione tuæ, cum diuina, voluntatis poteris exercere. Volis, nolis, patiendum est; nónne ergo præstat, volentem pati, cùm minus

(a) *Sust ne sustentationes Dei, coniungere Deo & sustine.* Eccl. 2. vide Iacobi 1.

minus patiamur,& acquiramus plus meritorum, insistendo Christi vestigijs, & illius exemplo, nos ad Dei Patris arbitrium totos accommodando?

Quod si dicas optare quidem hanc accommodationem voluntatis tuæ cum diuino arbitrio, sed assequi non posse, propter internam illam pugnam & rebellionem: falleris, si hinc existimas te illam non assecutum, quod nullo eius sensu tangaris, imò sensus experiaris contrarios; dummodo enim sensus illi contrarij solùm existant in parte sentiente, non autem in parte compote rationis, vbi propria virtutis & vitij meriti & demeriti sedes est, nihil curare oportet, & eadem ratione ferenda est hæc naturæ rebellio, quam ab incumbentibus molestijs experimur, quà ferimus ipsas molestias, & motus alios, qui non sunt in nostra potestate.

Si petis indicium, quo agnoscas vtrum hæc contradictio sit solùm in parte sentiente, an verò etiam in rationali: Memineris quod sæpe assequi meditando potuisti, nullum esse certius quàm vt videas, an ob contradictionem hanc, nihil deliberatè omittas eorum, quæ officij tui ratio tum temporis à te requirit, aut reipsa labaris in vitium aliquod, quod posses, si liberet evitare? vt exempli gratiâ, si ratione huius contradictionis, obmurmuras, si te perturbas & affligis, signum est, esse volũtariam, quandoquidem te impellat ad actiones,

nes,quæ tibi deliberatæ sunt , quasque par esset,omitti:si verò loco illarum querimoniarum te recipis ad orationem , dicisque cum Iesu tuo,(a) *Pater non mea voluntas ; sed tua fiat*, & reapse nihil aduersum agas ipsius voluntati,indicium est, hunc sensum contrarium esse merè naturalem,neque impedire , quo minus eodem tempore , pati paratus sis, velisque. Cùm enim dicitur , malum nostrarum tolerantiarum non tam esse , quòd patiamur, quàm quòd nolimus pati,sensus est de voluntate superiori & compote rationis, in qua sita est nostri libertas arbitrij,non de inferiori & solùm sentiente , quæ à nobis non pendet: vnde sequitur,etiam remedium,quod hîc aduersus illas naturæ , à patiendo alienæ , contradictiones offertur , intelligi debere de voluntate superiori , quâ in occurrentes tolerantias consentiente , attendi non debet ad motus alios , qui eodem tempore huic voluntati contrarij persentiscuntur.

Hac ergo super re effinge proposita tua: non te terreant terrores tui ; ne mouearis motibus tuis inordinatis;ne te perturbẽt tuæ perturbationes,ne tristitiæ tuæ te contristent, denique ne de malis tuis,tibi malum confice: solùm memineris tui Iesu , qui has naturæ contradictiones sentire voluit , vt te doceret tuas sustinere ; quodque si habeas appetitum & voluntatem sentientem , à qua mo-

vearis,

(a) *Luc*, 22.

uearis, contristeris, perturberis, malumque tibi pocreetur, etiam polleas alia rationali, potentioriqúe cum diuina gratia, cuius ope non inhæreas immoderatè tuis tristitijs, non perturberis teque eximas à malo, quin potiùs gaudeas, referasque fructum longè vberiorem, quàm si fores miseriarum expers.

Nostrũ igitur est, anime mi, vt generosè statuamus, cũ diuina gratia quiduis exẽplo Iesu patientis lubenter sustinere; neque in excusationem adducamus, Deum illum fuisse, nos verò fragiles esse homines, nam etsi Deus esset, nihilominùs quà homo patiebatur: assumpsit imbecillitatem nostram, vt sua nos fortitudine roboraret; pœnas extimuit, vt animos nobis adderet, doceretque in pœnis & timoribus, non peturbari.

COMPENDIVM MEDITATIONIS in decimamnonam veritatem.

I. PVNCTVM.

Declaratio eiusdem.

QVanquam vix aliquid temporis nobis suppetat in hac vita, quo non quidpiam patiamur, quædam tamen tempora sunt, in quibus plura sustinemus, vti sunt occasiones non nullæ, agendo abstinendoque accom-

commodatiores. Et verò videmus etiam Christum Dominum omni vita patiendi argumentis exercitatum, grauiora tamen pertuliſſe tempore Paſſionis ſuæ, vbi præſertim nobis exhibuit exemplum patiendi, ad quod diſceremus nos noſtraque componere. Et quia pœnę noſtræ ſunt vel internæ à nobis prouenientes, aut externæ, illatæ ab hominibus, aut vtræque, quæ ab ipſo Deo ſubmittuntur: referemus veritates & meditationes hoc die peragendas ad tria hæc capita: & initium cum Chriſto facientes ab interioribus, ſubeamus in hortum oliuarum, videamuſque quid illic patiatur: vt tanto luculentior euadat propoſita nobis veritas.

Dolores omnes illius interni ſex generibus continentur, quorum prima eſt triſtitia, quando obiecit imaginationi ſuæ, quidquid afflictare poterat, & doloris tædijque vehementia vitam elidere.

Secundum eſt agonia ſeu lucta, quando poſt metum tormentorum, & anxietatem mentis hinc ſupplicia detrectantis, inde appetentis, tandem ſe dedidit ea vi & aduerſus naturæ procliuitatem, contentione, vt ſudore ſanguineo manârit.

Tertium, commiſeratio è generis humani calamitatibus concepta, tam vehemens, vt pati maluerit ad aſſerendos homines, quàm eos in ſuis miſerijs intueri.

Quartum, dolor de iactura tot animarum, nihil

nihil profutura passione sua, damnandarum.

Quintum, verecundia, dum videret se scelerибus nostris oneratum, pro quibus se vadem præstiterat, & quorum subibat pœnas.

Sextum, contritio, & pœnitentia de ijs concepta, vt pleniſſimè faceret satis. His aliquan o tempore, quamdiu nimirum affectus te detinebit, consideratis, agnosces ante omnia, vehemẽs fuisse in Christo patientiam nos docendi desiderium, quandoquidem ijs se pœnis subiecerit, quæ non solùm erant acerbiſſimæ, verùm etiam videri poterant ab ipsius personæ dignitate alieniſſimæ. Erat verò etiam necessarium tale exemplum, quo accenderemur ad acceprandas promptiore animo pœnas, præsertim interiores quæ à nobis ipsis procedunt, ideoque tam probrosæ nobis videntur, vt inducere vix possimus animum, quo velit illas sustinere; cùm tamen, vti fert proposita veritas, malum illarum, non tam in sustinendo situm sit, quàm quòd eas sustinere nolimus, quod triplici sensu verum est.

Primò, si æquo animo acceptaremus molestias quæ euitare non possumus, grauius sanè non affligerent nos, quàm pœnæ sponte vel afflictandi corporis causa, vel ex nutu superiorum, voluntariè susceptæ; quandoquidem, si planè loqui volumus, solus obnixus voluntatis in pœna, pœnam molestiamque progeneret.

Secun-

Secundò, dici potest malum tolerantiarum nostrarum consistere in nolendo illas, quod hæc interior rebellio impediat meritum patientiæ, quod malum profectò est ipsâ tolerantiâ grauius: nam vti felicitatis est, mereri posse patiendo, ita quoque summum miseriarum est, tam pati ineptè, vt nihil aliud patiendo promerearis quàm patiendorum cumulum.

Sed Tertiò, quod manifestè exponit nostri effati veritatem, est Christi exemplum, qui cùm idcircò suas illas animi molestias tulerit, vt nostris malis faceret medicinam, non fecerit autem pacto alio, quàm nobis relinquendo gratiam suam, & exemplum, quibus possemus, & vellemus pati: clarissimè demonstrauit, tantum non esse malum pati, quantum pati nolle, cùm remedium quod nobis obtulit, non tam sit, vt malo nos eximeret quàm vt excitaret nos ad illud volendum, quando eius tolerandi nobis incumberet necessitas.

O mi Iesu, quantum tibi obstrictus sum ratione huius lectionis, quam mihi imprimere patiendo voluisti! maius sanè beneficium est, quàm si me omnibus animi molestijs reddidisses eximium; maius enim est, eas pati velle, quàm ijsdem eximi, vti grauius est malum, eas pati nolle, quàm reipsa sustinere.

II. PVNCTVM.

Aduersio in vitam præteritam, præsentemque.

COgita imprimis quænam sint molestiæ internæ tibi familiariores. Secundò, quam sentias contradictionem, eáne voluntaria sit, an præter voluntatem, & quæ hanc vitia consequantur. Denique qualia sint bona quæ peragi à te possent, & à te negliguntur in hisce molestijs & contradictionibus, ita vt ne remedio quidem vti velis eoque facillimo, quale esset si mentem aduerteres ad Iesum tuum, cuius sola cogitatio rectè suscepta potuisset tibi in omnibus istis certaminibus animos addere, vt non nisi victor & cum laurea inde recessisses. Verùm maluisti turpiter cedere mœrori, quàm cum Iesu pugnare glorioseque vincere. O vilem ignauumque animum qui idcircò tantùm vincitur, quod modicam pugnam detrecter! Erubesce hanc ignauiam.

III. PVNCTVM.

Propositum in futurum.

ERit vt præ oculis habeas hoc seruatoris exemplum, vnde discas internos cruciatus

tus non solùm æquo animo, verùm etiam lubenti volentique acceptare. Nihil est, quòd inde erubescas, cùm videas Jesum istos metus, anxietates, dolores, istamque partis sentientis cum rationali pugnam pati voluisse. In hac pugna & contradictione malum non est, sed in ignauia obfirmandi animum: & hæc ignauia aliunde non prouenit, quàm quòd non decernas agere ea ratione & gratia, quidquid potes, neque ferre patienter, quidquid declinare non potes. Nam etsi tu ipse te afflictes, & nonnunquam possis ope gratiæ, te ab hac afflictione liberare, id tamen tibi semper non est integrum, & tum sustinere te ipsum debes, nolendo plus, quàm possis congruenter rationi, imò nolendo ne quidem plus posse, quandoquidem id nolit Deus & cum Iesu dicendo: *Fiat tua voluntas, ô Pater, non mea*: Tumque frueris ingenti hoc commodo, quod minus patiere sine vllo dispendio meritorum, quin & sæpe cum eorundem etiam accessione, tantò cumulatiori, quantò libentiùs pati voles quantoque minùs, patieris.

Quod si eam patiendi voluntatem non experiris, quin potiùs sentias aliquem obnixum & quandam quasi voluntatem his sufferendis molestijs contrarium, ne moueare; modò nihil ratione huius contradictionis agas immoderatè: procedit illa ab appetitu solùm sentiente, qui extra potestatem tuam est, non autem à voluntate rationis compote, quæ tui

est iuris: idque patet ex eo: quod omnes actus tui liberi potiùs ratione consentiant quàm appetitui; nam si dissentirent, erumperetque aliqua querimonia & impatientis animi notæ esset ea contradictio voluntatis, quandoquidem se proderet in ijs motibus, qui illi sunt liberi. O calamitatem, quòd eâ nobis possimus accersere mala! imò verò ô felicitatem, quòd ijs malis plurimum nobis boni accersere possimus, modò lubeat amouere pœnas inutiles, quas eorum causâ nobis vltro inferimus, & animo lubenti illa sustinere, quorum nullum aliud est, quàm in ferendo, remedium.



VIGE-

VIGESIMA VERITAS.

Qui pararus non est pati, à quouis hominum genere, quoduis genus molestiarum, eum non esse paratum pati.

Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum. Luc. 22.

Pilatus Iesum tradidit voluntati eorum. Ibid. 23.

MEDITATIO

in hanc vicesimam veritatem.

I. PVNCTVM.

Declaratio veritatis.

HÆc Meditatio pœnarum exteriorum Seruatoris nostri, hac conditione potior est antecedenti, quæ erat de pœnis interioribus, quòd exteriores magis cadant sub sensũ, adeoque aptiores vt cum affectu sensuque pietatis expendantur : Sed istud incommodum hîc est, quòd tanto sint numero, vt nisi præsens argumentum certis quibusdam circumstantis definiamus, terminemusque, periculum sit, ne multitudine confundatur mens, & hæc confusio lucem veritatis nostræ obfuscet, exsiccetq; affectus. Quare cõmodum videtur, nisi alio te rapiat animi religio vt omnia

Passionis mysteria referas ad duas hasce considerationes, quæ desumuntur à varietate personarum Christum affligentium & à pœnis, quas illorum operâ patitur: Hac enim ratione manifestior euadet proposita veritas: Quod, qui pati paratus non est, à quouis hominum genere, quodvis genus molestiarum, ille reuera paratus non sit pati.

Quod igitur ad primam circumstantiam varietatis personarum attinet, cõsidera, quemadmodum, priusquam veniret hora Passioni destinata, (a) nemo vnus seruatorum contingere ausus est, ita cùm illa adfuit, & rebus creatis facta potestas est, vt cruciando conditori suo essent instrumenta atque administri nullum quodammodo genus hominum defuisse, cui non licuerit cumulandis eius tormentis aliquam præstare operam.

In capitali animaduersione non nisi vni alterive administro permissum est, vt reo inferant manus; at in Christi passione, quiuis pro libitu & arbitrio cruciare illum potest. Duxne sit an miles, Iudæus an gentilis, sacerdos an profanus, discipulus an extraneus, vir an fœmina, diues an pauper, magno natu an paruo nil refert: omnibus patet aditus: diceres publica denuntiatione citatos ex omni Iudæa vniuersos in illius perniciem, quemadmodum olim vates regius prædixerat (b) & Christus ipse testatus est cohorti illi ex omni

(a) Ioan. 7. (b) Psal. 82.

omni hominum sorte conflatæ, quæ ad comprehendendum illum conuenerat : *Hæc est*, inquit, *hora vestra & potestas tenebrarum*, quasi dixisset: Hæc est hora, quâ permissum est terris & inferis, hominibus & dæmonibus confluendi, coniurandique in perniciem & mortem meam.

Non erat pluribus verbis opus, vt omnia innuerentur: nam si rectè semel concipimus satanæ indultam eam facultatem, vt armaret se dæmonibus omnibus, & quotquot, ad exercendam rabiem suam & crudelitatem, aptos iudicabat, hominibus facilè assequemur, neminem ab illo, tanto malorum artifice, esse prætermissum. Nam quo plures adhibebat, eò maiore fruebatur solatio, quod & grauius Iesus afflictaretur, & ij, quorum opera torquendo innocenti vtebatur, æternæ damnationis rei euaderent. Et si integrum illi fuit adhibere Iudam, aliosque discipulos in pœnam Christi & opprobrium, quo non iure cæteris, ad hoc institutum suum, vsus est hominibus? O Deus, non satis erat, vt pro hominibus paterêre nisi etiam ab illis ipsis sustineres, quorũ causa patiebare! Anime mi, quando Iesus tuus patitur tui causa, non attẽdit à quo patiatur.

Quod spectat ad varietatem, multitudinẽ & modum, pœnarum, quas sustinuit cogita sustinuisse illum vniuersa, quæ dolorem & tormentum honesto viro inferre possunt, sustinuit in bonis fortunæ nudatus om-

nibus vti illum ad columnam & in Cruce contueris; sustinuit in honore, exceptus omni genere opprobriorum atque contumeliarum, quas dæmon aduersus ipsius innocentiam, sapientiam, sanctitatem potentiam, omnesque ipsius actiones potuit excogitare; sustinuit in corpore, vbi nulla pars aut articulus fuit à peculiari cruciatu immunis, *à planta pedis vsque ad verticem capitis non est in eo sanitas, sed vulnus, & liuor, & plaga tumens.* (a) Intuere illum in horto, dum velut agnellus inuaditur à lupis illis sanguinarijs: in domo Caiphæ, vbi alapâ, modisque alijs indignissimè tractatur: in prætorio Pilati vbi tanquam seditiosus accusatur, componiturque cum homine reorum omnium probrosissimo; in aula Herodis, vbi velut amenti illuditur; ad columnam, vbi exuitur ipsa pelle sua, nulla relicta ei specie neque colore, nisi quem defluens sanguis affundebat, vt meritò leprosus videri posset is (*b*) qui forma cæteroquin mortales omnes antecedebat.

Sed vllúmne vnquam fuit spectaculum illo tristius acerbiusque, quãdo prodire iussus est scenicus Rex, nullo alio apparatu regio, quàm corona è spinis contexta, frustillo malè sarti pallij, & arundine sceptri vices obeunte? & quando deinde gestat humeris Crucem suam, illi clauis affigitur, & in illa languet siti pariter & amore, quid aliud istud est, quàm

(a) *Isa.* 1. (b) *Isa.* 53.

quàm epitome, seu potiùs cumulus & congeries cruciatuum omnium, quos ille patitur, qui eo nomine *vir dolorum* dictus est, quasi in illum omnes confluxissent?

O Deus! fierine potest vt cor habeam motionis capax, & considerato hoc tanto amoris & commiserationis argumento non tamen permoueatur? Verùm anime mi, quid putas esse, permoueri ad aspectum tui Iesu? Motiones cordis omnes, meræ ludificationes sunt, nisi agnoscas id tibi incumbere, vt eius exemplo patiaris, atque ad hoc promptus sis paratusque, non eris autem, nisi probè intellexeris hanc veritatem, vt eam opere ipso exequaris: quòd quisquis paratus non est ad quiduis à quouis patiendum nondum ad patiendum paratus sit.

Ratio est, quandoquidem pati nos oporteat ad exemplum à Christo nobis propositum, & ille passus sit à quouis hominum genere, quoduis pœnarum genus, nullo penitus repudiato: quomodo patiemur ad illius exemplum, nisi, vt ille, quiduis à quocumque patiamur? Quid causæ illum vrgebat, vt tam vniuersim subijceret se tolerandis omnibus sine vlla exceptione, quod non æquiori jure nos obstringit vt nihil tolerandorum excludamus? fortasse, quod pro nobis tolerabat? at nunquid æquè rationi consentaneum est, vt tam nos nostri causa toleremus, quàm vt ille? Forsitan, quod eo pacto se subditum

reddebat Deo Patri? at nonne pari iure decet nos illi esse subiectos? fortè, quod amorem in nos suum ita volebat testificari? At, nónne etiam aliquam nostri, erga illum, amoris significationem testari volumus? Denique tametsi nulla esset ex parte Iudæorum ratio, cur tantis Iesum supplicijs afficerent. Iesus tamen sine aliqua ratione non patiebatur, nam ratiò potius & argumentum patiendi reddit (a) perpessiones dignas meritoque quam malum ipsum quod quis perpetitur. Sed quæcunque ratio illum permouerit ad quæuis mala, à quocumque genere hominum sufferenda, eadem quoque nos sic obligat ad illius patientis imitationem, vt nisi ita comparati simus, nulla ratione dici queamus ad patiendum (b) dispositi. Vel enim sine ratione & argumento patimur, vel ex ratione, probisque argumentis: si absque aliquo argumento, sanè patientia nostra, omnis est expers meriti, neque illam Deus habet acceptam, cum non fiat illius intuitu, neque ob vllam rationẽ illi gratam acceptamve. Si verò illius causa vel simili aliquo honesto argumento ad patiendũ inducimur, eadem illa causa atq; argumentũ nos obligat ad ferendos casus omnes à quocũq; & vndecũq; proueniẽtis vbi facto inter

(a) *Christo passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini.* 1. Petr. 4.

(b) *Fili, si ploras, piè plora, noli cum indignatione, noli cum typo superbiæ.* Augustin.

ter personas, aut res ferendas(a)discrimine, nihil omninò patimur, quod illi sit acceptum. Nam si illi placendi studio à quibusdam patiamur, quidni etiam ab alijs, cùm id illi quoque placeat, eiusque sit voluntas, vt parati simus quiduis à quouis personarum genere sine vllo discrimine tolerare? simile quiddam est in materia obedientiæ. Quisquis paratus non est, obedire cuicumque superiori, & in re quacumque rationabiliter præcepta, non est paratus obedire in re vlla ex stimulo virtutis obedientiæ hæc enim virtus inclinat verum obedientem, vt ex Dei reuerentia, quem in superioribus suis intuetur, obtemperet; & hic stimulus ita obligat ad obtemperandum omnibus & in ombus, vt si quibusdam obtemperetur, & non alijs, iam non obtemperetur ex Dei reuerentia, sed ex alio aliquo amoris proprij, vel reuerentiæ humanæ stimulo. Idem fer iudicium de patientia; & exploratam habeas propositam veritatem, de hac illustratione animi grates Deo habe, pete deinde lumen quo cognoscas vitia hactenus à te commissa, vel errores, qui in intellectu tuo huic veritati aduersantur, vt tanto solidius aliquid de eius vlu constituas.

(a) *Vide l. 3. de Imitat. c. 19.*

II. PVNCTVM.

Aduersio in vitam præteritam, statumque præsentem.

VItia contra hanc veritatem admissa procedere possunt vel ab errore vel à malitia, vel ab inclinatione naturali aut priuata cuiusque indole. Vitia ab errore vel ignorantia orta, non sunt illa quidem grauissima, sed tamen perniciosa, nisi quis errore se exsoluat, nam inhærent continuò, paulatimque abeunt in malitiam affectatam, quâ vel vitijs nostris ignorantiam prætexamus, aut nolimus instrui, aut dociles nos præbere, oblatis instructionibus. Verùm ediffere, putasti-ne tibi ferenda fuisse, quæ vel ab æqualibus vel inferioribus inferebantur? aut debuisse te sustinere etiam immerentem, aut ea quæ grauissimum tibi doloris sensum infligebant? errorem igitur, vitiumque tuum agnosce.

Peccata malitiæ in hoc argumento, censentur omnes inobedientiæ, occultæ apertæve rebelliones aduersus legitimè præpositos, oblocutiones, ægritudines animi, & alij immoderati affectus, quos fouimus oblata ferendorum aduersorum, & à genio nostro alienorum, occasione; & si quidem propositum nobis fuisset nihilne pati vellemus in hac

vita,

vita, non ausi fuissemus omnem patiendi occasionem recusare, (a) dixissemus tamen liberè, nos quiduis aliud fuisse passuros præterid vnum, quod sese offerebat. O malitiam humani cordis sibi nimiùm blandientis, & cogitantis sua Deum latere consilia! Calliditas ea est naturæ corruptæ pati detrectantis, & quia mens sæpius edocta necessitatẽ, vtilitatemque patiendi non audet plenè refellere obligationem illam, quâ videt se ad res ferendas obstrictam solummodo detrectat obuias, sibi interim persuadens, quòd æquo animo alias acceptaret, atque ita malitiosè se oblatis patiendi occasionibus suffuratur. Deplora hanc malitiam.

Denique vitia, quæ procedunt ab inclinatione naturæ, aut indole quadam priuata, sunt molestiæ quædam animi prouenientes à personis, quibuscum nobis minor, quàm cum alijs morum consensio est, aut in casibus aliquibus, quos à natura horremus, aut certis quibusdam temporibus, cùm sumus morosiores. Nunquam istud tibi accidit? quo te modo tum gessisti? qua ratione frænare conatus es hanc peruersam tuæ naturæ indolem? quod tibi nunc, futurisq; temporibus imminet periculũ, tam ratione personarum, quàm casuum, à quibus abhorres, & perturbaris? Aduerte his seriò animum, ne quidpiam resideat in animo, quo impediaris cum

(a) *V. de Imit. Chr. l. 3. c. 19.*

Dauide bis exclamare, *paratum cor meum*, Deus, *paratum cor meum* : (a) paratum pati à quouis genere personarum ; paratum pati quoduis malorum genus.

(a) *Psal.* 56.

III. PVNCTVM.

Propositum in futurum.

VT tantò solidiùs obfirmes propositum tuum ad excipiendos quosuis casus occurrentes, adhibe hanc triplicem præparationem mentis, quæ te per tres animæ facultates vniet perpessionibus tui seruatoris. Prima est intellectus, vt sine vlla hæsitatione credas, te, quo vinculo obstrictus es sustinere aliquid in hac vita, (a) ex Dei amore & reuerentia, & ad promouendam animæ tuæ salutem, eodem quoque ; obligeris pati vniuersim à quibusuis hominibus, quoduis genus aduersorum. Sic est, mi Deus, credo, & vt etiam huius veritatis fidē in me adaugeas, obtestor.

Altera dispositio voluntatis est, vt semper paratus sis ad omnia, & reipsa acceptes, quidquid occurrerit, non attendendo, vnde accidat

(a) *Omne, quod tibi applicitum fuerit, accipe, & in dolore sustine : & in humilitate tua patientiam habe : quoniam in igne probatur aurum & argentum, homines verò receptibiles in camino humiliationis &c.* Eccl. 2.

accidat, neque quid sit, nisi quod sit crux aliqua, & molestia ferenda, tantò excipienda gratius, quantò magis expectabatur. Et excusationes omnes & consilia, quæ in contrarium effingi tum possent à naturæ praua propensione, non aliter audiantur, neque profundiùs admittantur in animum, quàm si sensus forent à Christianæ fidei legibus alieni: Nam reuera, vti paulò ante vidimus, verendum est, ne, qui oblatam patiendi occasionem non vult amplecti, vnquam pati velit: quin vt prauam illam voluntatem tueatur, tandem sibi persuadebit, non esse necessarium pati in hac vita. Quod adeò falsum est & à fide abhorrens, quã verè Paulus affirmat, (a) *Patientiam nobis esse necessariam vt volũtatem DEI faciamus; & omnes, qui piè volunt viuere, persecutionem passuros: & per multas tribulationes oportere nos intrare in regnum DEI.* Nónne istud modò credis? nunquid vis?

Age igitur, pro tertia præparatione animi, quam confirmando proposito oportet adhibere, sit memoria & recordatio huius fidei & bonæ voluntatis, quas modò experiris, vt oblata deinde occasione constantem te, & firmum geras. Notitia illa sensus & affectus plena, quam modò de hac veritate concepisti, poterit aliquando euanescere, imò contraria quædam opinio poterit efficere, ne illi credas, autilli conformes mores tuos: sed præsta, memor

(a) *Hebr.* 10. 2. *Timot.* 3. *Act.* 14.

memor, veritatem semper persistere; & si nunc verum est, patiendum esse, etiam fore verum, dum patiendi se offeret occasio; &, si seria est tibi patiendi voluntas, illam in occasionibus esse demonstrandam. Nunc enim non concipis hanc voluntatem, nisi vt suo tempore illam opere ipso exequaris, & cùm patiendi tempus adfuerit, tunc cogita tempus esse, exequendi opere ipso voluntatem tuam, aliàs erit voluntas cassa, & executionis effectusque expers, quæ nullo apud Deum loco est, qui proposita nostra vult executioni mandari.

Ecce appropinquauit hora; surgite, eamus; ecce appropinquat qui me tradet, (a) aiebat Seruator noster occurrens satellitibus ad eum comprehendendum submissis, vt illico mandaret executioni, quod aliàs faciendum esse constituerat; ita, postea quam Apostolos suos impendentium persecutionum commonefecisset: *Hæc*, inquit, *locutus sum vobis, vt cùm venerit hora*, illas nimirum patiendi, (b) *reminiscamini eorum, quia ego dixi vobis*, & promptæ illius, quam nunc testamini, voluntatis. Anime mi, nisi meminerimus propositorum nostrorum, vt ea opere ipso exequamur, Deus illorum non erit immemor, & acerbissima exprobratione nobis aliquando obijciet, multa nos quidem polliceri, sed promissis non stare, ideoque nec futuros nos participes promisso

(a) *Matth.* 26. (b) *Ioan.* 16.

missorum ab illo factorum, (a) quæ solo patientiæ subsidio, vt ait Apostolus, reportantur.

(a) *Hebr.* 10.

COMPENDIVM MEDITATIONIS in Vigesimam veritatem.

I. PVNCTVM.

Declaratio eiusdem.

VT clariùs perspiciamus hanc veritatem, considerabimus imprimis, quo pacto Iesus passus sit à quouis genere hominum, quoduis genus pœnarum, quibus illum afflictum voluere.

Quod ad homines attinet, solùm recolere oportet animo illa Christi verba: *hæc est hora vestra & potestas tenebrarum*: Nam si satanæ data fuit potestas vtendi dæmonibus, hominibusque ad Christum torquendum, facilè intelligemus nihil neglectum esse ab illo, tam ad amplificandos Christi cruciatus, quàm ad scelere obligandas tantò plures animas, quantò frequentiores homines conferrent operum in horrendum illud flagitium, in mortem filij Dei. Et sanè, si eousque processit satanæ potestas, vt armarit in Magistrum discipulos, hunc vt illum hostibus proderet, alterũ, vt abnegaret, quid non valuerit in cæteros

ros Iudæos,& gentiles, quibus, vt antea inimicis nihil pronius esse poterat, quàm vt vnanimi consensu in pœnas & supplicia iurarent Seruatoris? Legum aliàs in capitali animaduersione seruandarum & vsitatarum, nulla hîc habetur ratio, vnica lex est, vt cuiuis permissum sit, impunè in illum grassari. Vide vt cateruatim confluant omnes, atque in illum insurgant: quin eo instituto videtur Passioni delecta Ierosolyma, & tempus Paschæ, vt plures vndique confluentes venirent in partem huius peragendæ Tragœdiæ.

Sed quid cruciatuum, quid pœnarum inferunt? quidquid lubet, traditus est enim eorum voluntati, neque damnationis sententia definit alio modo pœnas, quàm quod sit in illorum arbitrio, seu potiùs crudelitate; tantas illi inferant quantas furor & libido dictabit. Et reuera, quodnam pœnæ genus est, quod ille non patitur? in bonis, in honore, in amicis, in corpore, in capite, in oculis, in auribus, in ore, in brachijs, in manibus, in pedibus, in omnibus denique membris, tam indigna, contumelioſaque, vt foret difficile creditu homines sic omnem humanitatem exuisse, nisi dæmon illos velut instrumenta atque administros suos vsurpasset.

His animo benè comprehensis, facilè assequemur verum esse, quod quisquis paratus non est pati quoduis molestiarum genus, à quocunq; genere personarum, nõ sit omninò

ad

ad patiendum disposítus. nam si, ad Christi exemplum patiendum est, nónne eodem ritu pati oportet, quo ipse? aut si quæpiam est persona vel genus aliquod molestiæ, quod pati detrectamus, quomodo patimur ad illius exemplum? & fuerit illi sanè ratio, tam vniuersim tolerandi omnia, quæ offerebantur, an non eadem æquè nos, atque illum obligat? toleramúsne sine, an cum ratione? si sine etiam absque merito toleramus: si cum ratione, eadem ratio nos docebit, quiduis nos & à quocumque debere tolerare: aut aliàs, etsi subinde quædam sustineamus, id prouenire potiùs ab amore proprio, quàm ex sincera quadam ratione; quæ si verè nos ad quædam substinenda induceret, etiam suaderet tolerantiam cæterorum.

Anime mi, non tam à pœnæ, quàm à patiendi argumento redduntur nostræ perpessiones Deo acceptæ, dignæque merito; & si rectè apprehendas, quale debeat esse patiendi argumentum, inuenies illud æquo iure ad quoduis pœnarum occurrentium genus obligare, neque detrectari vllum posse sine culpa vel imperfectione aliqua.

II. PVN-

II. PVNCTVM.

Aduersio in vitam præteritam, præsentemque.

VItia contra hanc veritatem admissa procedunt, vel ab errore, quod nescias debuisse te pati ab omnibus, etiam æqualibus, & inferiore dignitatis loco constitutis; vel à malitia tibi persuadente, quod sufficeret, si modicum quid sustineres, procul habita tanta erga omnes superiores tuos, eorumque præcepta omnia, subiectione; vel à quodam naturæ habitu, molestius quosdam, quàm alios ferente: vndecumque demum proueniant hæc vitia, defle illa, confer impatientias tuas & immoderatos tuos affectus cum ijs virtutibus, quæ in Passione tui Iesu elucent, & lugens tua potiùs, quàm illius causa, ex animo dic: Qua fronte, sub spinoso capite Iesu & Seruatore meo, tam sum membrum delicatum!

III. PVNCTVM.

Propositum in futurum.

ESt, vt æqualiter paratus sis ad omnia, idque vt assequaris, inscribenda est penitùs hæc veritas tribus facultatibus animæ, imprimis

primis persuadendo illam nostro intellectui, vt de ea nullo modo dubitet ; deinde excitando in nostra voluntate illius amorem & affectum , ita vt non magis illi se, quàm alicui fidei articulo,aut præcepto diuino , opponat , quantumuis obnixum & difficultatem experiatur ; Denique efficiendo vt Memoria datis occasionibus recordetur illius vti Christus sub ipsam Passionem dicebat : *Hæc est hora*,hæc occasio, & quemadmodum profitebatur admonens Apostolos suos persecutionum olim tolerandarum, se idcirco facere , vt in occasione memminissent dictorum suorum,eaque recordatione excitarent pia voluntatis suę desideria,& proposita patiendi,tum,quando illum loquentem audiebant,aut de illo argumento meditabantur,concepta.

Anime mi,si solum promittis, neque reipsa quidquam præstas , an non meritò times etiam, ne diuinorum promissorum effectis excidas? Deus enim alia conditione tibi cælum non adpromisit, nisi vt adlabores, tantumque patiaris , quantum eius consequendi gratia necessum est.

VIGE-

VIGESIMA PRIMA VERITAS.

Modum, mensuramque Patiendorum, esse dispositionem & voluntatem Dei.

Propter scelus populi mei, percussi eum. Isaiæ 55.

Consummatum est. Ioan. 19.

MEDITATIO

in hanc Vigesimamprimam veritatem.

I. PVNCTVM.

Declaratio veritatis.

TAmetsi nulla sint aduersa, quæ non accidant ex prouidentia & voluntate Dei cuncta disponentis, nihilominus, quia Deus subinde ad exercendam nostram patientiam vtitur hominibus, & nobis etiam ipsis, subinde verò absque ijs, exercet nos atque experitur per modos alios pro arbitrio suo, & prouidentia, curaque nostri peculiari; Hinc ad hanc dispositionem diuinæ voluntatis nominatim restringemus id ærumnarum genus, quæ neque à nobis, neque ab hominibus accidunt; eritque postremum caput istud de tribus, ad quæ posuimus referri debere ærumnas omnes ac pœnas.

Ad

Ad hunc modum sustinuit in Passione sua & morte Christus pœnas quasdam peculiares à Patre suo submissas, quas neq; ab hominibus neq; à seipso patiebatur, nisi dicere libeat eo nomine passum à se, quòd in natura diuina vnus idemq; cum Patre foret. Equidem referebat ad dispositionem voluntatemque Dei Patris, quidquid à dæmonibus atque hominibus inferebatur, quasdam tamen experiebatur pœnas, quas non aliunde, quàm à Patre sibi sentiebat prouenire, vti hanc derelictionem, quâ destitutus omni sensu solatij, exclamare cogebatur? (a) *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* illam extremam sitim, cuius dolorem testari voluit; illum languorem, & trium horarum cum vita morteque colluctationem; illam rebellionem prorsus omnium Iudæorum aduersus se, illorum Messiam, dominumque; illam tot animarum iacturam, quæ præ vulneribus omnibus, acerbiùs illum afflictabat; & alios similes animi, corporisque dolores, in quibus nominatim spectabat, reuerebatur, atque explebat dispositiones voluntatesque sui Patris, vt eodem pacto doceret nos illas intueri, acceptare, atque ad earum nutum nos componere.

Et quia faciliùs tueri nos possumus aduersus cætera pœnarum genera, quàm aduersus hasce, quandoquidem auerti vel mitigari saltem possint interiora mala, resisti queat homi-

(a) *Matth.* 27.

hominibus, qui nos persequuntur, integrum sit, eorum præsentiæ ditioniq́ue sese subducere; at ærumnis à Deo immissis eximere nos ea ratione nequeamus, cùm ita nequeat illi obsisti, quin affligere si velit, sentiamus effecta supremæ illius potestatis, quâ pollet in nos: hinc fit vt in simili malorum, afflictionumq́ue genere, vnde emergere non licet, facilius abripi nos sinamus in querimonias, & obmurmurationes, quasi plus æquo pateremur, habita præsertim ratione personarum aliarum, quas videmus commodis, honoribus, rebusq́ue secundis ex voto abundare: Id enimuerò nos afficit, accenditq́ue tam felicis fortunæ aut inuidiam aut cupiditatem, cuius comparatione sortem nostram, vt miserrimam, detestamur.

Verùm audiamus Vigesimam primam veritatem hîc nobis propositam, planè enim aduersus hasce querimonias & animi ægritudines est, quod inculcat: Mensuram scilicet patiendorum esse dispositionem voluntatemq́ue diuinam; (a) Illius esse, pro arbitrio de vnoquoque nostrûm statuere, ad nos verò spectare, vt illius statutis omnibus æquo animo subijciamur. Quod etsi possit intelligi, atque applicari omnibus omninò ærumnis, quas patimur, quia tamen, vti mox dicebamus, peculiarius attendimus Deum in hisce, quarum

(a) *Dominus est, quod bonum est in oculis suis faciat.* 1. Reg. 3.

rum vnicum in patientia remedium est, idcircò etiam peculiariùs hîc considerandæ sunt ipsius dispositiones, & harum consideratione nos animare ad patiendum æquo alacriq́ue animo debemus.

Exemplum Christi patientis atque exspirantis in Cruce, plurimum adfert luminis iuxta, ac roboris ad comprehendendam, amandamq́ue eam veritatem: (a) hic enim videre est, quàm perfectè is omnes dispositiones decretaq́ue sui Patris expleuerit; hîc apparet, modum mensuramq́ue pœnarum nostrarum, esse dispositionem ac voluntatem diuinam, eamq́ue exhauriendam esse, quandoquidem Iesus non alio, quàm huius voluntatis intuitu patiebatur, & hæc voluntas tam cumulatè & quasi sine modo mensuraq́ue admensurauerat illi omnes suas perpessiones, vt postquam illum consideraverimus, æquum esse videatur, vt credamus quascumque nobis incumbentes ærumnas, esse leuiores, quàm vt querimoniam à nobis extorqueant.

In ipso primo suo conceptu, & vitæ exordio, contemplans Patris sui consilia ac decreta, illicò ea acceptauit, exclamansq́ue cum Propheta, ita est, inquit, *Deus meus volo, ecce venio, vt faciam voluntatem tuam*, (b) & expleam, quidquid scriptum est de me. Deinde nascens

(a) *Et quidem filius hominis, secundùm quod definitum est, vadit.* Luc. 22. (b) *Ps. 39.*

nascens & posteà conuersans inter homines, non spectabat aliud, quàm diuinam hanc voluntatem, neque aliam dictorum factorumque suorum reddebat rationem, (a) quam quod ita lubitum esset Deo Patri à quo, (b) veiut scripto adnumerata, commensurataque habebat vniuersa, quæ sibi in hominum congressibus dicenda erant, ac agenda.

Verùm in Passione & morte sua longè euidentiùs demonstrauit, qua veneratione complecteretur decreta, statutaque aduersus se lata, dum ea tam enucleatè voluit obseruare, vt priùs morti cedere noluerit, quàm cuncta plenissimè exequeretur, ne littera quidem vlla prætermissa; expletis verò omnibus, illicò felicem exhalauit animam, quasi iam nihil amplius inter mortales agendum patiendumve supereſſet illi, cui Pater plura non præscripserat. (c) *Vt cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio*, aiebat discipulis suis, *surgite, eamus hinc*, vrbe excedamus, eamus in hortum oliuarum, in montem Caluariæ, in Crucem, in mortem. Neque alio in statuto permisit grauem illam luctam appetitum inter & rationem, quam, vt quò maiorem experiretur auersionem naturæ à rebus tolerandis, eò clariùs testificaretur, quanti faceret decreta Patris sui, cum eorum reuerentia omnem illam auersionem superaret. *Quid?* aiebat hac etiam de causa,

(a) *Matt.* 11. (b) *Ioan.* 12. (c) *Ioan.* 14.

causa, (a) *Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum?* Imò verò, (b) *quidquid scriptum est de me, oportet impleri.*

Denique vt huius rei certissimum posteris testimonium relinqueretur, accipe suprema, quæ protulit, verba: *Consummatum est*, nihil superest, ô Pater, nisi vt animam tibi reddam. O verba! ô vitam! ô mortem Christi Iesu! omnia consummata sunt! quid hoc? Prophetiæ omnes, omnes figuræ, scripturæque peractæ sunt, omnia Patris mei statuta sunt expleta, omnes perpessiones, quas mihi præscripserat, sunt toleratæ. Omnia consummata sunt. Nulli rei peperci, non commodis, non honori, non sanguini, non corpori, non vitæ, omnia consummata sunt, nullus reliquus est in venis cruor, nullum in ossibus robur, nulla in arterijs motio, nullus in pulmone spiritus, nulla in corde supereſt vita; Omnia consummata consumptaque sunt, vt ea ratione consummarem expleremque omnes mei Patris voluntates, quæ non alio modo mensuraque definierunt perpessiones meas, quàm vt ijs penitus consumerer, atque inculcarem hominibus veritatem hanc, Quod modus & mensura patiendorum sit dispositio & voluntas Dei, & nulli rei parcendum sit, vt hæc voluntas expleatur. Qualis Magister? qualis lectio? qualis cathedra docentis! qualia verba, consummatum est!

(a) *Ioan.* 18. (b) *Luc.* 22.

Poterá tne dici aut fieri potentius aliquid ad animos noſtros in fide & vſu huius veritatis obfirmandos? Et profectò, ad eam docendam, tali opus erat Magiſtro, natura enim noſtra miris fluctibus agitatur, dum videt tam diſparem eſſe hominum fortunam, alios cum Lazaro vix animam trahere, (a) alios cum diuite Epulone frui votis omnibus: &, ſi quibuſdam proſpera aduerſaque permixta ſunt, id fieri ſorte tam diſpari, vt inter mortales omnia mœrore, iracundia, inuidia, tædio, obloquutione, mutuiſque querimonijs compleantur, quaſi ærumnarum, aduerſorumque diſtributio facta non eſſet ex æquo & bono.

Sed taceamus, diſcamuſque hæc omnia à Dei diſpoſitione prouenire, ſuam cuique definitam eſſe menſuram pro gradu gratiæ, & gloriæ, (b) quem cuique Deus deſtinauit, & ad quem obtinendum per rerum aduerſarum tolerantiam vnumquemque promouet; idem eſſe hic, quod in ædificio, vbi plus operæ & lectionis vni, quàm alteri ſaxo adhibetur, iuxta mentem conſiliumque architecti; & ſicut inter cælites non eſt alia ratio, cur alter alterum gloriæ præſtantiâ excedat, quàm quod ita viſum ſit diuinæ voluntati, ſic inter mortales, cur alter altero plus patiatur, rationem eſſe petendam ab eodem Dei arbitrio,

trio,

(a) *Vide Iob* 21. (b) *Hunc humiliat, & hunc exaltat.* Pſ. 74.

trio, præscribente cuique mensuram suam, quâ ad præparatum sibi gloriæ gradum nitatur; nullam esse querelarum causam, si alij plus alijs, minusve exerceantur; sufficere, si quisque, quod incumbit, sustineat, suamque exhauriat mensuram, quæ sanè exhaurienda est, & quid nos attinet, quantum sustineant alij, vt eorum causâ conqueramur? Id nostrum est, tantum pati, quantum proposita mensura nobis exhibet, (a) quæ idcircò Calix Domini nuncupatur, quod, sicut mos erat Iudæis, vt inter illos senior aut conuiuij arbiter singulis exhaurienda portionem distribueret: ita Deus nobis in hac vita constitutis, præscribat viuendi modum, & mensuram eorum, quæ tolerare necesse est. Ne metue, si minus quàm Christus, quàm alij sanctimoniâ præstantes viri, patiaris: tanta siquidem non exigunt à te, non est illa mensura tua, neque modus conditioni tuæ præscriptus, vnde, quæ tibi Deus patienda submittit, hæc Crux tua est, hic Calix tuus & mensura, tam necessariò exhaurienda, quàm arctè obstrictus es, ad explendam Dei voluntatem, quæ expleri sine patientia, & perpessione rerum omnium ab illo submissarum, non potest. O quàm æquum est, exclamabat (b) Antiochus, mortalem subditum esse Deo, eiusque dispositionibus. Anime mi, vox illa impij capitis est, sed

(a) Psl. 15. & Matth. 20. (b) 2. Mach. 9.

voluit Deus hanc veritatem ab omnium hominum sceleratissimo testatam, vt qui eo meliores essent, sine vllo dubio illi assentirentur, aut si pergerent adhuc hærere dubij, scirent se hoc impio sceleratiores.

II. PVNCTVM.

Aduersio in vitam præteritam, statumque præsentem.

VT meliùs perspecta habeas vitia, quæ tibi aduersus hanc veritatem acciderunt, perfectiusque intelligas, quo nunc in statu verseris, ad remedium adhibendum: Obserua ærumnas, quæ à Deo peculiariter immittuntur, ad tres species reuocari posse, quarum prima est defectuum à natura prouenientium in forma corporis, in ingenio, & indole nostra; ex quibus existunt Cruces acerbæ & toleratu difficiles per omnem vitam, quando nimirum deformis est membrorum constitutio, & infirma; quando ingenium debile, nec rerum capax, & indoles morosa, obnitensque rationi, virtuti, & medijs ad salutem consequendam opportunis: vnde fit vt maiori sit opus afflictatione corporis, & prauorum affectuum frænatione difficili, quo debitum officium præstemus. Quomodo hîc te gessisti?

Altera species est, inopia rerum externarum,

rum,(a)vt generis, opum, commodorumque illorum,quæ fortunæ dicuntur , quæ vbi exigua sunt,facilè videmus quantam patiendi segetem producant, & quæ vitia soleant progerminare,tu tua agnosce & deplora.

Tertia est à casibus qui plerumque viuentibus accidunt, quando scilicet destituimur optatis,aut habere cogimur illa,quæ maximè auersamur; quando nihil succedit ex animi sententia,sed vt minimè in votis est:Hæc omnia à Deo procedunt,& in ijs toties delinquimus, quoties non conformamus nos huic diuinæ prouidentiæ talia statuenti: cuius indicia emicant in affectibus nostris contrarijs, in verbis,in gestu,alijsque, quæ hinc pendent, vitijs.

O Quoties hîc deliquisti?hoc nunc cogita, & ærumnas omnes præteritas, venturasque Deo offer in satisfactionem vitiorum, à te, dum eas non eo quo par erat, animo, tulisti, commissorum. O Deus quid sunt ærumnæ meæ ad tanta peccata quæ patraui! Anime mi,si illæ ærumnis tui Seruatoris vniantur, & nunc velis eas acceptare, quemadmodùm ille suas amplexus est promptissimo semper affectu, sufficiens erit illarum pretium, quandoquidem ijs Deus sit acquieturus.

(a) *Substantia diuitis, vrbs fortitudinis eius; Rapor pauperum, egestas eorum.* Prou.10.

III. PVNCTVM.

Propositum in futurum.

PRopositum hîc capiendum præcipuè consistit, in perfecta abdicatione voluntatis nostræ, ad exemplum Christi ita conformando illam cum diuina voluntate, in pœnis omnibus, & afflictationibus, vt earum, quæ sunt arbitrij nostri & liberæ electionis, (a) non plures assumamus, quàm intelligemus Deum à nobis desiderare, neque etiam recusemus illas, quæ sunt ad promouendam perfectionem nostram idoneæ; vt in illis, quæ sunt extra potestatem nostram, vtpote coniunctæ cum nostro naturæ habitu, cum nostra conditione, cum casibus occurrentibus cum obligatione muneris nostri, & cum exercitio virtutum à nobis obeundarum, ita comparati animo simus, vt non alia feramur quàm Dei voluntate: Tam simus ægri, tam pauperes, tam contempti, tamque inuisi omnibus; quàm ille voluerit: licet enim prosperrimo optatissimoque rerum omnium successu frueremur, in illo tamen nihil deberemus spectare aliud, neque diligere, nisi soiam Dei dispositionem atque voluntatem, quæ dispositio cùm etiam in rebus aduersis reperiatur, æquè

(a) *Quoniam ego in flagella paratus sum.* Psalm. 37.

æquè hîc, aut etiam magis amanda est, nos enim Christo Iesu reddit similiores. Quòd si subinde adhibemus media ex pœnis illis euadendi,(a) fiat id eo solùm nomine, quod fieri ipse patiatur, imò quod etiam præcipiat, nobis enim licitum non est, vt cùm media vitæ conseruandæ suppetunt emori nos sinamus, quia nostri iuris non sumus; vita nostra Dei est, quam ille nobis eo pacto contulit, vt quamdiu vult, eam conseruemus, & cùm voluerit, eandem illi restituamus.

Atque hæc, & quidem maximè,(b) intelligenda sunt de molestijs, quæ subiri debebunt, ratione mortificationis continuæ, cui deinceps incumbendum est, vt appetitu semper rationi, & naturâ gratiæ, subiectis, Deo seruiamus in illo gradu perfectionis, ad quem nos vult promotos, adeoque nunquam, pœnæ vel molestiæ subeundæ metu, omittamus rectè agere, neque quidquam mali committamus: absit; quantumcumque prauo sis naturæ affectu, ne vnquam abripi te sinas eius violentiâ, sed potiùs hoc tibi statuendum est, vt eum coërceas, neque tibi parcas magis, quàm sibi Christus pepercerit, dum se, exempli tibi præbendi gratiâ, penitus con-

(a) *Fili in tua infirmitate, ne despicias teipsum.* Eccl. 38.

(b) *Semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes, vt & vita Iesu manifestetur in corporibus nostris.* 2. Cor. 4.

sumpsit. *Qui Christi sunt*, inquit Paulus, (a) *carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs*: hoc est, non magis illi indulgent motus aliquos inordinatos, quàm is, qui Cruci affixus est, mouere se queat. Vísne esse Iesu Christi hoc indicio testificare.

In quacumque positione mentis sum, aiebat Philosophus, cùm lego Sextium, (b) libe omnes casus prouocare, libet exclamare quid cessas fortuna? congredere. Ah animi, quid ni idem tu dicis, dum vides in Cru Iesum tuum exspirantem, dum audis extrema illa morientis verba: *Consummatum* nónne maior tibi causa est discendi hanc lectionem ex libro vitæ, in quo scriptum sanguineis litteris agni immaculati, Quo mensura patiendorum sit dispositio & voluntas diuina?

(a) *Galat.* 5. (b) *Seneca.*

COMPENDIVM MEDITATIONIS in vigesimamprimam veritatem

I. PVNCTVM.

Declaratio eiusdem.

OMnes ærumnæ, toleratu necessariæ, procedunt à dispositione voluntateque diuina, cùm aliàs necessariæ non sint, nisi quid inde procedant: sunt tamen quædam, quæ tam proximè referuntur ad hanc diuinam dispo

dispositionem, vt nulla sit causa propior, quæ nobis illas aut hominibus attribuat: atque de hoc pœnarum genere intelligi debet proposita veritas, dum ait: Mensuram patiendorum esse voluntatem dispositionemque diuinam. Si, exempli gratiâ, destituti sumus dotibus naturæ, fortunæ, gratiarumque, vt vocant, gratuitarum: si consilia conatusque nostri careant successibus, si ab ingenio, à valetudine, natalibus, hominum fauore, alijsque commodis, quæ natura solet expetere, nudi sumus: si videamus nos contemptos, oppressosque alijs in honore, ac prospera fortuna constitutis: hisce sanè, similibusve grauiter cruciamur, & quia horum auctorem alium nescimus quàm Deum, obtrectamus illius prouidentiæ, inuidemus aliis, tædet nos vitæ tam miseræ, eiusque finiendæ desiderio languemus, & si fas esset, Deum ipsum compellaremus, cur præ alijs tanta cogamur sustinere; sed Deus, dispositio illius ita statuit, illius voluntas tolerantias nostras admensurat, cruces effingit, & calicem nostrum bonis propinat exhaurien-dum.

Mirificè id patet in Passione & morte Christi Seruatoris, ærumnæ illius omnes quidem à Deo Patre proueniebant, eoque nomine illas ipse complectabatur, erant tamen nonnullæ; quas peculiari quodam modo referebat ad ipsius dispositionem voluntatemq;

vti grauis illa derelictio quando destitutus omni solatio sensibili exclamauit: *Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Ille languor & trium horarum lucta vitam inter & mortem, quam in Cruce subiit, illa tot animarum iactura, ipsis suis vulneribus acerbior: In eiusmodi pœnis spectabat ille, & reuerebatur peculiarius dispositiones & decreta Patris sui. Hinc ituriens ad Passionem suam, *venit* aiebat, *Princeps huius mundi, & in me non habet quidquam, sed vt cognoscat mundus quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio, surgite, eamus*, patiamur, moriamur.

Hac de causa fatebatur se aggredi Passionem suam, & reuera hæc erat norma & mensura rerum ab illo tolerandarum, quòd ita Pater statuisset; erat is Calix quem hauriendum dederat, erat id eius decretum, & mandatum, quod explere tam accuratè voluit, vt noluerit priùs priuari vitâ, quàm verè posset dicere omnia expleta, omnia esse cõsummata, scripturæ totius vaticinia, omnia Dei decreta, omnes perpessiones nihil superesse, nisi vt moreretur, non sanguinẽ, non vires, non vitam, omnia esse consumpta, consummataque.

O qualia verba? qualis vita? qualis mors! quale exemplum? qualis comprobatio nostræ veritatis? Quid, obsecro, respõdere poterimus, si moneamur, tantum ferendum esse, quantum Deus voluerit, quandoquidem fuerit necesse, vt hac iret Dei Filius, neque exti-

extiterit alia tantorum cruciatuum toleratorum ratio, quàm quòd ea foret dispositio sui Patris,& voluntas.

Reapse,vti satis exploratum est, varios distinctosque esse gloriæ gradus in cælo, & hanc varietatem non aliunde, quàm à diuina dispositione prouenire;ita quoque sciendum est,vt eò pertingatur, eum statuisse in Terris cuique rerum patiendarum mensuram,prout quemque statuit in cælis collocare: quo pacto ædificij architectus alios atque alios aliter secat ac elaborat lapides, pro artis suæ ac fabricæ instituto. Mittamus igitur, anime mi,ineptas illas curas,cur hic, cur ille laborent inopiâ, & cur nos, quàm cæteri, grauiora patiamur, cùm Deus ista sic disponat: & cogitemus potiùs de explendis accuratè ad mortem vsque, omnibus, quæ disponit, quàm, cur ita disponat, inconsultè perueſtigemus.

II. PVNCTVM.

Aduersio ad vitam præteritam, præsentemque.

VT rectè cognoscas vitia, quæ aduersus hanc veritatem potes commisisse,& quibus obnoxius es,digere ærumnas omnes,quæ tibi peculiariter à diuina dispositione, prouidentiaque submittuntur, in tres spe-

cies. Prima est defectuum qui nobis adnascuntur à natura, in corpore, in ingenio, in indole.

Secunda, inopiæ bonorum externorum, quæ fortunæ appellantur.

Tertia, variorum casuum difficilium, qui viuentibus accidunt; Nunquid ex hisce natura corrupta captat occasionem succensendi, se angendi, quiritandi, & ne multa, auocandi mentem hominis ab illa conformatione, quam deceret illum habere cum Deo suo? Circa quæ agnoscere nunc debes, quomodo offendas, quàm immeritò & perperam in tuis afflictationibus de Deo conqueraris, ingratoque feras animo, quod ad insignem sanctimoniam euehere te velit, præbens patiendi argumenta, quibus illam obtineas.

III. PVNCTVM.

Propositum in futurum.

EST, vt nos penitùs committamus dispositioni diuinæ prouidentiæ, circa molestias omnes, quæ nobis imposterum sustinendæ sunt, ita vt nolimus ijs vlla ratione repugnare. Possunt etiam hæ distingui in tria genera, primò in illas, quæ spontaneæ sunt & ex religione suscipiuntur, quas ita moderabimur ex prudentia, vt nec nimij simus, neque

tamen

tamen illas etiam, quas suader studium promouendæ perfectionis, negligamus.

Secundò, in necessarias quas Deus immittit, quasque declinare non licet: in his oportet necessitatem in virtutem conuertere, easque eadem animi promptitudine sustinere, quâ ferimus spontaneas corporis afflictationes.

Tertij generis sunt primam necessariæ, partim voluntariæ, complectuntur enim continuam illam molestiam, quæ subeunda est, ne ex deprauatæ naturæ legibus vita exigatur; quod hinc voluntarium est, cùm nihil peracturus sis, nisi seriò velis, sed illinc necessarium quoque ad virtutes exercitandas, explendamque in tuo statu diuinam voluntatem. Nam quocumque in statu viuas, si vis esse Iesu Christi, debes, vt Apostolus loquitur, crucifigere carnem tuam cum vitijs & concupiscentijs suis, & sustinere dolorem qui ab hac Crucifixione existit: & vt hoc decretum seriò concipias, solum opus est conijcere oculos in Iesum de Cruce pendentem, teque percontari, num ille dignus non sit, cuius gratiâ talem molestiam patiaris? Respondè, sed factis potiùs quàm verbis,

CON-

CONSIDERATIO.
in hunc septimum Diem.

De concionibus & exhortationibus, deque spirituali lectione, & colloquio.

1. PRæmissa oratione solita ; considera, quàm vtile sit audire verbum Dei , & quantum damnum nullam ex eo referre vilitatem.

2. Oporteret equidem semper deligere optimos concionatores, & libros : sed nullus est concionator aut pius libellus , ex quo si libuisset , non potuisses aliquem haurire fructum.

3. Curiositas & negligentia duo magni sunt obices fructus, ex diuini verbi auditione capiendi.

4. Attendi non deberet, à quo , neque quâ ratione diuinum hoc verbum nobis insinuetur, cùm satis sit, verbum esse diuinum.

5. Aptissima est , hanc in rem , similitudo speculi, quod non alio fine intuemur , quàm ad notandas tollendasque è vultu maculas: ad eum modum simul atque verbum Dei excipitur, oportet illud in nostros vsus conuertere ; & notare quantùm mores nostri à prolata veritate vel dissentiant , vel cum eadem conueniant.

6. Quia non est ea virtus concionantis, neque

que libelli, neque eorum , quæ proferuntur, argumentorum, vt mentem religione percellant, sed solius Dei hæc media vsurpantis : idcircò petenda semper est ab illo gratia , vt eum fructum referamus quem statuit nobis elargiri.

7. Oportet etiam precatione sua complecti eum qui verba facit, & illos , qui facienti auscultant, cum ingenti desiderio vt omnibus diuinis consilijs decretisque satisfiat, sublato omni dæmonis & mundi obstaculo. Quòd si tu ipse concionator es aut superior , hoc monitum tuo muneri accommoda , & diligentiùs incumbe huic officio rectè peragendo, quod & ad salutem & perfectionem animarum procurandam grauissimum est , & plerumque tractatur admodũ perfunctoriè.

8. Peracta concione aut exhortatione quid agis? refersne Deo grates omnium, quæ tibi significauit ? petisne veniam erratorum , quorum tibi notitiam aperuere productæ veritates? Nónne apud animum tuum dicis : quem ex hoc sermone fructum referam? aut satis putas te audijsse , & tuam de concionatore liberè apud alios , ferre sententiam?

9. Estne constitutus tibi liber aliquis pius, quem quotidie & statâ horâ certò perlegas?

10. Quo emolumento id facis ? quæ tibi obstant impedimenta , & quibus mediis occurris?

11. Me-

11. Meminiſtine ſæpius aurei libelli de Chriſti imitatione ? nunquam excidere deberet , aliquandò à capite ad calcem illum euoluendo,aliàs fortuito illum aperiendo.

12. Quod ad ſacras litteras attinet,pendet à conditione tua ; cæteri verò pii libelli potiùs aſſumantur ex arbitrio ſuperioris aut præfecti rebus ſpiritualibus , quàm delectu noſtro,qui facilè ab amore proprio , niſi attenditur,vitiatur.

13. Agnoſce diſcrimen inter lectionem quæ ſtudij, & alteram,quæ ſpiritus gratiâ fit; & vide num iſtud accuratè obſerues.

14. Lectio meditationis inſtituendæ vicem obire poteſt piæ lectionis,modo repertas veritates ſibi quis nouerit applicare.

15. Nemóne tibi eſt, quocum liberè ſermonem conferas de rebus pijs & diuinis : ſiue id fiat honeſtæ conſuetudinis grátia , & vt generatim talia differantur , ſiue vt ea ediſcas,quæ priuato tuo commodo ſint ? & quomodo in ijs te geris?

16. Ad audiendum ſemper ſis promptior, quàm ad loquendum,niſi cum perſona verſeris,quæ inſtructione, correctioneq; indigeat, tunc enim prodere oportet zelum ſuum , neque erubeſcere pro veritate & virtute loqui.

17. Nunquam in id incubuiſti , vt ſcires ingeniosè auertere ſermonem inutilem & inde ſumere anſam moralis alicuius documen-

ti?

ti? Nunquámne in eam rem à Deo gratiam postulasti? aduerte sis animum.

18. Estne tibi moderator aliquis, & quâ fide candoreque animi, tua cum illo communicas?

19. Tenésne sinceram agendi rationem, quasi tibi cum solo Deo negotium foret? an potiùs subinde simulatione te tuaque inuolvis, vtens quodam genere astutiarum & calliditate naturæ, quam tu censes esse prudentiam, cùm mera dementia sit coram Deo eius æquè certo vindice, quàm est candoris & ingenuitatis verus amator.

20. Præuerte ipsius iustitiam: erubesce tuas simulationes, earum pete veniam, & gratiam ex illis emergendi.

LECTIO.

Ex sacro codice: caput quinquagesimum tertium Isaiæ. Loca quædam Euangeliorum, in quibus agitur de Christi Passione, & caput secundum & tertium Epistolæ ad Philippenses.

Ex libello exercitiorum: Regulæ vtiles ad pleniorem spirituum discretionem, & de distribuendis Eleemosinis.

Ex Thoma Kempensi: Caput duodecimum libri secundi, & quinquagesimum sextum tertij.

OCTA-

OCTAVVS DIES

De statu vitæ perfectæ, ex gloriosa Christi vita, desumpto.

VIGESIMA SECVNDA VERITAS.

Vti nemo vitam adit glorioſam, niſi mortuus vita naturali, ita neminem inire vitam ſpiritualem & perfectam, niſi defunctum vita ſenſuali.

Nónne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam? Luc. 14.

Si complantati facti ſumus ſimilitudini mortis eius, ſimul & reſurrectionis erimus. Rom. 6, vide etiam 2. Timoth. 2.

MEDITATIO

in hanc Vigeſimamſecundam veritatem.

I. PVNCTVM.

Declaratio eiuſdem veritatis.

SI plenum ex meditationibus noſtris fructum collegiſſemus tantumque promouiſſemus

uissemus in veritatum vsu & exercitio, quantum in earundem consideratione, hisce exercitijs, hactenus instituta: peruenissemus ad vitam vnitiuam, vitam perfectam, quandoquidem iam appulerimus ad mysteria resurrectionis, quæ cum perfectione vitæ spiritualis tantam habent affinitatem vt eiusdem etiam sint idea & exemplar. Si verò nondum pertigimus ad hanc perfectionem, considerabimus illam nihilominus in hisce mysterijs, vt nobis innotescat, eaque cognitione nos, ad illam cum diuina gratia nostroq; conatu prosequendã, accendamur. Siquidem exercitia non tam sunt pro illo tempore, quo instituuntur, quã vt errata præteriti tẽporis agnoscantur, & concipiantur ea in futurũ proposita & remedia, quibus in dies magis magisque ad perfectionẽ promoueamur.

Et quia grauissimum promoturis impedimentum, & cui maximè inuigilare oportet, est amor proprius, quo sustentatur vita nostra sensualis: Inter omnes similitudines & cõuenientias, quæ nobis circa mysteria vitæ gloriosæ IESV Christi à morte rediuiui, considerandæ sunt, peculiariter insistere debemus illi, quæ nobis in hac Vigesima secunda veritate proposita est, nimirum (a) vti vita glorioſa consequitur mortem vitæ naturalis,

(a) *Semper enim nos qui viuimus in mortem tradimur propter* IESVM, *vt & vita* IESV *manifestetur in carne nostra mortali*. 2. Cor. 4.

ralis, ita vita ſpiritualis & perfecta non eſt, niſi à morte vitæ ſenſualis. Non omittemus adnotare alias conuenientias, quæ inter vitam glorioſam corporis à morte exiſtentis, & vitam ſpiritualem intercedit; ſed præ cæteris hæc animo vehementiùs imprimenda eſt, quòd majoris ſit momenti, neque vlla reliqua ſit ad perfectionem obtinendam difficultas, ſi nobis ipſis mortui fuerimus, quandoquidem tota perfectionis dilatio vertatur in hoc vno cardine moriendi: ſimul enim atque morimur vita ſenſuali, ſtatim ſpirituali vita viuimus: & perfecta mors vitæ ſenſualis, eſt vitæ ſpiritualis perfectio. Ita teſtatur Paulus, nos ſi ſimiles fuerimus morti Chriſti, ſimul etiam futuros reſurrectioni; ſed & è contrario, ni cum illo moriamur, nunquam adituros nos vitam illam ſpiritualem & perfectam, cuius imago eſt vita ipſius glorioſa, ſicut non aditur ætas virilis, niſi relicta infantia.

Poſtquam igitur conſideraueris quomodo Chriſtus ad vitam non exſurrexerit priusquàm fuiſſet mortuus ſepultuſque; quo pacto beata illius anima, quæ in limbum deſcenderat, vt ex eo Paradiſum efficeret, reſumpſerit corpus ſuum, eduxeritque è ſepulchro glorioſum, prædituſque quatuor gloriæ doribus, claritate, agilitate, impaſſibilitate & ſubtilitate: poſtquam Chriſtum hoc apparatu de morte triumphantem obſtupeſcens ſuſpexeris, adoraueriſque, poſtquam illi fue-

ris

ris gratulatus, & cum illo adieris eos quibus apparere dignatus est, postquam denique temporis aliquid collocaueris in contemplanda vita illius glorioſa, & gloriæ ſplendore attonitus exclamaueris: *O quàm glorioſus fuit hodie rex Iſrael!* (a) aggredere conſiderationem veritatis propoſitæ: ſenſum illius explora, & quàm indubitata ſit, ediſce.

Primò, quando moneris moriendum eſſe vita ſenſuali non id ſolùm agitur, vt deſeras ſcelera tua, aut affectus illos maximè ſenſuales qui in ea te deuoluunt, id enim nimis quàm rude eſt & imperfectum: neque hoc etiam, vt nulla amplius ſenſuali ſeu corporis, ſeu animi motioni, velut ſi mortuus fores, aut Angelus humana carne indutus, perturberis; nam iſtud ſubtile nimium eſt, & vires noſtras exſuperans: ſed hoc petitur, vt diuinæ gratiæ beneficio ita comparatus ſis, viualque in iſto animi decreto ita attendendi ad omnes internos externoſq; motus (b) mentis, appetitionum, linguæ, membrorum, ſenſuum, eorumque omnium, quæ in tua ſunt poteſtate, vt quidquid ſenſeris, nunquam tamen immoderatæ

(a) 2. *Reg.* 6. (b) *Talium mortuorum vox eſt: viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Chriſtus. Quorum vita abſcondita eſt in DEO, admonentur, vt membra ſua mortificent, quæ ſunt ſuper terram, per continentiam ſcilicet concupiſcentiæ motibus non conſentiendo &c.* Anguſtin. de Contin. cap. 13.

deratæ motioni consentias: vt abstineas ab omni voluptate, vel modicè intemperanti: vt molestiam omnem, quæ hanc ob rem & alijs occasionibus ferenda est, sustineas: vt spiritu gratiæ potiùs & exemplo Christi, quàm naturæ & indolis procliuitate, ad agendum inducaris; vt compescas intellectum, à falsis ratiocinationibus, quæ nullo alio, quàm carnis & sanguinis, aut mundanæ sapientiæ nituntur fundamento: vt in suis affectibus refrænes voluntatem, ne optata sua, etiam sub specie boni alicuius, nimis auidè consectetur; vt coercas tuas appetitiones, fontes cupiditatis & odij, ab immoderata erga delectabile bonum propensione, & nimiâ sensibilis mali fugâ. Id enim verò est mori vita sensuali, ita se coercere; est viuere instar mortui, viuere in hoc animi decreto, & continuâ vigilantiâ nihil indulgendi suæ sensualitati.

His rectè comprehensis, perspice secundò quomodò verum sit, mortem hanc vitæ sensualis, tam esse necessariam ad viuendum vitâ melio[illegible]um necessarium fuit Christo, & ijs omnib[illegible] resurgens in gloria, vt vita moreretur n[illegible]li. Nam vti diuina dispositione statut[illegible] (a) vt corpus non adeat glo-

(a) *Hoc demum vita, seu potiùs hoc solùm vita est, nimirum nihil quidquam tolerare, quod humanum sit, nec voluptatibus addictum seruire*: Chrysost. hom. 13. in epist. ad Rom.

gloriam, nisi morte obita, ita etiam eâdem prouidentiâ definitum est, vt nemo admittatur ad perfectionem vitæ spiritualis, nisi à morte vitæ sensualis. Et hæc definitio tam constans est, & immobilis, vt facilius exempturus esset Deus aliquem lege mortis corporeæ, vt absque illa eum traduceret ad vitam glorioſam, quàm vt absque morte, de qua nobis sermo est, transitum faciat à vita sensuali, ad spiritualem, supernaturalemque: non enim tam repugnat, fierique facilius potest, vt corpus vitam viuens naturalem sine morte transeat ad vitam glorioſam, quàm vt aliquis euadat spiritualis & perfectus, idemque maneat sensualis, fieri id profectò nequit, cum spiritualem esse & sensualem, æquè sint opposita, atque virtus & vitium, vita & mors, esse & non esse.

Quod si demum Deus neminem absoluit à morte corporis, vt absque ea illi largiatur vitam glorioſam, cum & ipsum IESVM mori oportuerit, & ita intrare in gloriam suam: quanto minùs sperare nos debemus, fieri posse, vt sine morte vitæ sensualis, transeatur ad spiritualem? (a) *nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum* (b) *solum manet,*

non

(a) *Ioan.* 12. (b) *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione; seminatur in ignobilitate, surget in gloria; seminatur in infirmitate, surget in virtute; seminatur corpus animale, surget corpus spirituale.* 1. Cor. 15.

non progerminat, neque fructum fert vllum, aiebat Christus, de sua, nostraque morte differens: si verò mortuum fuerit, vides, quàm cumulatè penset arista vnius granuli in terra emortui iacturam? vides, quantum interfit discriminis inter corpus glorioſum & beatum, & inter illud, quod ante mortem, erat corruptioni, & perpessioni obnoxium? Pari fruemur emolumento si animali sensualique vita moriamur. Nunquam viuemus melius, quam hoc vitæ genere mortui, nam illicò viuemus vita IESV, quâ viuit in cordibus nostris, quæque similis est vitæ illi glorioſæ, quam duxit rediuiuus à mortuis, & cuius eatenus nos facit participes, quatenus socij sumus mortis illius & sepulturæ. Eius iam olim nos reddidit certiores D. Paulus, asserens nos eodem temporis momento, quo facti fuerimus similes morti illius, *simul* etiam & illicò fore resurrectionis. Non tribus post mortem diebus exsuscitabimur, sed illo ipso die, illa hora, illo felici momento, quo desinet vita sensualis, spiritualis inchoabit, aut, si inchoata iam est, euadet perfecta: & hæc vita spiritualis existens perfecta, nihil admodum abest à vita glorioſa; vita est noua, vti erat ipsius IESV; vita est tantò excellentior vita sensuali, quantò vita IESV à mortuis excitati, vitam mortalem & corruptioni obnoxiam anteibat: vita est continua, quam nulla mors infestat,

festat uti (a) *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur*, & reuerà perfectos non peccare, (b) affirmat S. Ioannes, nam etsi subinde offendant, non sunt eorum peccata mortifera, sed neque venialia, quæ ex affectu, aut defectu mortificationis committuntur, mortui enim sunt, & in omnibus suis cupiditatibus mortificati; labuntur ergo plerumque ex inconsiderantia, imprudentia & fragilitate, promptiusque, quàm ceciderint, sese erigunt, maiorique eum emolumento, quàm si in leues illas culpas non incidissent. Cupiditas, quæ germen est peccati, nunquam appetitum illorum destituit, primosque sentire possunt illius impetus, sed hinc materiam sumunt virtutis meritorumque cumulandorum, hinc meminerunt se homines esse: hinc capiunt argumenta testandæ Deo fideliratis suæ, dum non patiuntur vt motus aliquis inordinatus aduersus illius decreta voluntatemque insurgat; ad eum proximè modum, quo Iesus seruare voluit sacra vulnera in corpore suo glorioso, quæ potiùs erant honori, quàm damno: ita beatum quoque illum sacræ litteræ pronuntiant, qui relicto peccati fomite. (c) *potuit transgredi, & non est transgressus; facere mala, & non fecit.*

Denique vti vita Christi glorioſa, erat

(a) *Rom.* 6. (b) 1. *Ioan.* 3.
(c) *Eccli.* 31.

vita omninò nobilis , omninò libera & exempta hac edendi,bibendi , dormiendi , aliorumque seruitiorum vitæ naturali impendendorum,neeessitate:Ita vita perfecta mancipare se nescit in obsequia sensualitatis, non omittunt perfecti usurpare , quæ necessaria sunt,sed non eadem , quâ imperfecti ratione: non desinunt aspicere,loqui,amare,desiderare,gaudere & tristari , sed non vt olim , cùm nondum perfecti euasissent ; omnia nunc aguntur spiritualem & supernaturalem in modum , omnia intuitu numinis ex eius spiritu,ad exequendam illius voluntatem , & vti dicebamus,ratione & ritu tanto sublimiori & & sensualem agendi modum excedente, quantò status vitæ glorioſæ & immortalis, miseram vitæ mortalis cònditionem antecedit.

Ratio est , quòd sicut corpus glorioſum præditum est dotibus claritatis,agilitatis, impassibilitatis,& subtilitatis,vnde redditur penitùs spirituale : ita quodam modo hæ dotes communicantur cum perfectis in quatuor animæ facultatibus,quas,vti videmus, habent moderatas coercitasque. Est dos claritatis in ipsorum intellectu , quæ diuinas præfert illustrationes , quarum præsidio ductuque dirigant sese,alijsque præluceant splendidissimo virtutum exemplo. Quadam specie agilitatis afficitur ipsorum voluntas , quæ tam prompta redditur ad omnem Dei nutum

vt

vt continuò idem velit, & sine mora obsequatur. In appetitu, vt vocant, concupiscibili, genus quoddam est impassibilitatis, quâ obduratur aduersus omnes voluptates, & obiecta sensum titillantia, vt nulla eorum via recto discedat. In irascibili donum est subtilitatis quâ tam facilè penetrant, perrumpunt-que difficultates omnes, quasi plana forent omnia in virtutum exercitio, sicut sine difficultate cuncta penetrat corpus gloriosum. Ita gloriosè viuere vitam perfectorum, id demum glorioſum est, & haud absimile Christo resurgenti. An non talis vitæ teneris desiderio? per te stabit, quominus illam assequaris, si enim fidem habes D. Paulo, tantùm cum Christo morere, & in talem cum illo vitam resurges.

O Iesu, qui tibi noluisti mortem inferre, sed aliunde illatam excepisti, hoc fauore me prosequere, hanc gratiam præsta, patere, vt cum Moyse te compellem: Obsecro, Domine, vt interficias me, (a) eo modo; quo ipse mihi moriar, quo non viuam amplius, nisi à gratia tua, à spiritu tuo, & à vita tua glorioſa.

(a) Num. 11.

II. PVNCTVM.

Aduersio ad vitam præteritam, statumque præsentem.

VItia omnia, quæ ex cupiditate, negligentia & immoderatione animi commissa sunt, aduersantur huic statui perfectionis & veritati, quam modò meditatus es. Excutere illa oportet, vt dolore & detestatione persequi possis. Sed præterea, si rectè aduertis animum, tres falsæ persuasiones & errores pernicioſi mentem tuam occupant, qui vim huius veritatis elidunt, à quibus es exsoluendus. Prior est, existimantis hæc, quæ de noua perfectorum vita, disseruntur, conceptus esse quidem argutos, sed cassos, & modum quendam loquendi contemplantibus speciosum, sed vsu, effectuque carere. Error iste profectò est, cui si consulto inhæsisses, potuisses in fidem offendisse, cùm sacri sit authoris assertio: (a) *Si Christo commortui sumus, & conviuemus.*

Alter est, quod, etsi id fieri possit, & in nonnullis vsuueniat, tu tamen te credas eò nunquam posse pertingere, vt sis perfectus, viuasque vitam tam excellentem, aut eâ, quâ par est, ratione, tuis à natura cogenitis affectibus moriaris, Falleris, & pari quidem iniuria,

(a) 2. *Timot.* 2.

iuria, ac si diceres : Iesum neque tuâ causâ mortuum, neque à mortuis resurrexisse, aut nullius gratiæ tantam esse vim & efficaciam quæ spiritualē te & perfectam efficere queat, auderé sne has animo suscipere cogitationes.

Tertius error est, Quod velles quàm ocyssimè te consecutum hunc statum, quod molestè feras, te adhuc perfectionis expertem, & nondum coërcitis esse affectibus, & quod incertitudo temporis, quo talem vitam consecuturus es, coniuncta cum ingenti eius consequendæ desiderio, ita te affligat, vt etiam infringat spem & animum. At hunc errorem corrige patientiâ tibi ab Apostolo commendatâ (a) & audi Seruatorem discipulis de tempore regni adeundi sollicitè inquirentibus, respondentem : Non esse illorum nosse tempora vel momenta, quæ Pater in sua posuit potestate, sed accepturos virtutem superuenientis spiritus, (b) à quo discerent agenda, neque vllam aliam curam ad illos pertinere, quàm quo modo illi obsequantur, & obtemperent. Hunc ad modum operando spera, & sperando operare quantum cognosces quotidie & in singulis actionibus facere, te ex spiritu & gratia debere.

Anime mi, permittamus illa Deo, quæ in illius vnius sunt potestate, & demus operam, vt ea nos agamus, quæ non vult perficere sine nobis.

II. PVN-

(a) Iacob 5. (b) Act. 1.

III. PVNCTVM.

Propositum in futurum.

VIdetur nihil hîc noui statuendum esse, viuendi enim ac moriendi proposita toties capta sunt, vt nihil supersit aliud, quàm vt executioni mandentur; Quia tamen perfecti differunt ab alijs, modo potiòs interiore abstinendi, & patiendi, quàm varietate operum exteriorum, cum reipsa perfecti non plura, quin & interdum pauciora faciant, quàm imperfecti, & imposterum tibi ea dumtaxat præstanda sint, quæ hactenus egisti: necesse est noua de hoc viuendi modo, qui proprius est perfectorum, & consentiens vitæ Christi glorioſæ, concipi decreta.

Et quidem viuendi continuò ea animi moderatione ac æquitate, vt interiora semper sibi constent licent externa pro ratione vel necessitatibus & fragilitate naturæ possint variari: mentis autem ille sit constans habitus, hanc vnam rem suam agere, spectare Deum in omnibus. Hinc existit tranquilitas animi, libertas interior, & facilitas etiam quædam exterior in rebus agendis, secluſa omni anxietate & solicitudine, quæ mentem perturbet, & plures alii fructus eximij, & affecta perfectionis prouenientia ab hac animi æquitate

quitate, vel serio eius, in omni loco & tempore, & quibus vis negotijs, tuendæ proposito. Proteritque dici de similibus, quod de matre Samuelis asserunt sacræ litteræ : (a) *vultus illius non sunt amplius in diuersa mutati.*

Obserua, fieri mentionem plurium vultuum, tum vt discamus interiora & exteriora non amplius variari, tum ad declarandum quod etsi plures sint vultus rerum exteriorum in perfectis, non tamen illos ea mutari ratione, quâ apud imperfectiores, cùm apud illos una eademque sit causa omnium agendorum, ratio & gratia. Status ille resurrectionis & immutabilitatis est, vbi (b) in eodem statu persistitur: soli affectus indomiti vultum immutant; at ubi nulla eorum perturbatio est saltem stata & voluntaria, inde exulãt illæ leuitates omni vento momentoq; cõmutabiles: illic idem spectatur homo, inter centum alios dignoscendus, qui vno codemq; vultu honores & contemptum, prospera & aduersa, solitudinem & hominum congressus, gaudium & mœrorem constanter excipit: eò quòd vnicũ sit illi studium, negotiumque, placere diuinæ Maiestati. O cui perspecta foret huius vnius studij, æquabilitatẽ in animo componentis, fe-

(a) *Reg.* 1. (b) *Propter quod non deficimus sed licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est, renouatur de die in diem.* 2. Cor 4. *Si ut Angelus Dei, vt nec benedictione, nec maledictione moueatur.* 2. Reg. 14.

licitas, quam lubens huic comparandæ impenderet vniuersa! (a) Margarita est Euangelica, quæ non emitur, nisi abdicatione reliquorum omnium.

(a) *Matth.* 13.

COMPENDIVM MEDITATIONIS in vigesimam secundam Veritatem.

I. PVNCTVM.

Declaratio eiusdem.

COnsiderato mysterio resurrectionis, & quomodo Christus non priùs adierit vitam glorioſam, quàm defunctus esset vitâ naturali: agnoſce etiam non adiri vitam spiritualem, nisi quis prius sensuali vitę moriatur, & ita mortuum certum inire felicem hunc statum perfectionis, quo modo Christus à morte sua triumphans & glorioſus exsurrexit. Ratio huiusce veritatis fundamentum habet ab eadem diuinæ prouidentiæ dispositione, quæ pariter eum excludit à vita spirituali perfectaque, qui nondum mortuus est vitæ sensuali, ac illum non admittit in gloriam cæleſtem, & vitam glorioſam corporis exsuſcitati, qui nondum vita naturali defunctus est. Et faciliùs inflecteret Deus decretum suum permittendo, vt transiretur ab hac vita ad vitam immortalẽ sine morte, quã

vt

vt non mortuus transitum faciat à sensuali vita ad spiritualem ; tam enim pugnat hoc fieri, quàm fieri nequit, vt vna sint vita sensualis spiritualisque, cùm altera alteram necessariò extinguat.

At, si quis mortuus fuerit vitæ sensuali, tam certum etiam est illam victurum vitam spiritualem, vt asserat D. Paulus nos, simul ac similes facti fuerimus morti Christi, illico etiam futuros resurrectioni, aut vitæ illius glorioſæ ; Nam cùm non viuetur amplius ex immoderatis naturæ cupiditatibus, viuetur sanè ex ductu gratiæ & rationis, quod vitæ genus tantò excellentius est vita sensuali, quantò vita glorioſa naturalem, illam corruptioni obnoxiam & mortalem excedit. Vita hæc quodãmodo immortalis est, vti glorioſa, eò quòd asserta sit à morte peccati, cui, ante adeptam hanc vitam spiritualem perfectamque, non rarò succumbebatur ; est vita libera, & exempta seruitute vitæ sensualis, vti vita glorioſa naturalis vitæ necessitatibus; Denique suas æquè dotes habet, atque glorioſa, impertiens intellectui nostro donum claritatis, quo diuinas veritates perspiciamus, & earum vsu exercitioque euadamus spectabiles ; conferens voluntati nostræ donũ agilitatis, quo tam prompti reddimur ad omnes Dei nutus, eosdem sine mora & acceptemus, & illis obsequamur : cohibens dote impassibilitatis appetitum nostrum

concupiscibilem, vt nullus nos sensus carnalium voluptatum afficiat; & irascibilem roborando dote subtilitatis quâ perrumpamus difficultates omnes, sicut omnia peruia sunt corpori glorioso. An non votis omnibus expetenda est hæc vita? Non velles illam viuere? Ne affirma, nisi velis tibi ipsi emori, nam obtineri sine hac morte non potest.

II. PVNCTVM.

Aduersio in vitam præteritam præsentemque.

INter vitia vitæ præteritæ, quæ huic veritati aduersantur, nota triplicem errorem, quibus fortè imbutus es, quique impedimento esse possent, quo minus mores tuos illi conformares.

Primus est, cogitare, verba hîc dari, & fieri non posse, vt quis sibi (vt aiunt) moriatur ad viuendum solo spiritu Christi & gratiæ. Hic error totum oppugnat Euangelium, & nominatim diserta D. Pauli verba, quæ meditatus es, & alios, in hanc rem, locos innumeros.

Secundus est, credere quidem id fieri posse, non tamen existimare, quod id ad te pertineat, sed ad alios, quibus copiosior collata est gratia, quique euocantur ad altius perfectionis fastigium, quò tu non aspiras. Itáne verò?

verò? Dicere audebis, Iesum non esse mortuum, neque exsuscitatum tui causâ, aut te eius mortis & exsuscitationis non esse participem? superare te possunt alij spiritu atque perfectione, sed ne inde efficias, te non posse, neque debere niti ad illam perfectionem, quam Deus à te statui tuo consentaneam requirit.

Tertius est, quòd putes te dubio rei euentu fatigari, & quòd, post omnem nauatam operam, nescias ecquando tibi hæc felicitas obuentura sit, adeoque anceps prope animum despondeas. Sed hæc ignauia est nullo nixa fundamento, nam nefas est de promissis, & fide Dei dubitare, modò tu præstes, quod à te requirit. Faciat ille, quæ sibi soli facienda retinuit, & tu in id incumbe perpetuâ curâ, vt exequaris, quod sine te facturus non est, id est, vt te tantùm mortifices, quantum ad subijciendam gratiæ naturam, meritò requiritur.

III. PVNCTVM.

Propositum in futurum.

NOn est vt statuas plura peragere, quàm facere hactenus decreuisti: sed vt tam constanter tantaque moderatione, & æquabilitate animi facere decernas, vt dici de te queat, quod scriptura de matre Sàmuelis asse-

rit, nempe, post peractas preces & oblata sacrificia vultus illius non fuisse amplius in diuersa mutatos; vultus interior semper sibi constitit, & licet exterior subinde pro corporis habitu & negotiorum forte variari videretur, quia tamen hæc varietas à ratione non à naturæ affectu procedebat, non erat hoc mutari, quandoquidem à rationis præscripto nunquam deflectebatur. Atque hoc tibi nunc statuendum est, ad exprimendam vitam glorioſam & immortalem Christi IESV, vt quidquid extrinsecus acciderit, prosperi vel aduersi, læti vel tristis, mens tamen semper sibi constet, semper fixa sit in ratione, & studio placendi Deo, nullamque rem pluris faciendi, quàm quo apud Deum loco est.



VIGE-

VIGESIMA TERTIA VERITAS.

Sicut portauimus imaginem hominis terreni, ita nobis portandam esse imaginem cælestis; & constantiam in statu vitæ spiritualis esse, quæ cælestis hominis imaginem componat, vti ab inconstantia, terreni imago formabatur.

Assumptus est in cælum, & sedet à dexteris Dei. Marci 16.

Sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cælestis: Hoc autem dico fratres, quia caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt, neque corruptio incorruptelam possidebit. Epist. 1. ad Corinthios c. 15.

MEDITATIO

in vigesimamtertiam veritatem.

I. PVNCTVM.

Dispositio eiusdem.

VTi dictum est, (a) *Christum resurgentem ex mortuis, iam non mori, mortem illi vltra non domi-*

(a) *Rom.* 6.

dominaturam: Ita quoque asseritur, eo semel in cælum assumpto, captaque regni sui possessione, (a) *Thronus eius* futurus *in sæculum sæculi*, sublata omni conditionis & domicilij vicissitudine, quod regnum eius æternum sit, vita immortalis, & status immutabilis. Est id exemplar vitæ spiritualis & perfectæ à nobis ducendæ; sic incumbere nos oportet vitæ spirituali, vt illam reddamus numeris omnibus absolutam; vt autem absoluta sit, requirit stabilitatem, & ex ea quendam quasi viuendi statum componere necesse est; non enim est vlla vitæ perfectio, quæ non eadem sit stabilis constansque, & vt talis sit, oportet illi sic insistere, vt nunquam desistatur, nam quod insistamus certo cuidam vitæ generi, aut insistendi nobis incumbat obligatio, deriuatur vocabulum status, quod nomine ipso denotat constantiam & stabilitatem. Ad rem igitur accommodatè facimus, si ex occasione Mysteriorum vitæ glorioſæ & perpetuæ Iesu Christi, hoc vltimo die meditandorum, nobis proponamus hanc Vigesimamtertiam veritatem, reliquis omnibus idcircò profuturam, quod & suadeat constantem in vitæ genere, quod nunc didicimus, progressum, & nihil modò nobis antiquius esse debeat, quàm vt aduersus propositorum nostrorum inconstantiam & leuitatem, animos nostros obfirmemus.

(a) *Hebr.* 1.

mus. Sic est, aut executioni mandanda sunt aut ea concipere nihil attinebat: insistendum est rebus per exercitia inchoatis, aut operam perdidimus: nam fructus huius spiritualis collectionis, non tam spectat tempus illud, quo peragitur, quam quod inde reliquum est vitæ, totamque æternitatem.

Postquam igitur contemplatus fueris, quomodo Christus Discipulis in montem oliuarum conuocaris, supremum dixerit vale, suamque benedictionem impertierit; postquam videris stipatum beatarum mentium cateruâ, paulatim attolli in cælum, excipi à Deo Patre, & aulâ cælesti vniuersâ, illic occupare thronum gloriæ sibi debitum, illic stabilire sibi regnum in res omnes creatas, tota prorogandum æternitate; denique post redditas gratulationes, & oblata debita officia, obsequiaque tua: aggredere considerationem propositæ veritatis, ita portandam esse imaginem hominis cælestis, quemadmodum portauimus imaginem terreni: & esse constantiam in statu vitæ spiritualis, quę cęlestis hominis imaginem componat, sicut ab inconstantia terreni imago formabatur.

Est hæc D. Pauli assertio, tam consentanea rationi, & tam è re nostra, vt huius cælestis imaginis portandæ desiderium pro stimulo nobis esse debeat, ad ineundum statum

vitæ

vitæ ſpiritualis,& capienda,dum viuemus, in eo perſeuerandi propoſita,decretaque ; quia non aliter portatur hæc imago , quàm ſi quis ſe conſtituat in vita ſpirituali , velut in certo quodam viuendi ſtatu à quo reſilire non ſit amplius integrum. Quid enim eſt portare hanc imaginẽ (a) cæleſtẽ,niſi moribus exprimere ſtatum illum vitæ, quo IESVS fruitur in cælis? Et cùm ſtatus ille ſit permanens , minuſque obnoxius mutationi aut inſtabilitati, quàm cælum deprauationibus elementorum:non poſſumus expreſſiori illum,beataſque mentes , ſimilitudine referre , quàm hac animi conſtantiâ , ſtatuſque firmitate; neque concipi melius poteſt , quomodo vita Chriſti glorioſa & cæleſtis eſſe queat figura & exemplum vitæ noſtræ ſpiritualis & perfectæ , quàm ex eo , quòd vita noſtra in ſuo ſtatu æquè ſibi conſtet , ac IESV vita in ſuo ; cùm aliàs inter vtramque diſſimilitudo intercederet , & noſtra , vtcumque foret ſpiritualis , careret tamen perfectione; quando-

(a) *Quæ ſurſum ſunt, quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera DEI ſedens.* Coloſ. 3.

Si quis incola eſſe cæperit Ciuitatis ſuperna, Incola videlicet conuerſatione & moribus, non exeat , non reflectat veſtigium, non corporis dico, ſed mentis veſtigium, non reuertatur retro. Ambroſ. ep. 11.

Tunc optimus eſt homo, cùm tota vita ſua pergit in incommutabilem vitam, & toto affectu inhæret illi. Aug. 2. doctr. Chr. 22.

quandoquidem perfectum idem sit, quod absolutum; & absolutum esse nihil queat, vbi deest perseuerantia & continuatio vsque ad finem, vel vsque ad æternitatem vitæ fine nullo terminandæ. Constituat igitur sibi oportet quendam statum vitæ spiritualis, & in eo sese quodam veluti pacto obfirmet quisquis in statu perfectionis, & in imitatione vitæ Iesu glorioſæ ac cæleſtis, qui ſtatus immobilis eſt, eſſe deſiderat.

Tribus fieri id modis posset, qui magnam lucem adferent propositæ veritati. Primò, si quis iniret ordinem religiosum, qui eatenus est status perfectionis, quatenus religiosi vi votorum, præscriptarumque constitutionum ad eam assiduè prosequendam obstringuntur, sed ad hoc peculiari vocatione opus est; & cuiusque est animaduertere, quò Deus illum vocet; accedit, quòd modus hic præsenti materia nimis latè pateat.

Secundò, si quis, siue liber, siue iam adscriptus ordini religioso, obligaret se voto peculiari, nihil se acturum, nisi quod perfectius, & cum maiori Dei gloria coniunctum iudicauerit; quo pacto S. Theresia & alij plures sibi peculiarem statum perfectionis constituerunt, quo firmius constantiusque illi insisterent: sed hoc paucorum est, qui inusitato afflatu excitantur, & ita secundus hic modus, in rem, quam molimur, nimis angustus est.

Ter-

Tertius igitur, communis omnibus, & tibi, quacumque conditione sis, æquè expeditus, atque facile est per octo dies exercitijs vacare, est, vt in propositis quæ in hac exercitatione, & præsertim ex veritate matutina concepisti, non viuendi deinceps, nisi vita spirituali & gloriosâ Christi Iesu, tam sis constans firmusque, quasi talem viuendi statum inijsses, hoc est, aliquo sacramento ad vitam in eo perpetuò degendam obstringerere; quo modo religiosum statui religionis, & alios quosdam statui virginitatis aut cælibatus vota nuncupata adstringunt: pari tu ratione, nullo quidem voto concepto, neque promisso aliquo, quod te sub peccato obliget. sed intuitu dumtaxat propositorum à te factorum, ita te existimes ad ea sanctè perpetuoque obseruanda teneri, ac si voto, vitæque instituto fores astrictus: ea solùm exceptione, vt si non obserues, futurus sis extra culpam, nisi aliunde peccatum accedat; sed quamuis interposita peccari pœna non tenearis, velis tamen vltrò ijs subesse, ex reuerentia veritatum à te consideratarum & acceptorum (a) diuinitùs beneficiorum, ad excitandos erga illa affectus & vitam ex eorum præscripto traducendam; adeoque sicut vir honestus æquè credit se teneri

(a) *Donec supereſt halitus in me, & ſpiritus Dei in naribus meis: donec deficiam, non recedam ab innocentia mea. Iuſtificationem meam, quam cœpi tenere, non deſeram.* Iob 27.

neri ad ſtandũ promiſſis, ſolo verbo firmatis atque alijs ſummo iure initis pactionibus: ita tu, poſt fidem verbo datam in propoſitis à te conceptis, non minùs exiſtimes te obligari ad ea ſeruanda, quã ſi iureiurando, ſolenni aſſeueratione, & votis omnibus ea confirmaſſes.

Hac mente aiebat Dauid: (a) *Iurauí & ſtatui cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ*, hoc eſt, ita comparatus ſum, adeoque me teneri arbitror ad cuſtodiendam legem tuam, ac ſi id me facturum conceptis verbis iuraſſem. (b) Eo quoque ſenſu in ſacris litteris iuraſſe ſubinde Deus dicitur, quod æquè ſanctè ſtaturus ſit promiſſis ſuis, ac ſi iuſiurãdum interpoſuiſſet. Quando igitur tam fixa conſtantiaque erunt tua propoſita, ac ſunt ea, quæ iureiurando, quæ initis ex lege pactionibus, quæ votis ſolemnibus confirmantur, tunc enimverò eris in ſtatu vitæ ſpiritualis, quandoquidem futurus ſis in firmitudine & ſtabilitate, quæ viuendi ſtatum conſtituit, aut ſaltem eris in voluntate, & ſerio conſtandi perſiſtendique propoſito, ita vt deinceps nihil de illo remittas, degenereſve in antiquam viuendi conſuetudinem; Nam gradum indies magis magiſque promouere ad ſtatus tui perfectionem, & ex bono euadere meliorem, non eſt inconſtantia: at retroire, & in aſſuetas relabi negligentias, propoſitis nequidquam aduerſantibus, ea demum leuitas animi eſt & incon-

(a) *Pſ.* 118. (b) *Pſ.* 131.

inconstantia, in quam pronus rues, nisi attendis; imò nisi nunc quoque tibi deliberatum sit, attendere, mentemque obfirmare aduersus hasce inconstantias, nondum es in statu vitæ spiritualis, quem occupare te oportet: firmum enim propositum volendi continuare sine intermissione, & progrediendi in cæpto vitæ spiritualis instituto, eius statum & perfectionem constituit; hæc constantia reddit illam similem vitæ Christi glorioſæ & cælesti, tamquam prototypo & exemplari suo; (a) *Christus enim*, teste Paulo, *heri, & hodie, & in sæcula*, qualem semel vitam in cælis inijt, talem constanter tenet tenebitque tota æternitate. Hanc Adami cælestis imaginem portemus, necesse est. alias Iesu Christi imagines proponimus nobis ob oculos, vt eas intueamur, consideremus, veneremurque, sed hæc in animo gestanda est, vt ille in nos intuens, suam suique status cælestis effigiem contempletur.

(a) *Hebr.* 13.

II. PVNCTVM.

Aduersio in vitam præteritam, statumque præsentem.

TOta vita nostra anteacta nihil est aliud, quàm constans inconstantia, & perpetua viuendi commutatio, quantùm à te ipso discrepas

crepas die aliquo Dominico vesperi & mane? quàm alius in hominum congressu, alius in oratione? non quod eadem animi compositio semper adhibenda sit, sed quia singulis quibusque horis & actionibus, suæ sunt virtutes, tam oporteret ea virtute præditum esse, quæ pastum, ludum & recreationes moderatur, quàm illa, quæ regit orationem. Opus variare non est inconstantia, sed desistere à virtute, aut vitæ spiritualis exercitio, quod comitari nos debet, operandique modum præscribere. Naturæ id vitium est, inquies, & conditio huius vitæ (a) nunquam in eodem statu permanentis vti scriptura ipsa testatur, adeóque non videtur seria aliqua constantia à nobis sperari posse.

Atqui hoc grauissimum erratum est, quod in re præsenti commisimus, & pessima animi dispositio, quam adferre aduersus propositam veritatem possemus, si, quod petitur, credimus fieri non posse: quam enim operam, quam contentionem adhibebimus veritati moribus exprimendæ, & stabiliendis nostris propositis, si credimus in ijs non posse perseuerari? verum quidem est non debere nos efferri nimiâ quadam fiduciâ, ob pias motiones, quas experimur, sed neque spes abijcienda est, quantacumque naturæ leuitate iactemur. Dum scriptura asserit hominem nunquam in eodem statu permanere, non id facit ad com-

proban-

(a) Iob 14.

probandam sed ad deplorandam inconstantiam, animandosque nos, vt eidem, pro viribus, occurramus: & tantum abest vt sacræ litteræ nobis hac in re demant animos, vt è contrario maximè continuationem perseuerantiamque commendent. Vix Christus & Apostoli vnum alterumve documentum ad salutem & perfectionem attinens tradiderãt, (a)cum alia reticentes toti erant in illis iterandis inculcandisque & commendando eorum vsu assiduo, constantique. (b) *Non quæruntur*, aiebat sacer Doctor, *in Christianis initia, sed finis*; (c)non spectatur quam præclara proponas animo, sed quam constanter propositorũ executioni insistas, (d) *Firmum fundamentum Dei stat*, inquit Paulus, *habens signaculum hoc*, firmitudinem scilicet, vnde Deus agnoscatur, & nónne Christus asseuerabat, eos, qui solùm cognoscendis, non autem exequendis veritatibus, (e)dant operam similes esse stulto in instabili arena ædificium molienti; & prosequẽs idem hoc argumentum, hominum, inquit, ludibrio exponitur, *quisquis cœpit ædificare, & non potuit consummare* (f) & aptè Augustinus: *Bonum inchoare*, (g) *& malo fine concludere, quid aliud est, quàm monstruosas res conficere? illa enim actio quasi Chimera est, quæ initium habet à ratione, sed finem à sensualitate.* Vides igitur errorem esse, & accersitam

(a) *Eph.* 4. (b) *Act.* 11. *&* 14. (c) *Hier. ep.* 16.
(d) 2. *Tim.* 2. (e) *Matth.* 7. (f) *Luc.* 14.
(g) *Serm.* 8. *ad Fratr. in Eremo.*

sitam tegendæ ignauiæ causam, si tibi persuades, te in cœpto vitæ instituto, factisque propositis assiduum & constantem esse non posse.

Detestare hunc errorem & cum Deus idcircò solum suas tibi voluntates manifestet, vt opere ipso illas exequaris, certus esto, æquè propitium fore in conferendis ad executionem gratijs, quàm vt exequenda cognoscas.

III. PVNCTVM.

Propositum in futurum.

QVandoquidem sola arbitrij nostri libertas nos à propositis nostris abstrahat, proprius huius meditationis & propositæ veritatis erit fructus, vt, si nunc deliberatum sit viuere constanter vitam spiritualem & perfectam, quemadmodum reuera viui debet, velimus nos ad hoc tali pacto obstrictos, quasi tareremus resiliendi, aliterque viuendi libertate. Si periisset nobis libertas aut facultas loquendi, verbi gratiâ, incedendi, vel alium aliquem motum natura concessum exercendi, sanè eo abstineremus, quod facultas deesset: pari modo gerere nos debemus in omnibus motionibus quę nimium à naturę, vel vtcumque à sensuũ delicijs existunt; etsi liberum nobis sit & naturali facultate ijs obsequẽdi polleamus, ab ijs tamen abstinendum est tam

seriò

seriò constanterque, ac si obsequi non possemus, & per quandam naturæ impotentiam, vires patrando malo re ipsa deessent, quibus tamen præditi sumus: nam potentia nostra viresque impediuntur vinculis obligationis, quæ nobis ipsis per proposita iniecimus: adeoque non aliter gerere nos debemus, quàm si libertatem & potentiam omnem amisissemus.

Nunquid ita te gereres, si concepti voti religione tenereris? nunquid diceres, nihil quidquam, hac in re, te posse, tametsi reuera tam possis physicè, ac si nullo te voto obstrinxisses? sed quia non posses licitè, illæsaque conscientiâ, censeres hanc physicam facultatem esse moralem impotentiam, adeoque non magis illa vterere, quàm si mera foret impotentia. Eadem quoque ratione responderes, si ad facinus vrgereris à tua dignitate & religione alienum, vt ad mentiendum, furandum, aliudve eiusmodi, illicò obnuntiares, dicereisque te non posse, etsi planè possis, sed non quà virum honestum & probum decet, atque ita sine vlla veri iniuria, rectè asseuerares te non posse. (a) Hoc modo testabatur. D. Paulus, se nihil posse aduersus veritatem; & Apostoli: *Non possumus, quæ vidimus & audiuimus non loqui*: quasi dixissent, se, cùm aliter loqui non deberent, nec loqui posse, suam potentiam ex debito suo æstimabant, & quemadmodum arbi-

(a) 2. Cor. 13. Act. 4.

arbitrabantur facere se posse, quidquid fieri ab illis debebat, ita quod non debebat, censebant à se fieri non posse. An non, eandem quoque ob causam, prodit Euangelica historia Christum Dominum, qui quidvis poterat, & liberrima erat in res omnes creatas potestate, *non potuisse* tamen inter ciues suos (a) *virtutem vllã facere*? Non quod reuera non posset, sed quia ex iustitiæ & prouidentiæ suæ decretis iudicabat fieri non debere, ita se gessit, ac si reipsa faciendi potestate caruisset. Hoc igitur modo vtere libertate tua non vt abutaris, sed potiùs vt liber volensque exequare, quæ liberè decreuisti. (b) Et ne libertas hæc aliquando fiat sui iuris, seque emancipet agendo suis officijs contraria, pro sua, quâ viget, facultate, in necessitatem conuertenda est, itaque deuincenda est propositorum nostrorum vi & firmitudine, vt non videatur ampliùs esse libera, & compos aliud agendi, quàm quod agere statuimus decreuimusque. Quando in quibusdam casibus nobis incumbit necessitas agendi aut patiendi, solemne verbum est, ex necessitate virtutem fieri oportere, vt quod necessarium erat, fiat liberum, liberè acceptando, quod declinari non potest: ita quando aliàs, vbi ex officio

(a) *Marci 6.*

(b) *V. Auguſt. l. 2. de lib. arbit. c. 1. Noli libertate abuti, ſed vtere ad non peccandum. erit voluntas libera, ſi fuerit pia.*

ad agendum aut patiendum obligamur, sumus liberi, faciamus ex libertate virtutem, vt quod liberum erat, iam sit necessarium, tam certò præstantes officium nostrum, ac si eò necessitate adigeremur. Atque hoc intelligendum est; cùm ratione executionis omnium, quæ nobis agenda proposuimus, tum omissionis eorum, quibus decreuimus abstinere, tum denique pro constanti vitæ spiritualis vsu, assiduoque exercitio. (a) *Aperui os meum ad Dominum*, aiebat quidem è Iudæorum ducibus, *& aliud facere non potero*. Et omni memoriâ dignissimus Ioseph: *Quomodo possum hoc malum facere*, inquit, *& peccare in Deum meum*, nunc, eodem pacto loquere, & viue.

(a) *Iephte Iud.* 11.

COMPENDIVM MEDITATIONIS in vigesimam tertiam Veritatem.

I. PVNCTVM.

Declaratio eiusdem.

COnsiderans, quomodo Christus in cælum conscenderit, quomodo illic sit exceptus, & qua ratione se stabiliuerit in statu gloriæ tam firmo constantique vt nullam sit aliquando passurus mutabilitatem: immorare potissimùm huic constantiæ & firmitudini status

ſtatus, quæ in cælis Ieſus occupat, eſt enim ea fundamentum cui propoſita veritas & decreta vitæ deinceps ducendæ, innituntur; ideoque iterum agnoſce, nihil magis eſſe proprium ſtatui Chriſti glorioſo, quàm ſic eſſe fixum immutabilemque vt ne loco quidem, vbi ſedet ad dexteram patris, moueatur, vt alio, cùm ſic viſum eſt, concedat; & licet vna pluribus in locis eſſe poſsit, throno tamen ſuo manet affixus: neque cæli ipſi tam ſunt expertes corruptionis à natura, neque in ſuis motibus tam conſtantes, quàm ſtatus vitæ ipſius cæleſtis glorioſæ & æternæ.

Ad illum igitur moribus exprimendum, & ad portandam illius imaginem cæleſtem, vt Apoſtolus loquitur, pro viribus formare nobis debemus ſtatum quendam vitæ ſpiritualis, qui tam firmus ſit & permanens, vt ab illo reſilire quodammodo nequeamus: nam aliter non portabimus eius imaginem & ſimilitudinem, niſi beneficio huius firmitatis & conſtantiæ, cum leuitas & inconſtantia nos potiùs efficiat ſimiles Adamo terreſtri, qui nunquam in eodem ſtatu permanet. His ita perpenſis, hoc vnum ſupereſt, vt videamus, quid ſit ſeſe in ſtatu vitæ ſpiritualis ſtabilire.

Forſan eſt, vt ſtatus religioſæ vitæ ineatur? at non iſtud ſolum ſpectatur hic. Fortitan, vt quis ita ſe Deo conſecret, vt aſtringat etiam ſe voto nihil agendi, non ad maiorem ipſius gloriam, quod feciſſe nonnullos ſanctos

legimus? sed neque id fortassis tibi arrideat. Hoc igitur est, vt post concepta viuendi non amplius ex naturæ corruptæ legibus, sed ex spiritus & gratiæ præscripto, proposita, tam in ijs firmus sis constansque, ac si fidem tuam voto, vel aliqua stricti iuris pactione adstrinxisses: ita vt hæc propositi tui firmitas constituat statum quendam vitæ spiritualis, in quo assiduè perseuerans, quantum per diuinam gratiam licebit, referes præclaram illam imaginem cælestem Filij Dei ad Patris sui dexteram, considentis. Satis est id animo statuisse, si enim vir cordatus es & bonæ fidei, illi stabis æquè, ac si sacramento firmasses, aut omni iure, certoque inito contractu, eò obligareris.

Numquid ita vis? nunquid ea fuit tua mens, quando toties hoc proposuisti? serióne faciebas an non? Nónne esset Deo illudere, actis illi & non seruatis sponsionibus? Verùm vt optimâ nunc voluntate sis, quia tamen tanta tibi inest à natura leuitas & inconstantia, vt nisi aduigiles, facilè abiturus sis ab instituto viuendi proposito, nisi arctiore quodam vinculo, quàm feceris hactenus, te obstringas; hinc suadetur, vt quemadmodum ij, qui statum religionis, vel matrimonij ingrediuntur, perpetuum illum fore censent, & à quo resilire non sit amplius integrum: pari tu ratione aggrediaris exercitium vitæ spiritualis veluti statum quendam, qui te ad

tam

tam assiduum illius vsum obliget, vt existimes, tibi non licere, viuere aliter; vti reuera non licet, cùm aliter viuendo, malè esses victurus. O felicem necessitatem, quæ ad bene viuendum compellit!

II. PVNCTVM.

Aduersio in vitam præteritam, præsentemque.

OBseruatis hîc inconstantijs & leuitatibus vitæ tuæ anteactæ, semper variæ, semperque ex bono in malum, & ex malo in peius ruentis: agnosce hanc instabilitatem prouenire posse ex duabus causis omninò contrarijs, oppositisque.

Altera est, nimia fiducia, & præsumptio, quasi ad tollendum metum omnem, & diffidentiam suiipsius, satis esset, aliquando propositum vitæ melius ducendæ concepisse.

Altera est animi abiectio & nimia timiditas, quasi tibi possibile non esset, vt proposita exequereris, aut constanter executioni insisteres, præsertim cum sacræ litteræ testentur, hominem nunquam in eodem statu permanere, atque ita spes omnis abijcitur, repetiturque antiqua viuendi licentia. O quam inanes hi metus pernicioli sunt! & quàm sacri codicis sensus est alius à tuo! nihil enim

magis deplorat, quàm miseram hanc inconstantis animi licentiam, & firmitatem perseuerantiamque sic commendat, vt asserat in eo verticardinem salutis nostræ, vt perseueretur. Dementia est incipere & non consummare. Diuini operis signum est, operis vsque ad finem continuatio. Monstrum est & quoddam Chimeræ genus, bene inchoare, & malo fine concludere; monstrosior apparet malus finis, qui bono principio opponitur; aut ne incipe, aut finem operi impone: sicut enim sine principio finis non constat, ita sine fine malè collocatur principium. O Deus, qui Principium vniuersorum es, & finis, sic esto finis meorum propositorum, quemadmodum eorundem es principium.

III. PVNCTVM.

Propositum in futurum.

EST, tam parum vti sua libertate ad malè agendum, ac si deesset libertas, fierique non posset, quod non licet: est, exempli causâ, cohibere linguam, oculos, aliasque corporis & animi motiones in nostra sitas potestate, vti iuxta statum vitæ spiritualis cohibendæ, moderandæque sunt, quasi vsu loquendi, videndi, aliorumque sensuum & motuum careremus. Nam etsi tibi libertas physica sit, & facultas, statuere nihilominùs debes, eadem non

non abuti, sed potiùs illam ad virtutes, meritaque cumulanda, bene collocare.

An non ita vtereris, si obstrinxisses te voto, aut aliqua grauioris criminis, vnde horreret animus, sese offerret occasio? nónne diceres te id committere non posse, tametsi reuera & iuxta facultatem physicam posses? sed quia integra conscientia id non potes, hanc facultatem, & quidem optimè, censes impotentiam. Hoc eodem pacto te gere in omnibus tuis propositis, ad quamcumque tentationem & prauos naturæ impulsus, liberè dic, te non posse, quod sponsionem Deo dederis, quam sine impietate & perfidiâ retractare non liceat. Ita Apostoli, cæteriq́ue sancti loquebantur, cùm dicerent non posse se quidquam alienum agere ab ijs, quæ Deus volebat, præscripseratq́ue. Cur idem tu non dicas? an non eadem illis, contra agendi libertas, quæ tibi, si abuti sua libertate voluissent? aut si abuti illi non debebant, credere nec te debere, cui eædem cognitæ veritates, & pares bene vtendi obligationes, & fortassis etiam grauiores, quandoquidem plus gratiæ tibi collatum sit, quàm multis, qui sic locuti sunt, & tam constanter suis exequendis propositis institere.

Anime mi, caue igitur ne dicas eos fuisse homines sanctimoniâ insignes, à qua tu procul absis, nam illi sanctimoniam alia lege non sunt adepti, quàm ita loquendo, viuendo-

que constanter in statu vitæ suæ spiritualis: & tu si eorum constantiam imitere, facilè virtutem quoque, & beatitatem æternùm cum ipsis consequeris. Sæpe audiuimus ex necessitate fieri virtutem oportere, discamus modò, qua ratione fieri debeat ex virtute necessitas: hoc est, quauis in occasione tam constanter, & certò exercendam esse virtutem, ac si nulla nobis inesset libertas, sed fatali quadam necessitate eò adigeremur,

VIGESIMA QVARTA VERITAS.

Amorem ſpiritualem nos tantum, tamque perfectè Deo vnire quantum nos à reliquis rebus omnibus abſtrahit, nihilque in nobis tolerat, quod non prorſus ſpirituale ſit.

Et nunc Iſrael, quid Dominus Deus tuus petit à te, niſi vt timeas illum, & ambules in vijs eius ac diligas eum, ac ſeruias Domino Deo tuo, in toto corde tuo, & in tota anima tua? Deut. cap. 10.

Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Rom. 5.

Finis præcepti eſt charitas de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta. 1. Timot. 1.

MEDITATIO
in hanc Vigeſimam quartam veritatem.

I. PVNCTVM.
Expoſitio eiuſdem.

SI optati debet, vt tales ab exercitijs recedamus, quales cælum ingredi oportet, certum

tum est, animam nunquam eò ingressuram quin semouerit quidquid terreni, sensualis, & humani cõtraxerat, & quin in affectibus æquè suis; ac substantia euaserit spiritualis. Tales igitur vt simus, hac postrema meditatione, quæ exercitijs finem imponit, connitendum est; & hoc consilio proponitur. Vigesima quarta veritas de amore spirituali & Spiritus sancti descensu, qui teste Augustino, (a) ea de causa venit in terram, vt terrã in cælũ quoddã commutaret; vt penitus nos redderet spirituales, cælestes & diuinos; quique idcircò linguarum ignearum forma descendit, vt primùm consumeret in nobis, quidquid reliquũ erat terreni & animalis, vti ab igne paleæ stipulæque absumuntur; & deinde vt nobis conferret facultatem loquendi exhortandique alios ad conuersionem humanorum suorum affectuum in spirituales. Est verò hic etiam maximè proprius & nobilissimus amoris spiritualis effectus, vt quemadmodum memorat expendenda modò veritas tam perfectè nos vniat Deo, quàm nos seiungit à reliquis omnibus neque quidquam non spirituale, in homine patiatur; adeoque, si dispositi sumus ad hunc Spiritum sanctum, & diuinum illum amorem recipiendos: vti sui copiam modò faciunt, neque vllum obijcimus

(a) *Flatus ille à carnali palea corda purgabat: Ignis lignum veteris concupiscentiæ consumebat.* Augustin.

cimus impedimentum, quominùs ſua in nobis operentur, euademus omninò ſpirituales, paratiſque ad finem noſtrum vltimum conſequendum, quandoquidem ſolæ naturæ noſtræ propenſiones nos ab eo deterquebant; neque aliud agitabimus animo, quam *vnum* illud *neceſſarium*, quod eſt, vt nihil ſectemur, niſi ſolum Deum, niſi ipſius voluntatem, & omnibus ipſius conſilijs decretiſque pareamus.

Hæc eſt inſignis illa morum (a) conuerſio ſpectata in Apoſtolis, primiſque Chriſtianis ſimul ac Spiritum ſanctum acceperant. Immorare pauliſper huic myſterio; & conſidera quales ante fuerint, & quales deinde euaſerint imbuti virtute illâ cælitus conceſſâ, & in vitæ ſpiritualis ſtatu collocati. Nõ erant ſanè amplius ij homines, qui neſcio quod temporaneum regnum à Magiſtro præſtolabantur, quiſque primas in eo dignitatis ambiebant, qui repulſam aliquam, aliquam iniuriam, iniquiſſimo ferebant animo, & ad ſuppliciorum aſpectum ſe dabant in fugam: ſed toti iam erant in proſequenda, commendandaque ſalute æterna, contemptu rerum temporalium; abiectione & vilipenſione ſui ipſorum: id iam agebant, vt benefacerent omnibus vt in vicem præſtitorum officiorum, iniurias & obtrectatio-

(a) *Vide Greg. 17. Moral. c. 19.*

nes expectarent, vt in pœnis & supplicijs lætissimo essent animo, vt nullis deinceps humanis affectibus & studijs agitarentur nihil amarent, nihil metuerent nihil desiderarent, de nulla re gauderẽt deinceps, nisi secundum Deum & in spiritu; denique vt non viuerent nisi vitam penitus spiritualem, & quæ naturæ modum excederet. Hæc erat vita Apostolorum, primorumque fidelium, erat vita spiritus Iesu; quâ animabantur, erat lex gratiæ & amoris, quam illorũ cordibus inscripserat, erat effectus huius gratiæ, & amoris illius diuini, eos ita possidere, suique iuris feciſſe, vt prorsus efficeret spirituales sublato omni eo, quod sensum, terram, humanumque aliquid, & à spiritu alienum sapiebat. Huc idem Spiritus sanctus modò nos inuitat, eam gratiam offert, hunc effectum statuit operari in mentibus nostris, si obicem non ponimus. Eiusdem denique nos commonefacit proposita veritas, quam propterea maiore adhuc otio expendere oportet, vt persuasam probatamque habeamus.

Dicitur ergo, quod si velimus patere cor no-

(a) *Agis & ageris, & tunc benè agis, si à bono agaris. Aguntur vt agant, non vt ipsi nihil agant; & ad hoc eis ostenditur, quid agere debeant, vt quando id agunt, sicut agendum est, id est, cum dilectione, & delectatione iustitiæ, suauitatem, quam dedit Dominus, vt terra eorum daret fructum suum, accepisse se gaudeant.* Aug. de verbis Apost. & de corrept. & grat.

noſtrum amori diuino, permittendum illi eſt, vt pro deſtinato ſuo effectu nos purget expediatque ab omni affectu, & quauis motione naturali, vel tantillum immoderata, vt deinceps neque moueamur, neque agamus niſi ex ſpirituali ſtimulo gratiæ, iam non ſolùm appetitus noſtri; ſed etiam rationis locum occupantis, quò cum illa nos, actioneſque noſtras omnes, ad Dei arbitrium, penitus moderetur. Hic effectus eſt amoris ſpiritualis tam illi peculiaris, quàm igni proprium eſt calefacere, atque in ſeſe conuertere, quicquid accendit, aut ſanè extingui. Ita enimuerò amor ignis eſt conſumens & deuorans quidquid terreſtre & humanum eſt, non ad deſtructionem & ruinam, ſed ad expurgationem, vti auro euenit, & vt ſolum id remaneat, quod purum & merè ſpirituale eſt, aut ſi quis obſtat huic effectui, iam ille extinguitur, iam ſuffocatur, iam perfectus amor eſſe deſinit: Hinc Paulus ſuos hortabatur, (a) *ſpiritum nolite extinguere*. Huic autem diuino amori, ſolus amor alius aduerſatur: duos amores duoſque dominos ſibi aduerſantes cor vnum non capit, hic aut ille loco cedat, neceſſe eſt. Niſi cedit amor ſenſualis, imò niſi naturalis etiam amor purgari & defecari ſe ſinat, ſpirituali ſe ſubmittendo, demigrabit amor ſpiritualis neque magis cum altero conſiſtet, quàm cum Arca, Dagon, quàm aqua cum igne, (b) quàm

(a) 1. *Theſſal.* 5 (b) 2. *Cor.* 6.

quàm lux cum tenebris, quàm Christus cum Belial. Præterquam enim quod effecta amoris opposita sint huius vtriusque, nullaque ratione queant consociari, diuinus amor tam purus est ac præstans vt alterius commerciũ ferre non possit, necessariumque sit vel vt ille loco cedat, vel ab altero illi cedatur. Atque illud significatum volebat Christus Dominus, quando aiebat: (a) *Neminem immittere commissuram panni rudis seu integri in vestimentum vetus; neque mittere vinum nouum in vtres veteres, alioquin rumpi vtres & vinum effundi: sed vinum nouum in vtres nouos mittere vt ambo conseruentur.* Quasi dixisset, veteres prauas consuetudines in naturæ procliuitatibus fundatas cum nouis affectibus à diuino sancti Spiritus amore excitatis, malè conuenire.

An non etiam, hanc ob causam, amoris præceptum ijs constat verbis, quæ tam arctè totum cor ad Deum amore prosequendum obligant, vt nisi in primum hoc & maximum mandatum esse refractarij velimus, integrum nobis non sit, aliquam eius partem commodare rei alteri, præter Deum, amandæ, aut præter modum ab illo præscriptum? Qui enim *Totum* dicit, nihil prætermittit. Deus autem tam manifestè indicauit, se totum nostrum amorem velle, vt in ferendo amoris præcepto, sexies iterauerit hanc

(a) *Matth.* 9.

hanc vocem, *totum*, quasi innuens, non amari illum, si non ex *toto* diligeretur. Audi verba præcepti varijs scripturæ locis repetita: (a) *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua ex tota mente tua*, (b) *ex totis viribus tuis, ex tota virtute tua, & ex* (c) *tota fortitudine tua*. Dubitari post hoc poterit, quin totum illi debeamus? si verò debemus, (d) an non erit rapina & sacrilegium, partem aliquam demere de toto, quam in rem creatam insumamus? Porrò quia sex rerum genera sunt, quæ plerumque & maximè nos ab hoc perfecto amore auocant, nimirum opes, voluptates, honores, homines, valetudo, & vita ideo fortasse toties incultatum nobis voluit, vt illi totum cor, & tota reliqua, quæ seruire possunt amori, consecraremus, ne quidpiam supereſſet, quod alicui ex illis sex rebus in præiudicium totius Deo debiti, indulgeretur.

Quod si lubeat expendere, quo iure Deus & argumento exigat omnes cordis nostri affectus, comperies eosdem illi tot titulis, tantisq; rationibus esse debitos, vt sine iniuria illi dene-

(a) *Matth.* 22. *Luc.* 10.
(b) *Marci* 12.
(c) *Deuter.* 6.
(d) *Quod dicit in toto, nullam in res alias diuisionem admittit; quantum enim dilectionis in hæc inferiora insumpseris, tantam necesse est, vt demas de toto.* Basilius.

denegari non possint: (a) Cùm enim creator & conditor tuus sit, totus illius es, & si exigit à te totum cor tuum, & amorem, petit quod suum est, & cuius penes te non est libera disponendi facultas. Reliquit tibi quidem libertatem eum amandi, aut non amandi; offerendi illi integrè; aut ex parte cor tuum sed id eo fecit instituto, vt eum liber volensque ames, non autem, vt non amando, aut aliam amando rem creatã, hac libertate abutereris.

Præterea, cùm Dominus tuus sit, vti omnem reuerentiam & omne debes obsequium, non potes hæc illi debita officia præstare, quin dones illi integrè cor tuum, hæ enim partes tuæ te obligant ad totum cor illi consecrandum, aut aliàs illi qua dignus est, seruitutem non præstas Si dicas, fieri non posse vt illi, pro merito, seruiatur: respondetur, te seruiturum illi saltem pro viribus. At parum hoc est, inquies: Verùm, quanto minus est, solùm parte illius totius illi deseruire? Et profectò res stupore digniſſima est tantæ Deum Majestatis acceptum habere tantillum cor, illique acquiescere, modò integrum sit: sed longè magis stupendum est, quod homo exorari tantoperè debeat, vt rem tantillam tanto Domino integrè consignet.

Accedit, quòd cùm Deus sit vltimus tuus finis,

(a) *Totum quod es, illi debes, à quo totum habes, illi præcipuè Dño, qui & te fecit, & beneficit tibi; qui tibi ministrat syderũ cursus.* Ber, de quadr. debito.

finis,(a) tua Beatitudo, & summum tuum bonum præter ius, quod hisce titulis habet in omnes tuos affectus & intentiones, etiam te, tuumque bonum spectat, dum præcipit vt illum totis viribus diligas: nam aliàs beatus esse non potes neque alibi reperies bonum istud, quod in illo tibi offertur. Illi, tibique maximè iniurius es, si partem aliquam cordis tui seponis voluptati, vel commodis, vel cuiuis alteri rei creatæ impendendam; perinde facis, ac si palam profitereris eum te beare, atque ex integro satisfacere tibi non posse: nam si potest, quid alibi consectaris? aut si sectaris aliquid alibi, nónne clarè demonstras, tibi haberi illum, eius quæsiti boni expertem? Et nónne hoc est iniuriosè illius honori & verbo, toties se omne bonum nostrum esse contestanti obtrectare? asserere auderes, aliquid mereri nomen boni, quod non in ipso existat? aut potiùs, an non censere debes, qualecumque sit bonum, quo is careat, bonum non esse, nisi falsum fucatumque specie boni, & re ipsa esse malum? si per impossi-

(a) *Vide Augustin. in Psalm.* 102. *Quære bonum tuum, ô Anima ..... summum bonum, hoc est bonum tuum: quid ergo deest, cui summum bonum, bonum est.*

Pecori quid bonum est, nisi implere ventrem, carere indigentiâ, dormire, gestire, vivere, sanum esse? tale tu bonum quæris? Coheres Christi quid gaudes, quia socius est pecorum? Idem. Ibid.

impossibile, daretur bonum aliud, quod æquè explere te posset, atque ille, eius amandi tibi copiam faceret, pro suo erga tua commoda affectu, indulgentiaque: sed quia fieri id nequit, videt cedere in damnum tuum, si aliud amando, illum non ames, adeoque amor, quo te prosequitur, efficit, vt sic à te velit amari.

Atque hæc consideratio non minores, quàm hactenus dicta, vim habet: Cùm Deus te amet quemadmodum reuera amat, debes illi totum cor tuum; sola enim amoris remuneratio est redhibitus amor, & pro ratione illius, remunerationem quoque reciproci amoris crescere necesse est: at quæ ratio tuum inter, & Dei (a) amorem intercedet; nisi totum tuum amorem illi largiaris? Cæteræ, quibus tuus amor à diuino discrepat, veniam merentur, cùm à tua conditione, quam efficaciorem nobiliorémque reddere non potes, desumantur, sed illa quæ inde accidunt, quod illum totis viribus non complectaris, grauiora sunt & probrosiora quàm vt tolerari queant.

Ne siste hîc cursum huius considerationis vlterius illum promoue: & ingredere in sinum tantæ bonitatis te amando, amorem

(a) *Nulla maior est ad amorem inuitatio, quam præuenire amantem: & nimis durus est animus, qui si dilectionem nesciebat impendere, nolit rependere.* August. de Catech. rud.

rem docentis; disce ex illius erga te amore, quid sit Deum amare. Vide, quomodo comprobet suum in te amorem, tecum communicando se modis prorsus omnibus, vt te invitet ad te vicissim donandum communicandumque, quâ par est, ratione. Nulla creatura, est, quæ non sit quædam communicatio bonitatis & amoris illius erga te, ille enim est qui te per lucem illuminat, qui te per aerem refocillat, per terram sustentat, nutrit cibis, quos tantâ tibi curâ suppeditat, ac si nullus præter te, hunc orbem incoleret, ô quales communicationes? sed illæ, quas ope Filij sui contulit (a) quasque Filius ipse suâ vitâ, morte, sacramento, suo Spiritu sancto, & tot generibus gratiarum, quas offerre non desinit, prosecutus est, an non sunt luculentiora etiam sui amoris argumenta? nónne totidem sunt lectiones, ex quibus discas, si modò amare libet, amari illum tota mente, totoque corde oportere, cùm amare nihil sit aliud, quàm se tradere, seque cum amato communicare, & ille se tradiderit, tradatque in dies tam cumulatè, vt ad dandum se longè sit paratior, quàm nos ad accipiendũ, & benè collocandas gratias, quas liberalissimè confert.

Sanè quando spiritum Sanctum largitus est, suum amorem largitus est; est enim is amor quo Pater & Filius sediligunt, ita vt nihil amplius illi donandum superfit, nisi

vt

(a) *Vide Bernardum de quadr. debito.*

vt continuet hoc donum, vti facit, & vti nunc illud tibi offert modò velis eo pacto acceptare, vt illi in vicem, totum amorem largiaris; aut vt clarè strictimque denunties, nolle te illum amare; quidquid enim simulaueris, dixerisque alio pacto nullus amor est; amor corde, & effectis constat, non verbis & si cor obtinet (a) *fortis est vt mors*, vt illud rebus omnibus exuat (quo modo mors separat animam à corpore, & morientem ab omnibus, quæ vivens possederat) aut amor in corde non est. O Deus quî ferre possim, mihi exprobrari, quòd te non amem? quidni tu ipse accipis cor meum, me non rogato. Fili mi, nullus in terris est amor qui idem sit voluntarius: voluntas enim amandi & se penitus tradendi amato, amorem efficit: adeoq; tametsi nihil donandum supereset, nisi sola hæc voluntas, satis donatur modò quod semel donatum est, non retractetur.

(a) *Cant.* 8.

II. PVNCTVM.

Aduersio ad vitam præteritam, & statum præsentem.

QVamquam notari possent peculiaria quædam vitia aduersus hanc veritatem, qualia forent, non agere ex stimulo amoris, nimio adhuc affectu inhærere rebus crearis, illi-

illiberalem se erga Deum præstare, non satis generosè aggredi propensiones suas, in ijs occasionibus, quibus par esset suum testificari amorem,& alia eiusmodi : quia tamen illa vitia nimis generica sunt, & aliàs iam sæpius obseruata deploratáque; aduerte hîc pro vitio peculiari, spiritualem amorem directiùs oppugnante,quod in rebus omnibus, siue tua, (a) sive aliorum gratia, agendis, continuò permittas naturæ, vt tua priuata commoda spectet potiùs, quàm Dei vel proximi;& pro modulo speratorum tuorum commodorum, insistas operi aut declines; gaudeas,vel contristeris, loqueris, vel sileas. denique affectus animi ductum sequuntur huius notitiæ & opinionis mente conceptæ, quæ illicò abripit appetitum,eumque detinet varijs persuasionibus,amorem proprium, in damnum amoris spiritualis,nutrientibus.

Hic enim verò naturalis nostri amor est, qui propriè effectibus amoris spiritualis opponitur, nam de effectibus & actibus amoris hîc controversia est, non de habitu. Quia autem amor ille nostri tam est naturæ congenitus, vt ita penitus extipari non possit, quin aliquid reliqui remaneat, aduertendum est,vitium quod hîc committitur, nõ tam esse quod amorem illum habeamus, quàm quòd illum

(a) *In multis caligat oculus puræ intentionis, respicitur enim citò in aliquod delectabile, quod occurrit,* &c. 3. de Imit. Ch. c. 33.

illum habeamus, quàm quod illum suis actibus effectisque foueamus ac nutriamus: nutritur autem ac fouetur cogitationibus, quæ occasione rerum sensibus obiectarum subeunt animum: nam à cogitationibus excitantur affectus & motus animi, cupiditates & propensiones in bonum sensibile, obnixus & auersiones à malo contrario, ex quibus fit vt intentiones & desideria formentur, quæ nos impellunt ad capessenda prorsus aliter agendi decreta, quàm agendum esse, in ratione, cognoueramus. Atque hoc caput est mali, quod consuescamus vitam exigere ad normam amoris proprij, & priùs non attendamus ad spiritualem, quàm alter suas partes peregerit votorumque suorum fuerit compos, & quàm viderimus nos motionibus sensualibus, aut nimium naturalibus implicatos: Tum enim oculos aperit ratio aduertitque insidias amoris proprij, sed sæpe serius est, & sæpe, ne animaduertit quidem, nisi tenuiter, cùm vesperi conscientiæ latebras excutit. Cùm enim hic amor tam secundùm naturam sit, vt sine grauiore tumultu & perturbatione in mentem se insinuet, priùs intendit prosecutusque est omnia sua emolumenta, quàm intendisse, aut damnum aliquod inesse illi prosecutioni, ratio deprehendat. Prorsus, vt quando Eva pomum vetitum Adamo porrexit, inhæsit Adamus contemplando fru-

fructui vxoriq́ue audiendæ, quæ ſuadebat eius eſum, & ita ceſſit eius perſuaſionibus, vt crimen admitteret, tum demum ſe colligens calamitatem ſuam, ſed ſeriùs, agnouit. Eſt iſta (a) *faſcinatio*, quæ teſte Sapiente, ſic obſcurat rationem, vt partes officij ſui non perſpiciat, priuſq́ue egerit malè, quàm de malè agendo deliberet; non tamen deſinit malè actum eſſe, cùm deliberaſſe oportuiſſet, & non alium ob finem nobis ratio & gratiæ conceſſæ ſint.

Agnoſce igitur vitium, & miſerias inde conſecutas & quæ, niſi prouides, conſequi adhuc poſſent aut propagari. Quò magis agnoſces te huic obnoxium, eò faciliùs occurrere illi poteris, tantoq́ue eris miſerior, quantò minus hanc in te miſeriam animaduertes; eſſe enim illa non deſinet, neque tamen adhibebis remedium. Mi Deus, inficias ire non poſſum, quin proprium habeam amorem, ſed ita comparatus videor, vt eodem carere vellẽ, vt illum nõ amẽ, nolimq́; quidquã amare præter te Fili, ſatis infamis eſt amor proprius, vt non ametur, ſed nomen commutat, ſæpe ſe appellat nomine neceſſitatis, honeſtatis, decori, & racionis, vt ſub pulchra, &, vt videtur, innocenti horum vocabulorum ſpecie, ſe faciliùs inſinuet, tutiuſq́ue graſſetur.

(a) *Sap.* 4.

III. PVN-

III. PVNCTVM.

Propositum in futurum.

MAlo remedium hîc foret, si anima tua Deo plena, sanctoque illius amore, amor hic anteuerteret alium, & in quibusuis occasionem tam arctè cor tuum affigeret diuinæ quærendæ gloriæ, tuæque perfectioni ad eius honorem augendæ, vt nullus amori proprio locus, aut pars relinqueretur. Ea sententia est D. Bernardi, quod sicut Spiritu sancto descendente in Apostolos, impleta est tota domus: ita idē adueniens in nos, impleat totam domum animæ nostræ; illustrando intellectum cæleſtibus documentis (a) inflammando voluntatem, ad diuinam promptissimè exequendam, & in memoria conseruando peculiaria illa quibus sēper agere ex præscripto notarum veritatum statuimus, decreta Domo sic Dei spiritu impleta, nullus erit locus amori proprio, qui non nocet, nisi diuinum præueniat, adeoque si præueniatur, nullum noxæ periculum est.

Nihilominùs, quia obtineri vix potest, vt non amor ille naturalis semper aliquid moliatur: aptissimum remedium, & postremum decretum quo obfirmari debet animus, est ita attendere primis cordis motionibus, quæ à repræ-

(a) *Bern. ser. 1. in Pentecost.*

à repræsentatione boni vel mali alicuius subitò exsurgunt, vt illicò sistantur, ad alia mentẽ auertẽdo, (a) nulla prorsus habita eius vel boni vel mali ratione, nisi vt flocci fiat, & quasi nullus nos sensus amoris proprij affeciſſet, immobiliter inhæreamus *vni* illi *necessario*, quod est, Deo se vnire, ex illius iudicio res æstimare, & illas diligere, eoque loco habere, quo illas ipse haberi vult, aut permittit: secundùm quæ, cætera omnia vana stultaque sunt in homine. Nam, numquid verum est res omnes tales esse, quales Deus illas cognoscit, æstimat & vult, & extra illius iudicium & voluntatem, nihil esse, nisi mendacium & illusionem? illic igitur figendus est animus, & cætera ludibrio habenda.

Atque ita frænatur appetitus, ita sistitur impetus amoris proprij, velut inediâ afflicti, cum suarum pabulo cogitationum destituantur, mente, ad primos illius motus, statim alibi se occupante; & ita paulatim imminuitur, vires amittit & robur, & tranquilla animæ possessione fruitur amor spiritualis. nam sicut verum est, quod asserit Augustinus, (b) *eum*

T *minus*

(a) *Stat super hæc mutabilia sapiens & bene doctus in spiritu, non attendens quid in se sentiat, vel qua parte flet ventus instabilitatis* &c. 3. Imit. Chr. c. 33. (b) *Nutrimentum charitatis est, imminutio cupiditatis, perfecta charitas, nulla cupiditas, quisquis igitur eum nutrire vult instet minuendis cupiditatibus.* Aug. l. 83. qq. q. 36.

minus Deum amare, qui amore naturali aliquid cum illo amat, quod non amat propter illum: ita certum quoque est, ibi maiorem & intensiorem esse Dei amorem, vbi minus fuerit amoris proprij: atque ita sæpe numero magis ille Deum amat, qui motum aliquem proprij amoris compescit, quàm qui reipsa eliciens actum amoris diuini, interim tamen aliquo affectu rei creatæ adhæresceret, aut paratus non esset, cohibere motum amoris proprij, quem deprehenderet, aut nollet aduigilare, vt is deprehenderetur: præsertim cùm illa proprij amoris cohibitio fiat intuitu ipsius Dei, vt quis se Deo, ipsius iudicio & voluntati viniat potiùs, quàm vt ineptis illis naturæ motionibus distineatur; Itaquè non solùm impedit actum amoris proprij, quod, profectò leue non est, verùm etiam producit illum amoris diuini, qui adhæsio dicitur, quo coniungimur Deo, quique actus est excellentissimus, meritique tanto amplioris, quantò sæpius illum exercemus, vti fieri necesse est in oppugnatione amoris proprij, hostis scilicet inquietissimi, & noua bella semper molientis.

Quod ad me attinet, (a) *in Domino meo gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo*: æstiment alij bona & mala, vt lubitum est, de ijs gaudeant, tristenturve, pro ratione iudicij sui, quo illa æstimant, ego illa eo loco habeo, quo Deus.

Quis

(a) *Habac. 3.*

Quis similis Altissimo! O Domine, quis similis tibi, vt te derelicto, vt vilipenso iudicio tuo & voluntate tua sequar opiniones & commenta, quæ mihi natura corrupta effingit? Etsi cælum omne mihi pateret, nisi Deum meum istic complecti licet, quid mihi est in cælo? & quid terra, quid orbis vniuersus continet absque Deo, (a) quod velim? Deus cordis mei est, in illo meus honor, mea voluptas, meæ opes, ille pars mea est, quam specto in bonis omnibus ad vitam & æternitatem profuturis. Habes verbis expressum, quod reipsa efficit amor adhæsionis: prosunt verba ad effectum producendum, sed si verba carerent effectu, malim effectum, quàm verba.

Hyperbole fuit, & quidam loquendi modus, testando potius affectui, quàm rei præstandæ, accommodatus, quando Pharao Rex dixit Iosepho (b) *absque tuo imperio, non mouebit quisquam manum aut pedem, in tota terra Aegypti.* Solius Iesu Christi est, eiusque amoris, tale imperium in hominem exercere, vt homo mouere se non ausit citra eius ductum, voluntatemque. Quandoquidem amor, vt affirmat Bernardus, de Deo triumphauerit, æquum est vt de nobis quoque triumphet; & cùm, Apostolo testante, *In hoc Christus mortuus sit & resurrexerit, vt & mortuorum & viuorum dominetur*, dominari autem sciamus

(a) *Psal. 72.* (b) *Gen. 41.*

illum ita in mortuos, vt eorum nemo se moueat absque eius facultate & imperio, quid reliquum est, nisi vt eadem potestate regnet in nobis; & vt regnet, frænetur amor proprius, qui eius imperio peruicaciter obsistit.

Veni Domine Iesu, (a) veni in subsidium pauperculæ illius animæ, vbi te regnare par est; aufer scandala & tumultus de regno tuo, vt pacata fruaris possessione. Amor proprius, illa cupiditas opum, honorum & voluptatum, ad defectionem appetitus meos & affectus sollicitat, certat in me, aduersum te & me; tantum renitor, quantum possum; tantum possum, quantum iuuor à te; satis nunc quidem sum potens, vt contester, nolle me regem alium, præter te; sed futura me terrent, spero tamen ope & auxilio tuo, fore hoc constans in corde, in ore, & in omnibus vitæ meæ actionibus, decretum meum, vt nolim alium amorem, alium Dominum ac Regem, quam Iesum Christum.

(a) *Ex Bernardo serm. 4. super missus.*

COMPENDIVM MEDITATIONIS in Vigesimam quartam veritatem.

I. PVNCTVM.

Declaratio eiusdem.

MEditans de descensu Spiritus sancti in Apostolos, peculiariter expende, quomodo

modo illos confestim in alios homines commutarit, in homines omninò spirituales, abstrahendo illos ab omni rerum terrenarum affectu, & adeundo possessionem tam integram cordis illorum & animæ, vt in ijs nihil penitus reliquerit, quod non esset spirituale. Eam ob rem descendit in forma venti & ignis, ad difflandum, aut exurendum consumendumque quidquid residere adhuc in ijs posset sensualis & imperfecti. Non erant amplius homines de primis dignitatibus ambitiosè disceptantes, neque qui ad primos suppliciorum aspectus cadebant animis fugamque capessebant: sed è contrario, nihil iam cogitabant neque loquebantur, nisi de salute æterna, de virtutibus & medijs eò perueniendi, præcipuèque de humilitate & de patientia; iam tanopere in contumelijs & verberibus, pro Magistri sui amore, ferendis exultabant, quantum ea prius formidauerant.

Hic verus effectus est amoris spiritualis, qui cùm sit participatio quædam Spiritus sancti, nos penitus efficit spirituales, abstrahendo nos à reliquis rebus omnibus, tantumque nos Deo coniungit, quantum à creaturis, & ab amore nostri nos separat, excludens quidquid spirituale non est. Atque hoc rectè comprehendere animo oportet, nam plerumque hîc offendimus, & statui vitæ nostræ spiritualis obest plurimum, quod, vt simus spiri-

tuales, non cogitemus nos ex integro, & non solùm ex parte, tales esse oportere; quod non intelligamus, ad sincerum Dei amorem requiri, vt cor terrenis humanisque affectibus sit vacuum; Deum minus amari, si cum illo aliud quiddam immoderatè ametur; hoc agi assiduè à Spiritu sancto, vt nos expurget ab omni alio affectu, ne quidpiam præter Deum amemus, nos ea in re potissimùm illi obsistere; Denique hîc collocandam esse nostram operam, hîc excitandos animos, & omnia proposita nostra confirmanda.

Sic est amor diuinus, vt competitorem & riualem in eodem corde non patiatur; tam pretiosus est, vt nolit cum affectu vili terrenoque commisceri: totum cor desiderat, aut illius nihil omnino. Diliges me, ait diuinus ille nostrarum mentium amator, ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota mente tua, ex totis viribus tuis, ex tota virtute tua, & ex tota fortitudine tua.

Qui totum dicit, nihil reliqui facit, & quantamcumque portionem illi dederis, nisi dederis totum, non das, quod exigit. Si verò ex æquo & summo iure id exigit, profectò sine summa iniuria illi negare non possumus. Etiam obiter cogitantibus, quod noster sit creator, noster Dominus tam beneficus, noster finis vltimus, nostrum summum bonum, quomodo amorem & affectum in nos suum testetur, illicò occurrit summè nos obstrictos

ctos esse ad illum amandum, & toto corde amandum : nam aliàs amari se non putat, cùm amare nihil sit aliud, quàm se integrè cum amato communicare, cùm ille eo pacto nos amet, atque ita amari velit à nobis sanè aut fatendum tibi est, quod nolis eum amare, aut toto corde, illique penitus addicto, amandus est. quam in partem inclinas?

Anime mi, dare hoc auderes, quod Deum non diligas? sed iuraréne posses & subscribere, quod eum diligas toto corde tuo? si autem non diligitur, nisi ex toto corde diligatur, quid dices? O Deus? fac, cognoscam quid obstet, quominus integrè me tibi dedam, id enim facere in animo votoque est.

II. PVNCTVM.

Aduersio in vitam præteritam, præsentemque.

VTi satis non est, instructum esse habitu diuini amoris, nisi operetur, producatque suos effectus, ita culpa non est, habere amorem proprium, cuius semper aliquid in animi penetralibus residebit : sed hoc malè, quod oblatis occasionibus amor hic diuinum amorem anteuertat eiusque præpediat effectus.

Nota, quod ad primam rei occurrentis spe-

ciem, illicò imaginatio tua bono vel malo sensibili, istic reperto, feriatur: & applicatio animi ad hoc bonum vel malum ita te detinet, vt omnes cogitationes tuæ vertantur, vel in bono illo appetendo, vel malo declinando, vnde existunt plurimæ aliæ perturbationes, quæ deprauant intentionem tuam, vitiant voluntatem, efficiuntque vt alius omninò sis in opere & actione, ab eo, qui esse decreueras, cùm has veritates contemplareris.

Nónne verum est, quod, post capta sæuia te abijciendi, patiendique, decreta, si audiueris, aut suspicatus fueris, nescio quid, aduersum honori tuo statim totus sanguis effer-buerit, sensеritque se mens implicatam cogitando, timendo, auersando, & volendo alia omnia, quàm quæ prius volueras, statueraſque? facit id amor proprius, dum præuenit spiritualem, dum suis propensionibus te detinet, & dum tu illum foues tua illa applicatione animi, & cogitationibus voluntarijs, aut semi-volitis, quæ te, vt sapiens loquitur, fascinant, ac impediunt, ne re ipsa dones totum cor tuum, & ne sis omnino spiritualis, quemadmodum esse destinaueras. Hæ enim à natura ortæ cogitationes, quæ præueniunt, producunt affectus, qui ipsi quoque naturales sunt & sensuales, aut nimium humani occupant & possident cor, quod esse deberet sub imperio amoris diuini vt ab illo moueretur, ageretur que secundum intelligen-

tiam

tiam veritatum & ex his conceptorum propositorum, neglectis intentionibus & stimulis partis sentientis : Nam etsi se moueat appetitus, nullum vitium est in primo illius motu, sed in secundo, & alijs consequentibus, qui fiunt, dum primo inhærent , quem vi amoris spiritualis cohibere oportuisset & hæc mali summa est quòd amor ille proprius tam sit naturalis, vt non facilè deprehendatur , seque speciosis honesti, decori aut necessarij nominibus inuoluat , ô simulationes, ô perfidias, ô obnixus in spiritum sanctum!

III. PVNCTVM.

Propositum in futurum.

CVm vitium in eo sit, quod inter agendum proprius amor spiritualem anteuertat, remedium, & propositum esse debet, vt spiritualis admodùm vigilans & cum diuina gratia sit efficax , ne antuerti se patiatur ; & si fortè imaginatio à sensibus mota instiget appetitiones vel ad bonum sensibile , vel in malum contrarium , necesse est vt attentus animus rideat hanc imaginationem , velut fallaciam & dolum, quem menti struit natura deprauata, dum efficit vt bonum malumue non suis momentis ac ponderibus, sed aliter, ac reuera sunt, æstimentur ; & in locum huius falsæ imaginationis debet mens spiritu

Dei & sancto eius amore impleta, sibi proponere ipsam rei, de qua agitur, veritatem, & ex Dei iudicio atque æstimatione verum eius bonum, malumve statim expendere: firmiter adhęreat illi veritati, illi diuino iudicio cui illa innititur; doleat, gaudeatve iuxta illustrationem, & affectum, quem de illa concepit: & interim flaccessent vires amoris proprij, cogeturque is loco cedere, vti tenebræ ad ortum solis dissipantur, vti mendacia veri aspectum declinant, & vti cuncta cedunt spiritui & amori diuino, modò nullus agenti intercedat, & non foueatur sustenteturve proprius amor, qui illi resistit.

Hac ratione coniungimur Deo, dum à nobis ipsis separamur, & hic actus est adhæsionis & conformitatis, in amore nobilissimus, qui non tam situs est in contestatione sui in Deum affectus, neque in productione aliquot actuum internorum huius charitatis, quàm in abstrahendo se ab omnibus illis opinionibus & humanis iudicijs, quæ cupiditas & amor proprius in corde solet commouere, vt quid vnicè adhęrescat seque conformet iudicio integerrimo, quo Deus bona malaque æstimat, & eius voluntati ea pro arbitrio suo sapientissimè disponenti. Motum cieat natura corruptior, quantum potest, & mundus vniuersus illius motibus obsequatur, & de bonis malisque vti lubebit ferat iudicium; quod ad me attinet, inquies cum Propheta,

ego

ego in Domino gaudebo & exultabo in Deo Iesu meo, neque aliter censebo vlla vera bona quàm quo modo ille censuerit; statueritque & quia damnat potiùs, quàm approbat voluptates, honores & commoda huius mundi, quibus proprius amor sustentatur, eadem cum illo damnabo: & quia potiùs approbat quàm damnat, aduersos casus, incommoda, ærumnas, & alia huius vitæ mala, quæ alimenta sunt & specimina amoris spiritualis, hinc ea cum illo quoque approbabo, in his gaudebo, cùm mœrere alias solerem; & deinceps meos omnes affectus cum illius affectibus conformabo; vt cum idem fuerit cor meum cum corde Iesu, eadem quoque sit vitæ ratio, idem iudicium & idem propositus finis Deo integrè placendi, & omnes illius explendi voluntates, cùm in tempore, tum in æternitate. Amen.

CONSIDERATIO
in octauum hunc diem.

De examine conscientiæ & Confessione.

1. PRæmissa oratione solita: considera quanti interest rectè instituere suum examen & confessionem, cùm sint cæterorum malorum nostrorum remedia, sed quæ non prosunt, nisi debito fiant modo.

2. Obseruásne accuratè quinque puncta examinis in quo maximè perfunctorius es?

3. Nónne verum est, te non satis ardenter exorare lumen à Deo ad vitia tua cognoscenda necessarium, quasi per te assequi illa possés adhibita inquisitione tua.

4. Contritio quam elicis, penetrátne intima animi, vt inde radicitus evellat affectum rerum, quæ tuorum sunt causa peccatorum.

5. Vide in quo sita sit emendatio, quam proponere necesse est: & quomodo aduersus præcipua tua vitia vtaris examine particulari.

6. Paratúsne esses mori statim ab examine nisi ita dispositus sis, verendum est, ne illud non rectè peregeris?

7. Quomodò pro tuis peccatis satisfacis?

8. Non putas plura clam esse & occulta, quàm aperta & agnita?

9. Non experiris animo te esse collectiore, moderatioreque post examen, quàm ante? aliàs malum esset indicium.

10. Præparásne vesperi prius meditationem quàm cubitum concedas?

11. Non adnotas culpas aliquas, quas censes confessione expiandas?

12. Quam adhibes præparationem ad hoc pœnitentiæ sacramentum.

13. Quo candore & ingenuitate reuelas peccata tua natura nequidquam repugnante?

14. Non

14. Non leuius & magis perfunctoriè illa decurris, in quibus immorari diutiùs oporteret, tum ad maiorem verecundiam, tum ad plenius satisfaciendum diuinæ iustitiæ, quam modicæ voluptatis gratia offendisti?

15. Non seriò redis ad mentem dicens: quid feci offendendo Deum, bonitatem nimirum ipsam, quæ meris continuisque me beneficijs afficit, quibus ego non nisi maleficia rependo.

16. Non animaduertis secundum in eadem specie peccatum, grauius esse primo, & tertium secundo, & ita deinceps: & fortassis illud, quod modo confiteris, esse centesimum, post veniam toties tibi indultam, & post tot factas non amplius admittendi, sponsiones? & ecce nihilominus illud admisisti eâdem, quâ primum, licentiâ, & æquè leuem ob causam etsi enim nulla sit vnquam causa peccandi, ne ad auertendam quidem totius huius vniuersi ruinam, occasiones tamen quas arripis, tam leues sunt, vt vel hoc peculiaribus sit dignum lacrymis: at mentem eò aduertere tibi non lubet.

17. Scisne, vt à peccato etiam leuiori absoluaris, necessariam esse talem detestationem rei, quæ te ad peccandum induxit, vt omninò constitutum esse tibi debeat, non amplius illam amare, adeoque si adhuc afficeris vanitati, dum te de illa in confessione accusas, tantundem est ac si eam non confiterere.

18. Quid

18. Quid censes de confessione generali alicuius Hæretici, aut hominis grauium noxarũ publicè rei: nónne illum commonefaceres, imposterum caueri scelus debere? quidni eodem modo post confessionem peccati leuioris te compellas, cùm tam obliget te confessio tua, vt ab eo velis abstinere, quàm alium in grauioribus, sua. si confessarius es, qua ratione tuos pœnitentes ad contritionem disponis? quâ illos audis? quomodo instruis? & verbo, quî hoc diuino munere defungeris?

19. Quas pœnas de te sumis ob tot tantaque à te commissa scelera? quales facis eleemosynas, qualia ieiunia, quales corporis per flagella & cilicia, castigationes, quales denique vel sponte & vltrò, vel ex imperio & necessitate pœnas subis? & quo spiritu interno, affectuque? Nihil vltra facis, præter ea, quæ à confessario tibi præscribuntur?

20. In macerando castigandoque corpore hunc modum serua, vt perdurare possis, consentaneè ad statum tuum. Ne quid nimis, sed neque ex ignauia tibi parce. Non minus sit ex virtute & ratione, quando pœnam aliquam omittis, quàm quando illam carni adhibes. Lumen postula & gratiam, quibus necessariam moderationem cognoscas.

LE-

LEGENDA.

Ex sacris litteris, Finis capitis 10. Deuteronomij, Caput 4. Epistolæ ad Ephesios & 3. Epistolæ ad Colossenses.

Ex libello Exercitiorum : Meditatio de amore spirituali & Regulæ de scrupulis dignoscendis & vt cum Ecclesia sentiamus.

Ex Thema Kempensi capita 5. & 6. libri tertij.

SVMMA ET CONCLVSIO OMNIVM Exercitiorum.

CVm ita sit, vt res omnes tendere debeant ad finem suum, nosterque sit Finis, vt in omnibus actionibus nostris placeamus diuine summæque Maiestati, eò verti omnes nostras cogitationes & studia necesse est. Verùm, quia deprauata natura suis in voluptatem, in honorem, & priuata commoda, propensionibus nos aliò auertit, tantum vigilantiæ atque operæ cum diuina gratia adhibendum est, ne motus illi naturæ aliquid à nobis euincant, quantum placere Deo volumus: nam aliter placere illi non possumus, quin perdimus nos cum regia sit ad perditionem via, sic vitam & mores ad genium & arbitrium naturæ efformare.

Eam ob rem Christus Dominus inter mortales

tales agens tradidit nobis documenta & exempla, naturæ propensionibus ac effatis mundi admodum contraria, vti ex Euangelio discimus, vt illius verbis, exemplo, gratiaque excitati, abstineamus ab omnibus, quæ naturæ lenocinantur, sustineamus quidquid illi molestum atque acerbum est, præsertim cùm euitandi non est modus, & agamus, quidquid aggredimur ex ipsius gratia & spiritu potius, quàm ex inclinatione affectibusve naturæ, nisi ijdem quoque à gratia & ratione dirigantur.

Non existimemus esse seriam morum conuersionem, veram culparum pœnitudinem, neque securam de salute obtinenda fiduciam, nisi ex Apostoli monito, (a) *expoliantes nos veterem hominem, induerimus nouum.*

Non arbitremur nos exercere virtutes, nisi abstinendo vitijs contrarijs, ab inclinatione naturæ prouenientibus, & sustinendo difficultates quouis momento occurentes, nulla habita ratione eorum quæ corrupta natura vel appetit vel abominatur.

Nunquam persuasum habeamus nos flagrare diuino amore, nisi succensos odio nostri, quo stimulemur ad vitam potius spiritualiter secundum Deum, quam secundum hominem naturaliter, exigendam.

Mirum nobis non videatur, quod non liceat homini viuere secundum hominem, *quia* teste

(a) Coloss. 3.

teste Augustino, (a) *nec Angelo secundum Angelum sed secundum Deum, viuendum fuit, vt staret in veritate.* Nam secundum Angelum viuere est viuere naturaliter, vt autem Angelus viuat secundùm naturam suam, perinde esset, ac si sui causâ viueret, ac si suus ipse foret Finis vltimus, suaque beatitudo: quod sanè falsum est, atque illud è cælo præcipitem dedit principem Angelorum: necesse igitur est vt secundum Deum viuat, non secundum Angelum. Quod si verum est, de natura tam præstanti, qualis est Angelica quantò certius erit de tam vili natura qualis est hominis, etiam per peccatum eousque depressi, vt ex regij Vatis sententia, *comparatus sit iumentis insipientibus & similis factus illis.* An non igitur homini necessarium est, vt vltra naturæ suæ conditionem se attollat, & non viuat nisi secundum Deum?

Quod si nimium tibi videatur, aggredi talem vitam se superiorem & naturæ suæ aduersam, & molitionem esse quasi supra vires, aut nimis difficilem quàm vt executio sperari queat: memineris nihil aliud hîc exigi, quàm vitæ rationem aduersam naturæ depravatæ, quæque si secundùm Deum est futura quoque sit conformis naturæ compoti rationis & spirituali: & quia nihil magis consentaneum est homini, quàm viuere secundum rationem, neque Christiano, quã agere secun-

(a) *De ciu. Dei l.* 14. *c.* 4.

secundum gratiam, hoc susceptum vitæ spiritualis ducendæ institutum nulli nimis arduum, meritò videri debet. Nam vt taciti prætereamus gratiam, quæ mitigat omnes difficultates, quid excogitari potest aptius ad oblectandum hominis animum, quàm quòd sciat se scire & sequi veritatem, quòd securam sibi reddat salutem suam? quòd Deo suo faciat satis? quod assequatur finem suum vltimum, propter quem conditus est? quodque cùm illi hoc vnicum peragendum negotium incumbat, tandem hoc medio expediat felicissimè aliàs æternùm perituris; an non hîc argumentorum satis, vt quis obfirmet animum? obfirmato verò vti par est animo quid potest esse difficile? & vt esset aliqua, in exequendo proposito difficultas & molestia, oporteret tamen illam generosè complecti, ob causam tam honestam, qualis est, Deo seruiendi, asserendique salutem suam.

Si ergo post hæc, adhuc quereris, causarisque occurrentes difficultates non rectè firmati propositi vitium est, si verò in eo capiendo confirmandoque sentis molestiam, fidei vitio accidit, vitio neglectæ considerationis, vitio non satis ob mentis oculos exhibitæ veritatis, neque satis expensorum stimulorum, qui nos ad ei obsequendum, adstringunt; est, quòd non cogites moriendum esse, agi de salute vel damnatione sempiterna; quòd nõ agnoscas, neque satis expẽdas animo

quare

quale illud sit nostræ æternitatis negotiũ; nam satis perspicuũ tibi est, nihil videri admodum difficile aut arduum, quando de magni momenti negotio agitur; est, quòd non recorderis Christi Iesu, cui hoc vnicum salutis nostræ negotium præ oculis fuit, quique ea de causa tantos subiit labores: est denique quòd Deum non ames, quisquis enim alium diligit eius obsequio se etiam lubens hilarisque impendit atque adeò si Deum diligeres, vti revera per eius gratiam potes, non esset tibi laborioſum, (a) secundùm illum vivere; aut laborem ipsum, luculentam nimirum tui erga illum amoris testificationem amplectereris, & hanc tibi oblatam testificandi amoris occasionem, ex animo gauderes.

Ne igitur vltrà dixeris diuino in seruitio esse difficultates, aut eas esse ad te inde reuocandum idoneas, sed fatere nullam esse in te diuini scintillam amoris. Quin, in difficultatibus, & tepore tuo, has tibi exprobrationes ingere, Quid anime mi? itáne Deum non diligis? Nihil probrosius intolerabiliusque obiectari posset homini ingenuo: tot enim obligationes tantaque ad amandum Deum incitamenta sunt, vt in nos ipsos feramus damnationis sententiam, si agnoscamus illum à nobis non amari. Et qua fronte prætexe-

(a) *Seruiuit Iacob pro Rachel septem annis, & videbantur illi dies pauci præ amoris magnitudine.* Gen. 29.

præterexere possumus hîc difficultatem, cùm enim facilius nihil sit neque acceptius, quàm affectu ferri in rem amabilem, quidquid seruire potest accendendo ad amorem animo, tam certò Deus complectitur, vt eum nemo queat nosse, aut vel cogitatione delibare, quin illico in eius amorem rapiatur.

Accipe sex hasce considerationes, veluti totidem alas Seraphicas, quibus diuinum illum amorem assequaris.

Prima est, de dignitate, bonitate, pulchritudine, &, ne plura, de amabilitate quæ in Deo existit: Bonum nemo non amat, & quid Deo melius est.

Secunda est, de amore quo nos prosequitur. Potentissima ad amandum illecebra est, amari: & quis amor est parilli, quo Deus nos amat?

Tertia est, de beneficijs, quibus nos deuinxit, donando nobis Filium suum, impertiendo continuas gratias, & media illum amandi; & maiora in futurum bona, si illum dilexerimus, præparando. Nónne hoc vim habeat in cor nostrum? aut necesse sit cor esse omnino saxeum & insensile, si tot tantisque beneficiis tum præteritis, tum præsentibus, tum futuris in omnem æternitatem, tangi se conciliarique non sinat?

Quarta est de præsentia & communicatione continua, quam habet in nobis & nobiscum,

cum, siue per res creatas, siue per seipsum, modo eius familiari cõsuetudine vti velimus. quid ad connectendos animos & corda efficacius esse potest, quàm vnà versari, vnaque habitare, præsertim si suauis grataque sit consuetudo? & quid suauius Dei congressu, qui nihil prohibentibus nostris inurbanitatibus, & culpis, non definit benè nobis facere, aut si permittit mali nobis aliquid euenire, maioris semper boni nostri causà id facit; ex affectu, quo fertur in nos, & ad auertenda grauiora mala, minus illud permittit.

Quinta est, de ingenti quo flagrat, vt à nobis ametur, desiderio, & cuius assidua edit argumenta: hic omnium ipsius operum & beneficiorum est Finis: id vnum spectat, id solemnibus verbis præcipit; nihil illa extra amorem acceptum est, solus amor illi sufficit, ei acquiescit. An non portento simile est, quod agnoscens tot iudicia, quibus manifestè Deus testatur amari se velle à me, ego nihilominus illum non amem? singularis sanè foret gratia, si vel amari se pateretur: & posteà quàm id præcipit, quàm nos pellicit omni genere blanditiarum, quàm nobis in eam rem confert spiritum sanctum, & essentialem suum amorem, nihilo magis commouemur, amamusque potiùs miseram creaturam, quandam voluptatem, inanem aliquam gloriam, quàm illum! id enimuerò perquam horrendum est.

Sexta, Quòd cùm Deus sit finis noster vltimus, nostra beatitudo, nostrum vnicum & verum bonum, non possumus maiorem animi tranquillitatem, ampliorem gloriam, & cumulatiora bona, quàm in ipsius amore reperire. Amore illum possidemus in hac vita, & abillo possidemur; (a) hinc sacer textus affirmat nihil maius excellentiusque esse charitate, nam Deum tradit animæ possidendum, quantum illa capere eum potest, redditur autem indies ad eum capiendum tantò aptior, quintò magis crescit in amore Dei, & in amore sui decrescit. Hæc consideratio admodum efficax est, si enim anima non sectetur nisi bonum suum, bonum autem illud non sit, nisi in Deo, cur deseret illa Deum suum, qui solus est verum ipsius bonum, & sine quo cætera omnia illi sunt vanitas, afflictio & iactura?

Quæ cùm ita sint, quid sequitur, nisi, quàm gratum est amare rem amore dignam, tam facile & volupe esse amare Deum? & quia nulla remanet difficultas, vbi Dei est amor, nullam quoque superesse excusationem, neque obicem, quo minus compescamus affectus nostros propensionesque nimiùm naturales, vt tandem secundum Deum viuere incipiamus; ideoque statuendum esse, quod velimus eò omnes cogitationes studiaque conuertere, vt Deo placeamus, & vt illud assequamur,

(a) 1. Cor. 12. & 13.

quamur, naturam nostram vbique ex eius voluntate arbitrioque efformare nos debere.

Quòd si lubeat vti norma à nobis præscripta, memineris obseruare, quòd in omnibus, quæ occurrunt agenda, vel aliquid sit in potestate tua, vel non. Si quid potes, age pro viribus tuis & gratiæ, secundùm virtutem, quæ propria est actioni propositæ, non attendendo quid censeat, suggeratve natura, cùm inde sit abstinendum. Vbi verò nihil potes, ita te diuinæ prouidentiæ accommoda, vt ne velis quidem plus posse; & in eo si natura difficultatem aliquam vel molestiam persentiscat, læto animo tu illam sustine. fac è necessitate virtutem, consentiendo diuinæ dispositioni, maiorem facultatem neganti; sed verò etiam vt tandem concludamus, fac ex virtute necessitatem, hoc est, ita tibi constitutum sit, semper agere ex virtute, in omnibus tuis actionibus, ac si quadam necessitate eò adigereris, & quasi aliter agere non posses, tametsi reuera possis; sed quia id ita firmiter decreuisti, vt, quemadmodum eo fine à Deo accepisti libertatem, vt illi liber volensque deseruires, sic illi hanc libertatem vltrò restituas, ad certam illi & quasi necessariam exhibendam seruitutem, & ad prosequendum illum constanti vsque ad mortem & æternitatem, amore, nolendo magis eximi aut excusari, quàm si reipsa careres omni libertate, &

quasi

quasi quædam fatalis necessitas eò te compellerer.

Suscipe, Domine, vniuersam meam libertatem. Accipe Memoriam, Intellectum, atque Voluntatem omnem; quidquid habeo vel possideo, mihi largitus es, id tibi totum restituo, ac tuæ prorsus voluntati trado gubernandum. Amorem solùm tui, cum gratia tua mihi dones, & diues sum satis, nec aliud quidquam vltra posco. *S. Ignatius in lib. Exercit.*

A. M. D. G.

Interpres religioso Lectori.

CVm iam à prælohæ, quas legisti, Meditationes, propiùs abessent, incidi in nonnullas, quas idem author in fine tertiæ partis suæ proponit de Votis eorũq; innouatione, in illorum gratiam, qui religiosam vitam profitentur, & quibus sciebat istam innouationem esse familiarem: Resumpto igitur calamo, has quoque Latinitate donaui, vt in vsu tuos vnà prodirent. Tu boni consule, & tuo consulentem bono habe in tuis precibus commendatum.

ME-

MEDITATIONES

De votis Religiosorum, eorumque innouatione.

HÆ meditationes, cùm ad solos religiosos dirigantur, qui præ cæteris artem habent & vsum meditandi, deditâ operâ feci breuiores, & nullo adiecto earum compendio.

MEDITATIO PRIMA.

Pro eo die, quo primùm in Religioso ordine vota nuncupantur.

Aperui os meum ad Dominum, & aliud facere non potero. Iud. 11.

ARgumentum sumetur ex hisce verbis Iephte, inter egregios Iudaici populi duces non postremi, quem Apostolus (a) inter sanctos veteris testamenti non dubitat adnumerare; hic cum Deo votum nuncupasset, ad eius obseruationem se tantopere credidit obstrictum, vt nullis rationibus potuerit ab eo dimoueri. (b) Et cum quibusdam Patribus aduerte, sacrificium illud, quo Filiam ob-

tulit,

(a) *Hebr.* 11. (b) *Vide Estium in c.* 11. *ad Hebr.*

tulit,non fuisse cruentum,sed spirituale,quãdoquidem Deo consecrauerit eius virginitatem, ipsa non abnuente; vocari nihilominus vocabulo mortis hanc oblationem,vti disertis verbis scriptura dicit,(a) *Omnem consecrationem quæ offertur ab homine, non redimi, sed morte mori debere*; atque adeò huius Puellæ sacrificium, fuisse figuram,& imaginem eius sacrificij,quo per vota pars hominis sensualis immolatur: quod rectè animo comprehendat oportet, qui ritè voluerit hoc sacrificium peragere.

Finis erit,circa hoc, tanti ad reliquam omnem vitam ponderis, argumentum studiosè tres animæ facultates exercere:intellectus attentè expendet obligationem, quam quis subit vota faciens religiosa;voluntas piè hanc obligationem acceptabit, ac amplectetur, decernetque ei stare fideliter; Memoria sese instruet rebus omnibus necessarijs,vt eas in tempore adhibeat, vt exequatur præstetque consentaneè susceptæ obligationi.

Forma in his punctis consistit.

1. Pro intellectu, quæ subeatur obligatio per vota in religione nuncupata.

2. Pro voluntate,eam esse propenso animo acceptandam.

3. Pro memoria,aliquam industriam adhiberi oportere, vt quis semper meminerit, & obligata præstet officia.

Pun-

(a) *Leuitici 27.*

Punctum Primum.

CVm natura voti sit obligare, & huius obligationis excellentia tam præstans existat quando rectè intelligitur, & vti par est, subitur: ante omnia Deum lauda, quòd eam tibi gratiam faciat & honorem, vt subire possis hasce obligationes, & lumen ab eo pete, vt perfectè, quid imponant, agnoscas.

Omnia reducuntur ad tria hæc capita: 1. vt vita perpetuò degatur in ea religione, quam per vota quis amplectitur.

2. Vt facta vota obseruentur integrè, (a) & iuxta morem & consuetudinem in religione approbatam, de qua quis fuerit in Tyrocinio, instructus.

3. Denique vt adspiretur, contendaturque ad sui status perfectionem. Non obligatur quis vt perfectus sit, sed vt esse velit, adhibeatque media, quæ à regulis & constitutionibus ordinis proponuntur. Adeò vt Religiosus, carens ea se perficiendi voluntate, teste D. Thoma, versetur in statu periculoso, agat contra professionem suam, quæ ad hoc illum obligat, cùm Religionis status, status sit perfectionis, per vota, quæ istic fiunt, prosequendæ: Ex quo consequitur, Religiosum, aut perfectũ esse debere, aut eò saltem anhelare,

(a) *D. Thom. 2. 2. q. 88. ar. 3. & q. 184 ar. 1. & 20. Vide ar. 9. ad 3.*

lare, alioquin non consentaneè suo statui victurum.

Istud igitur est, quod intelligere oportet, & præter hoc etiam, in qua sita sit perfectio, nempe in eo, vt quis integrè spectat ad Deum per vnionem perfectæ charitatis, ad quod magnoperè prosunt tria vota, dum nos auellunt ab ijs rebus, quæ maximè possent à Deo nos auocare. Quia verò nimis quàm multa mundus quotidie obijcit, quæ ab eo nos auocent, & cupiditates nostræ non emoriuntur, quàm diu sinentur viuere atque ex naturæ propensionibus agere: propterea istud præcipuè in hoc (a) puncto sibi proponendum est ob oculos, quod vti initio dicebamus, vota sua in religione nuncupare perinde sit, atque emori, sepeliri, mundoque exesse: Ita vt, quemadmodum vitâ functus mundanas res amplius non prosequitur, caret cupiditate, & iure ad res olim à se possessas excidit, neque vlla motione vitæ naturalis agitatur, sic religioso incumbat, nihil amplius appetere, neque quidquam agere ex motionibus vitæ animalis & sensualis; votorum enim beneficio tam ijs mortuus est, modò rectè ea fecerit, quàm verè de se sacrificiũ obtulit; nam vota non alio titulo dicuntur sacrificium, quàm quod (b) per ea *homo se totum & sua omnia ad diuinum cultum consecrat, & quasi immolat*, velut victimam aut hostiam; non aliter autem

(a) *D. Th. ar. 1. ad 4.* (b) *Id. q. 186. ar. 1.*

tem consecramur & immolamur, quàm per hanc partem inferiorem & animalem, dum statuimus illam totâ vi â nostrà extinguere, & vt sic loquar, mortificare, & cuius oblationem facimus, dum nuncupamus vota, Deoque nos consecramus; quia reipsa, non essemus aliter ipsius. Hanc ob causam professio seu obligatio sui, quæ per vota fit, vocatur holocaustum, quod erat in lege nobilissimum atque integerrimum sacrificium; dicitur etiam martyrium, quia continuæ mortificationis imponit necessitatem, (a) quod graue martyrij genus est; componitur præterea cum Baptismo, creditu que conferre indulgentiam quâ plenior accipi non possit, eò quòd actio sit maximè Heroica atque grauissimi meriti, ita te consecrare, vt moriaris morte sanctorum, quæ pretiosa est in conspectu Domini, & non viuas vitam aliam, quàm vitam charitatis, vitam gratiæ, vitam spiritus, & vitam Iesu. Verùm, nisi etiam hac ratione moriaris, nullum erit sacrificium, nullum Martyrium, nullus Baptismus, neque vlla indulgentia: Nouit verò Deus, qualis sit ista Professio; qualia sint hæc vota, quæ sine sacrificio peraguntur! O quanti refert hanc intelligere veritatem, vt te seriò tandem Deo dedas, vtque scias tibi onus iam incumbere non amplius viuendi ex cupiditatibus naturæ depravatæ, quandoquidem illam æquè

(a) *Hæ fusè probata apud Platum.*

verè consecraueris, immolaueriſque, atque verè vota tua nuncupasti, & ea nuncupando, te Deo dedidisti. sic est, Domine, sic intelligo iuxta totam perfectionis amplitudinem; & si præterea quidquam est, quod clarè satis non assequor, ex sensu regularum constitutionumque mearum colligam, optans ijs intellectu consentire, vt consentiam quoque voluntate atque actione, & vt, quàm fieri potest dignissimè, integerrimeque in sacrificium me tibi repræsentem.

Punctum secundum.

NEcessarium est velle, & acceptare obligationem illam quam vouendo sibi quis imponit, nisi enim hanc vellemus, votum non esset, quod nihil est aliud, quàm libera voluntas, Deo profitens, se id velle, quod vouet: verùm, quia voluntas ardentiùs, aut languidiùs ferri potest in id, quod vult; & magni referat ad dignitatem & meritum huius actionis, ad quam te paras, vt hanc obligationẽ velis quã perfectissimè, non est acquiescendum simplici voluntati, quæ fortassis ad voti valorem satis esset: sed excitãda est tam ardens, tam plena, tamque perfecta, vt sacrificium tuum ab ardore voluntatis tuæ reddatur Deo acceptius, quàm à re quam is consecratum; vt ergo te eò, cum diuina gratia, quæ illo fine imploranda est, vehementiùs accendas, adhibe tria hæc incitamenta: Primum ex parte

ipsius

ipsius Dei tibi voluntatem suam aperuit; te ad obsequium suum euocando, huic ergo voluntati tuam accommoda, huius decretis acquiesce, & contestare te nihil velle, nisi quod ipse vult: & verò propterea te velle, quod ipse sic velit, & quod ipsius voluntas sit sanctissima, amabilissima, dignissimaque quæ adimpleatur. Etiam, mi Deus, illam volo, atque vtinam ex tua meaque, vnica voluntas existat, vt ego integrè sim tuus!

Alterum incitamentum sumetur à persona Christi seruatoris, seu sese offerentis, vti reuerà Deo Patri sese obtulit, siue, quia obtulit se, & quia status religiosus quædam est imitatio vitæ & mortis ipsius; seu denique quia eo nomine sua merita obtulit, vt tibi gratiam, illi, in fortunato hoc statu, seruiendi obtineret, atque ideo velis illi seruire, velis vti omnibus hisce gratijs; & sicut plures non expetis, quàm velit ipse conferre, ita quoque sis paratissimus acceptare quascunque, & ijs, nulla penitus neglecta, cooperari; Hanc esse fiduciam tuam, nihil te formidare, non mortem, non mortificationem, non infernum, non tentationes, neque quidquam aliud, cùm eius meritis gratijsque innitaris, & vnà cum illo sis hoste quouis potentior: Ita est, mi IESV, vnio sacrificium meum sacrificio tuo, & cor meum cordi tuo, vt dicere eodem tecum affectu possim: (a)

(a) *Ps.* 39. *& Hebr.* 10.

In capite libri scriptum est, vt facerem voluntatem tuam : Deus meus volui & lex tua æterna in medio cordis mei, excitans me ad legum omnium aliarum, regularumque religiosarum obseruationem.

Tertium incitamentum sit, ex consideratione tui finis vltimi, & obligationis eò tendendi per vias, quas diuina prouidentia tibi commonstrauit, maximè securas, Deo præstari debet seruitus & reuerentia, nunquid ita est? incipiat, oportet, dum viuimus, ardere in illum amor, qui per omnem æternitatem propagandus est. En hîc modum, quo aptiorem nancisci non potes; Age igitur, eum obuijs vlnis arripe, & ita vota tua nuncupa, quasi diceres: quàm mihi serium est consequi finem meum, quantum cupio Deum honorare eique seruire, tam mihi statutum est, tantum adstringere me volo ad omnem votorum meorum obligationem; nimis me censebo fortunatum, si hac de causa licuerit obire mortem, cùm non viuamus alia de causa, quàm vt illi obsequium & honorem præstemus. Accepta, quæso, Domine, hanc bonam voluntatem meam, aut si bona satis non est, effice illam meliorem, talemque quæ tibi reddatur acceptior; cùm enim reliqua consecrare tibi debeam per voluntatem, illam tibi primò consecrem, necesse est, vt dum illa fuerit tua, reliquorum quoque oblationem, quam deinde faciet, habeas acceptiorem.

Pun-

Punctum tertium.

SI tibi semper constaret idem feruor atque propositum, quod vota nuncupans concepisti, nihil vltra requireretur, sed sufficeret, te pergere eo pede, quo cœpisti, suauiter incumbendo obseruationi votorum tuorum, regularumque: sed intepescimus paulatim, indormiscimus, & vix tandem eorum, quæ vouimus, satis recordamur: & vti nunc prorsus experiris te alium, ab eo qui eras, priusquam nomen dares religioni, ita fieri potest, vt te sentias aliquando, nisi curam adhibueris, longè diuersam ab eo, qui nunc es. Idcirco sacræ nos paginæ toties abhortantur, vt semper meminerimus, neque vnquam obliuiscamur (a) propositi suscepti, quandoquidem illud non alia mente suscipiamus quàm vt mandemus executioni. Alioqui, teste Augustino, (b) *Bonum in hoare, & malo fine concludere, quid est aliud, quàm monstruosus res conficere,* quàm Chimæram moliri, quæ leonis caput, pectus hirci, & caudam draconis præ se ferat? Iuberétne degenerare in monstrum tam horrendum? hoc igitur nunc decretum tuum sit, vt talem te semper exhibeas, qualis esse vis hodie; nam reuera eadem incitamenta, eædemque rationes te quouis tempore eodem

(a) *Deut. 26.*
(b) *Serm. ad Fratr. de Er. mo.*

obligant. An non ita est ? Et sanè Deus imposterum non spectabit alio te intuitu quàm votorum tuorum, & sacrificij tui: quemadmodum in psalmo quodam ait: (a) *Holocausta tua in conspectu meo semper*, quasi aduersurus, num facta deinceps tua, capto iam illi seruiendi decreto, ad amussim respondeant, vt autem huius decreti tui melius memineris, accipe tres hasce industrias, quæ signorum instar seruient memoriæ refricandæ.

Primò, quotidie simul ac è somno euigilas, repete ea verba, quæ sunt huius meditationis argumentum, eodem prorsus affectu, quo votorum formulam pronuntiasti: *Aperui os meum ad Dominum, & aliud facere non potero.*

Secundò, quandocumque de votis tuis seruandis & de frangendis domandisque cupiditatibus sese offeret occasio, rursus itera verba eadem, & persuasum habe, te non minus tum quàm modò, quin & magis etiam eò obligari.

Denique, sicut religioso non facilè excidit, pecuniam tamquam propriam possidere se non posse, eiusque, occasione natâ, haud difficulter recordatur: idem fer iudicium de propria tua voluntate, de appetitu tuo naturali, de tuis propensionibus: has enim retinere & contra rationis & regularum præscriptiones ijs vti, non magis, quàm pecuniâ, licitè potes:

(a) *Ps.* 49.

tes;fidem tuam obligasti, & par de illis atque de hac ratio est, cùm hæ naturæ propensiones æquè à Deo & fine tuo te diuellant auertantque,ac pecunia, & fortasse nonnunquam magis:adeoque affirmare verè liceat, te non posse.Hinc,tametsi possis absolutè, nam pro arbitrij tui libertate peccare, cùm volueris, potes; quia tamen id non potes ex ratione, neque integra conscientia, neque secundum Deum,liberè dic te non posse,atque ita dic,ac si de graui aliquo patrando scelere ageretur, si quis te ad committendum atrox aliquod, & manifestum flagitium sollicitaret, non dubitares dicere, te non posse, cùm reuerà, quà religiosus non modò,sed ne quidem, quà vir honestus, id minimè possis : Pari ratione, quandocumque se præsentauerit occasio indulgendi cupiditati tuæ generoso animo nega indulgere te posse, quandoquidem tam non possis,quàm,ex illa obligatione euadendi in perfectum virum, non debes. ô felicem impotentiam, quæ te reddet tantò potentiorem, quantò minùs poteris mali perpetrare!O Deus,magno subsidio dexteræ tuę omnipotentis opus est,vt eò pertingatur : sed & pertingi potest, si subsidium tuum adiunxeris:tam certò autem sperare possumus subsidium tuum quàm certi sumus,te nihil nobis imperare,nihil suadere,quod fieri à nobis non possit. Quantum anime mi,solatium,nihil ratione votorum mihi incumbit,quod per gra-

tiam vocationi meæ adnexam, non possim non præstare, modò ea vti velim, & quidni velim? volo, & eo quidem affectu, quo volo me Deo meo totum deuouere, penitusque consecrare. Amen.

MEDITATIO SECVNDA

De voto Paupertatis.

Elegi te in camino Paupertatis.
Isaiæ 48.

ARgumentum huius, & duarum sequentium meditationum de votis, melius intelligetur, si cum (a) D. Thoma notemus opponi tria vota tribus concupiscentijs ex quibus pravus mundus teste (b) dilecto Discipulo, coomponitur. Votum paupertatis oppositum est concupiscentiæ oculorum, seu diuitiarum: Votum castitatis concupiscentiæ carnis: & votum obedientiæ, tandem superbiæ seu ambitioni: Ita vt naturæ corruptæ, quæ solis hisce concupiscentijs se pascit, magnum per hæc vota frænum injiciatur, adeoque si seruentur eo, quo par est, modo, perfectio animæ, vtpote remotis obicibus, confestim acquiretur, sed valde verendum est,

(a) 2,2. q. 186. a. 7. (b) 1. Ioan. 2.

est, ne illa rectè non seruentur, quod vbique natura se quærat, sibiqúe persuadeat, se carere vix posse suis commodis, suis voluptatibus, & eo honoris & existimationis suæ studio, quibus tamen abstine, votorum fide iubetur: Vnde fit vt illa subinde frænum excutiat, & homo exacto aliquanto tempore in religione, minus sit religiosus, quàm ipso aditu professionis suæ; minus enim accuratus in votorum obseruatione est, fit remissior, & sinit abripi se motibus naturæ, nihil nisi sua commoda, suas delitias, & suam gloriam captantis. Vt autem occurratur huic malo, & primus ille feruor quo non solùm olim vota fecimus, sed etiam statuimus illorum obseruationi constanter insistere, non intepescat: permagni interest, sibi in animum induxisse, quòd religiosus grauiter erret, si votorum dispendio, sua commoda, voluptates, dignitatesque consectetur; & quod è contrario, maiora nusquam commoda vel opes reperturus sit quàm in vera paupertate, nunquam liquidiores voluptates, quàm in castitate; neque vllibi plus honoris & existimationis quàm in obedientia: adeoque non esse, quod à votis suis desciscat, vt hisce bonis perfruatur. Atque hoc palam facient tres hæ meditationes.

Finis huius erit igitur, vt tibi persuadeas non esse alibi diuitias ampliores, plus commodi, vtilitatis, & sincerorum bonorum, quàm

in

in paupertate voluntaria; vel in exacta voti paupertatis obseruatione.

Forma, in hisce punctis.

1. Quid propriè sit, suas habere commoditates.

2. Istud non alibi, quàm in vera paupertate reperiri.

3. Non esse igitur quærendas alibi, cum voti dispendio, commoditates.

Punctum primum.

PRopone tibi hîc tria præclara axiomata, ijsque plusculum immorare, excutiendo rationes, & memoriâ repetendo dicta Christi Domini, atque sanctorum, circa hanc materiam.

Primum est, non in eo consistere commoditates, quod amplas quis fortunas possideat: verba Christi sunt (a) *non in abundantia cuiusquam vita est, ex his quæ possidet.* & quotidiana experientia videmus complures, qui cùm diuitijs etiam abundent, commodis tamen suis, imò & necessarijs se destitutos arbitrantur. O pauperes infortunatos!

Secundum est, oportere contentum esse animum, vt dicere liceat, nos frui nostris commoditatibus: Cùm enim commoditatum fructus sit contentum reddere hominem, earum cupidum, si iam animus contentus est,

plus

(a) *Luc.* 12.

plus habet commodorum, tametsi rerum expers,& corpus ipsum patiatur, quam si rebus omnibus potiretur,& corpori suo constarent commoda, animo non contento. Ipsi Ethnici huius axiomatis veritatem agnouêre, solus Epicurus ausus est corporis curam anteferre,cuius propterea vel ipsum nomen omnes execrantur.

Tertium axioma, in nostra esse potestate, diuinâ accedente gratiâ, vt contentus sit animus:neque opes,neque voluptates, neq; honores neque homines explere me possunt, solus id potest Deus,sui copiam faciendo,vel in cælis per beatitudinem, vel per gratiam, & dona sua,in terris. Anime mi, tam iniurij in Deum ne simus, vt putemus extra illum aliquid reperiri, quod explere nos queat, istud siquidem Deus noster esset, noster finis vltimus,& nostra beatitudo;hæc autem sibi de re creata polliceri,est iniuriosè obtrectare Creatori. O Deus,quàm verè,Deus meus es, (a) & vnicus es Deus, tam certò meum verum es bonum,& vnicus,qui satiare me potes!

(a) *Vide Exodi* 33.*v*.19.*& psl*.143.*v*.15.

Punctum secundum.

IN cælis cumulatè possidebitur Deus, atque animus perfectè satiabitur; interim in terris quantum quidem obtineri potest, eam saturitatem adfert vera paupertas;nam si vera

ra est, animum à rerum creatarum affectu diuellit, eaque separatio reddit hominem triplici modo contentum, (a) 1. exsoluendo illum molestiâ, quam secum trahit affectus, qui carere metu, tristitiâ & molestiâ non potest. 2. reddendo illum aptiorem capiendis Dei beneficijs & gratijs, à quibus satiari potest, soli enim terreni affectus, horum efficaciam obtundunt. 3. Denique, quia Deus peculiari sua prouidentia curat, ne talibus quidquam desit rerum necessariarum, aut efficit, vt videant non esse necessarias, aut vt ferant, amentque hanc necessitatem, animo tam æquo, magisque contento, quàm si ijs frueretur, quæ natura posset in tali necessitate exoptare, aut huius necessitatis essent expertes: Vnde sequitur veros pauperes spiritu, esse ditissimos, fortunatissimosque; cùm enim purgati sint & expediti terrenis hisce affectibus omnibus, (qui tantam nobis creant alioquin egestatem, quantam ingerunt cupiditatem rerum, quas deesse dolemus) possunt animo iam libero, puroque frui pacatè bonis suis spiritualibus, quæ cùm solida sint bona, & infinito quasi interuallo mundanis omnibus superiora, fit, vt religiosus, qui ijs fruitur, euadat ditissimus, fortunatissimusque, vti disertè asserit Sapiens (b) *Est*, inquit, *quasi pauper*,

(a) *V. S. Gregor. 15. moral. 13. ad verba Iob 20. Cum satiatus fuerit.*

(b) *Prou. 13.*

paupercum in multis divitiis sit; & confirmant Apostolus (a) & Augustinus, (b) dum aiunt, nihil habentes, omnia possidere. Atque hoc sensu intelligenda est insignis illa Isaiæ sententia, quam huic meditationi præfiximus, vbi Deus pauperes suos alloquens, ait se illos purgare electosque reddere in camino paupertatis, quod enim scoria, aut viliorum admixtio metallorum est auro vel argento, idem est animo religiosi hominis adhæsio seu affectus ad bona terrena; & quod præstat auro fornax, ad illud expurgandum, secernendumque à reliquis metallis, idem efficit in religioso paupertas, dum illum à terrenis illis affectionibus auellit: Ex quo consequens est, vt quemadmodùm aurum ea ratione expurgatum, iamque sincerum, censetur nobilius & ditius, ita quoque religiosus abdicatis minoribus bonis, quæ maiorum fruitionem possessionemque præpediebant, meritò habendus sit ditior, maioribusque commoditatibus instructus, quòd melius fruatur cæteris suis bonis, quæ solidæ divitiæ sunt, sinceræque commoditates. Nónne verum est, naturalia bona animi, & multò magis supernaturalia gratiæ, præstare bonis omnibus terrenis, tantumque excedere aurum & argentum, quantum reliquis metallis aurum antestat? Nónne (c) verum est, quantò quis fuerit instructior hisce bonis spiritualibus, tantò eundem

(a) 2. Cor. 6. (b) 3. Confess. 4. (c) 7. Sap. 5.

eundem esse ditiorem? nónne & hoc quoque verum est, nunquam melius hæc bona possideri, quàm animo à cæteris bonis auulso? Vide igitur, an paupertas quæ hanc auulsionem efficit, immittitque in tantorum bonorum possessionem, non sit medium ad opes comparandas securius, quàm ista commoditatum prosecutio, cum damno veri paupertatis? copulare bonorum temporalium curam cum bonis religionis, est cuprum auro admiscere, multumque de eius valore decerpere, studere cumulandis opibus terrenis, est maiorum opum, verarumque iacturam facere.

Et vt clariùs perspicias bonum vtile paupertatis, hac bonorum spiritualium fruitione nos beantis, dic amabo, quódnam bonum vocas vtile? an non istud, quod seruit alteri maiori comparando bono, vti pecunia victui, & victus vitæ conseruandæ? eò enim spectat omnis vtilitas bonorum & commodorum temporalium: sed quid tandem est hæc vita, etiam per annos plures conseruata, quantilla illa est, collata cum æternitate? si verò paupertas stipata bonis suis spiritualibus adeò seruit vitæ beatæ, ac immortali obtinendæ, (a) vt pauperibus regnum cælorum peculiariter adpromittatur, an non necessariò fatendum est, eam esse bonum, quo nullum nobis vtilius aut commodius esse possit? Verè igitur

(a) *Matth.* 5.

igitur dixit Iesus: *Beati pauperes spiritu* ; rectè Augustinus: *Felicitas magna Christianorum, quibus datum est, vt paupertatem faciant pretium regni cælorum. Non displiceat tibi paupertas tua* (a) *nihil eâ potest ditius inveniri; vis nosse, quam locuples sit? cælum emit: quibus thesauris conferri possit , quod videmus paupertati indultum ? vt ad regnum cælorum veniret dives possessione sua obtinere non potest , nunc obtinet vt contempta, perueniat.* Cùm ergo commodiùs sit carere ; quàm possidere bona temporalia, insistamus huic beato statui , vt nihil habentes , nihil appetentes , omnia possideamus.

(a) *Serm. 28. de verb.*

Punctum tertium.

SUnt enim verò considerationes aliæ nobilissimę ,& ad amorem huius voti paupertatis in nobis excitandum , efficaciſlimæ, & eæ præsertim , quæ desumuntur ex parte seruatoris Christi , qui eam tantoperè verbis exemploque suo commendauit : verùm cum hîc (a) positâ ipsius dignitate & excellentiâ, nihil agamus aliud , quàm vt obfirmemus animum, ad voti nostri obseruationem : nihil ad hunc finem obtinendum videtur accomodatius, quàm vt rectè persuasam habeamus hanc veritatem , nos alibi nunquam plus boni, plus vtilitatis , plus commodi reperturos.

(a) *V. Platum l. 1. c. 9. & l. 3. c. 8.*

turos. Cùm enim non sit excellentia, neque dignitas bonorum reliquorum, quæ nos auocat ab integritate paupertatis nostræ, sed sola vtilitas vel commoditas apprehensa si semel excusserimus hanc falsam apprehensionem, facilè poterimus in officio nostro contineri. Quare quotiescumque videberis aliqua re indigere, obijce hanc animo veritatem: Errari grauiter, si cum voti detrimento quæranturalibi suæ commoditates; nam præter periculum peccandi, cui te exponis in materia tam graui, qualis est hæc voti; præter iniuriam & damnum perfectioni tuæ, & amori Iesu, impactum; quid sectaris, sectando commoditates tuas? an non vt euadas contentus? at vbi hoc consequeris? Euge respondes: an non in bonis? rectè: sed aptio: ánne sunt ad hoc, minora bona, quàm maiora? bona verò temporalia, quę cum detrimento voti tui consectaris, nunquid longè cedunt bonis spiritualibus, quæ voti tui beneficio possides? Quo igitur iudicio illa prosequeris, quâ mente speras te eorum vsu fore contentum? Crede, citiùs euersum iri totum Euangelium & terram supra cælos exsollendam, quàm id obtenturum. Frustra es, aut id obtineri in terris omnino non potest, aut obtinebitur animo, animus autem nunquam erit contentus, nisi taliter auulsus sit à rebus omnibus terrenis, vt carere omnibus queat, etiam vitæ necessitatibus, & vitâ ipsâ, si ita visum

fuerit

fuerit diuinæ Maiestati ; & sicut sola vera paupertas hanc perfectam auulsionem efficit, ita sola reddere contentum potest : in illa reperiuntur omnes commoditates, quia nulla æstimatur commoditas, nisi cui acquiescat animus, quantum fieri quidem potest in hac mortali vita, quæque promoueat ad vitam beatam & immortalem, vbi plenissimè mens tandem conquiescet.

Cur ergò deseratur paupertas, vt quæratur alibi, quod nusquam, nisi in paupertate reperiri potest? An non istud centuplum est, quod Christus (a) cætera bona tẽporalia relinquentibus, promisit etiam hac in vita? quid censes? non stat ille promissis suis? & quid per centuplum istud intelligis, nisi bona spiritualia paupertatis, quæ centies sunt, relictis omnibus, potiora? Quî verò sint potiora, nisi magis expleant animum? aut denique, si magis explent, quid quæris extra paupertatem cui hæc promissa merces est, & adiunctum habet hanc animi expletionem, quod si causeris te hanc promissam centupli gratiam non experiri, nondum acquiescere animum: audi (b) Bernardum, qui hoc inde fieri ait, quod non reliqueris omnia ; nam Iesu Christo dicenti, quòd qui reliquerit omnia, centuplum accipiet, maior est habenda fides, quàm tibi, te omnia reliquisse, asserenti; & verò

(a) *Matth.* 16.
(b) *V. Bern. in decl. in ista verba: Ecce nos reliq.*

verò satis ostendis te non reliquisse omnia, aut saltem repetere, quæ reliqueras, quandoquidem adhuc aliquid expetas rerum mundanarum, aut tua paupertate contentus non viuas: nam vt omnia verè dicaris deseruisse, hæc etiam tua cupiditas deserenda est, & æquo animo ferenda rerum omnium inopia. Atque adeo, pro clausula meditationis, agnoscere debes, tam verum esse, quod sincera paupertas reddat contentum animum, vt qui contentus non est credere debeat se sinceram non colere paupertatem; itaque pro vsu huius veritatis, quandocunque senties desiderium rei alicuius, quæ præstat carere, & ad maiorem tuæ paupertatis perfectionem, ne quidem desiderare his similibusve verbis te compella: Anime mi, si melius nobis est, & plus si possidemus beneficio paupertatis nostræ, quam occuparemus, fruitione huius exigui boni, quod appetimus, cur deseramus paupertatem nostram? quid ni potiùs conamur euadere perfectiùs pauperes, magisque abstracti à rebus omnibus, cum à sola huius perfectæ abstractionis inopia, rerum copiam appetamus: & in perfecta paupertate constitutus animus, magis acquiesceret nihil habendo, quàm cuncta possidendo.

MEDI-

MEDITATIO TERTIA.

De voto Castitatis.

Adducentur Regi virgines post eam, proximæ eius afferentur tibi, in lætitia & exultatione. Psal. 44.

Argumentum in eo maximè versatur, vt demonstret nos à voto castitatis quod concupiscentiæ carnis opponitur, obligari ad semouendas domandasque omnes voluptates, quæ sensibus percipiuntur; atque in hac semotione domitioneque maiorem, quàm in earundem indulgentia, sitam esse oblectationem, & voluptatem, non enim solùm pro eo die & hora, quâ votum nuncupamus, Deoque virginum regi nos offerimus, loquitur regius Psaltes de lætitia & exultatione, sed pro omni ætate, quâ viuitur in felici illo statu, quemadmodum omni illa ætate propiùs propriusque acceditur ad eum, qui virginũ & castorum consortio singulariter delectatur. Quia verò, quod ad hoc votum attinet, sola pæne sensualis voluptas est pertimescenda, plurimi refert rectè capere, quomodo illam procul habere oporteat, quodque sumpto decreto, ab illa generosè abstinendi,

nendi, experturi simus sine comparatione voluptatem liquidiorem, quàm si illi indulgeremus.

Finis erit, vt discamus & firmiter statuamus capere voluptatem abstinendo ab omni sensuum voluptate.

Forma, in hisce punctis.

1. Multum referre, vt quis in hac materia obfirmato sit animo.
2. Hanc obfirmationem in eo consistere, vt abstineat omni voluptate sensuali.
3. Ita viui in liquidiori voluptate.

Punctum primum.

NIhil atrinet, hîc esse prolixum, paucis rem peragamus, & hanc dumtaxat veritatem tibi propone: quòd cùm hostis omnem adhibeat machinam aduersus hoc votum, nulla ratione possit illi resisti potentiùs, quàm obfirmato animo, seclusâ omni anxietate, quid fieri tum liceat, aut libeat: Vbi enim anceps est animus & fluctuans, minus habet, ad resistendum roboris; ex parte solùm se tuetur ipsa quoque gratia sine qua nihil possumus, indignata sic à nobis hæsitari, sese subducit; & hostis, qui non aliunde quàm ab imbecillitate nostra vires accipit, euadit nobis superior, fitque leo is, qui non esset nisi formica, si nos leonis instar fortiter nos gereremus. Hoc sensu in sacris litteris myrmicoleon, id est, formica

mica & leo dicitur, quod, (a) D. Gregorio teste, sicut contra ignauos & consentientes est fortis, ita contra fortes & resistentes fit debilis. Non oportet nos respondere tibi, nullum deliberationi nostræ necessarium est tempus, aiebant Regi Nabuchodonosor tres adolescentes; tam deliberatum nobis est Deos tuos non colere, vt ob nullas tuas minas simus à proposito nostro, sententiaque discessuri. Ita planè loquendum est, tam pro castitate, quàm pro fide asserenda; & voto semel nuncupato, genus infidelitatis est, dubitare, aut deliberare, num seruandum sit. O Deus! tam obfirmatus mihi videor, vt nihil pertimescam, sed, an non hic aliquod præsidentiæ periculum est, dum ita obfirmatum me gero? Fili mi, quisquis hoc sibi tribueret, suis fidens viribus, falleretur; sed obfirmare se cum mea gratia, vt faciat officio suo satis, non magis præsidentia est, quàm feciſſe votum suum; nam hæc obfirmatio sic in votis continetur, vt quisquis ita non foret animatus, non esset, vti esse illum à voto suo oportet.

(a) *Iob 4. ex vers. 70. Greg. 5. mor. 27. Dan. 3.*

Punctum secundum.

NE putes hîc sufficere quòd mala voluntate careas, aut sentias etiam bonam, quæ à malo sit aliena; nam si sic animatus non es, vt velis te priuare omni voluptate sensuali,

ſuali, quantumcumque innocens videatur, non procul aberis à lapſu in malum. Hoſtis vtitur ſtratagemate, dum exiguis hiſce aſpectuum, verborum, propẽſionum naturalium, munerum, familiaritatum & eius generis licitis, vt quidem videtur, oblectationibus proludit, vt cladem inferat tantò triſtiorem, quantò minus expectatam. Vitium voto oppoſitum, horridius eſt, quàm vt detecto vultu occurrens excipiatur; obuelat ſeſe, & prius quàm percipiatur irrepit; & quiſquis ab illo ſibi non cauet, occupabitur; quidquid enim obtineri poteſt ab ijs, qui ſibi cauent, eſt ne occupari ſe ſinant. Alibi hac de re egi fuſiùs, tu in ſignum conſtantis tui propoſiti ſume hoc lemma: *Aut lilium, aut roſa.* hoc eſt, aut inſtar lilij puriſſimè, integerrimeque viuendum eſt, aut in pugna moriendum, profuſione ſui, tam pia de cauſa, ſanguinis roſam æmulando. O ſponſe animarum noſtrarum, (a) qui item candidus es & rubicundus, tandem agnoſco, cur nolis vt oculos defigam in vultum alterius, vnde modica ad me voluptas promanaret; nempe facis hoc ex ſtudio, quo proſequeris animæ meæ integritatem; & vt ignota mihi ſit voluptas, quæ ſenſibus hauritur, nam ab hac voluptate incipit integritas animæ violari.

Pun-

(a) *V. Greg. 22. Mor. 2.*

Punctum tertium.

ITa, priuando te penitus omnibus ijs sensuum voluptatibus,(a) experiere maiorem longè voluptatem, quàm si illis indulgeres. Nam imprimis, liberaberis à perturbationibus, quæ, velut totidem apum aculei, post voluptatem relinquuntur, quibuscum, fieri nequit, vt religiosus animus conquiescat: Deinde conseruando te in perfecta castimonia, fis templum Spiritus sancti, qui gaudium est essentiale, & de quo tantumdem impertitur animæ, quam incolit, quantum ipsa gaudet se fieri eius templum, & domicilium. Profectò, si quoddam peculiare gaudium, & singularis quædam voluptas in cœlo destinata est virginibus, & ijs qui pudicitiam seruarunt illibatam, vti in Apocalypsi proditum comperimus, credere licet, illam voluptatem ab ijs, adhuc inter viuos degentibus, prælibari, cùm in cælo conferatur ex affectu singulari, quem sponsus testatum vult sponsis suis non sanè differt eas affectus sui testificationes, donec in cælo sint, sed vti viuentes adhuc diligit amore eximio, ita huius amoris effecta, cum illis quoque communicat; nimirum insignia lumina in eorum intellectu, sanctos affectus in volun-

(a) *Voluptatem vicisse voluptas est maxima.* Cypr. de bono pudic.

voluntate,& pias cogitationes in eorum memoria,vnde se sentiunt ita Deo plenos,vti D. Bernardus (a) rectè notauit, adeoque contentos, exsatiatosque, vt nulla par cùm illa voluptas componi queat. Atque hoc adeò verum est, vt, licet vniuersim omnes Apostolos suos Iesus complecteretur, singularia tamen teneritudinis indicia testari voluerit, sancto Ioanni, ob eximiam eius puritatem & innocentiam, nescilicet nesciremus hanc ab illo virturem peculiariter amari, huic, ex hac vita, sui amoris argumenta significari, & hunc amorem aptiorem esse ad oblectandam animam, quàm cæteras quascumque voluptates. Interroga, si lubet, dilectum discipulum, quales animo persenserit, vel potius ex te ipso hæc exquire: an non verum sit, quòd Deus, quoties implet animum, eundem quoque oblectet? an non verum, quòd hæc oblectatio sine comparatione præstet cuicunque alteri, & excellentia & dignitate? responde item & dic, an non ijs peculiariter, qui se priuant omni humana voluptate, hæc diuina voluptas & oblectatio concessa est? Et denique, an non igitur faciendum est, ponens esse incitamentum ad conseruandam abdicatione omnis voluptatis, suam castimoniam, si rectè nobis persuaserimus nos liquidiori voluptate fruituros, sensuali relicta, quam admissa? non est hoc voluptatem relinquere sed com-

(a) *Serm. 5. in Quadrag.*

commutare, (a) O mi Jesu fac vt eius veritatis meminerim, quoties eius exercendæ fuerit occasio, & licet eius exercitatio mihi molesta accideret, volupe tamen erit, cùm sciam hanc à te virtutem tantoperè amari, subire hanc molestiam vt tuo faciam amori satis.

(a) *V. Cassianum coll.* 12. *c.* 13.

MEDITATIO QVARTA.

De voto Obedientiæ.

Vocaberis, voluntas mea in ea.
Isaiæ 62.

Argumentum & Finis huius meditationis sit, ex magnificis hisce Prophetæ verbis, colligere excellentiam, dignitatemque obedientiæ, efficientis, vt diuina voluntas adimpleatur; & præferri hunc honorem, omnibus officijs, dignitatibus, & præfecturis, si non alio considerentur intuitu, quàm quo superbia vitæ, tertia malorum concupiscentia, eas cum voti dispendio consectatur.

Forma in his punctis.

1. Quomodo Dei voluntatem includat obedientia.

2. Quomodo hinc obedientia acquirat dignitatem perquam eximiam,

3. Quomodo dignitas hæc stimulo esse possit ad vsum huius virtutis, & ad voti obseruationem.

Punctum primum.

TRibus modis cognosci potest, qua ratione diuina voluntas contineatur in obedientia. 1. ex eo, quod ita Deus voluerit, vt alij alijs subjiciantur : non enim est potestas, nisi à Deo, ait Paulus, (a) & quod inferiores sublimioribus potestatibus subditæ sint, à Deo ordinatum est, adeoque qui viuit secundum hunc ordinem, diuinæ satisfacit voluntati.

Alter modus magis definitus est, quòd quoties obeditur, toties fiat id, quod Deus fieri vult in casu illo particulari, qui nobis à superiore manifestatur; nam nullum certius cognoscendæ diuinæ voluntatis indicium est, quàm per eum ordinem, quem is ad eam significandam instituit: atque ita, cùm agenda nobis eo ordine significantur, certi esse possumus, diuinam hîc adesse voluntatem.

At verò tertius adhuc propiùs rem quæsitam declarat; quatenus scilicet non solùm exequimur id, quod vult Deus, in substantia aut materia operis, seu vti loquuntur, materialiter, verùm etiam formaliter, seu ad eum modum

(a) *Rom.* 13.

modum & finem, quo fieri vult, agendo id, quod scimus Deo placere, propterea, quia illi placitum est, quia Dominus noster est, noster Rex, noster Deus qui hoc præscribit; & quia sumus obsequentissimi illius serui, qui cupimus illi obtemperare, exequendo perlubenter & constantissimè, quidquid vnquam iusserit, eo modo, quo iusserit, & quia id iussit. Atque hæc diuina voluntas ea est, quam D. Paulus vocat bonam, beneplacentem & perfectam, quemadmodum alibi fusiùs à nobis declaratum est. O beatos nos, aiebat ille ad filios Israel, (a) *quia, quæ Deo placent, manifesta sunt nobis*: sed ô Anime, quantò beatiores nos, qui ea opere ipso conficimus! quid enim prodest cognitam habere Domini sui voluntatem, si illi non obtemperetur, nisi ad pœnam, de cognito & non peracto officio, iure persoluendam? At verò etiam, cùm obtemperatur, obedientia tanti apud Deum est vt quisquis illius pretium rectè cognouerit, electurus sit imperata facere potiùs, quàm imperare.

(a) *Baruch* 4.

Punctum secundum.

DIgnitas & honestas, quæ executione diuinæ voluntatis accedit obedientiæ, cognoscetur ex hisce sex gradibus, qui continuò assurgentes, magis magisque excellentiam huius virtutis manifestant.

Primus est, à fine hominis, qui in eo situs est vt Dei voluntas perficiatur. nihil autem est, quo res magis extollatur, quàm consecutione finis sui, ideoque tum homo collocatur in supremo excellentiæ suæ fastigio, quando facit Dei voluntatem, cùm non alia de causa conditus sit, quàm vt illam faciat, præstat enim id victimis (a) omnibus.

Secundus est, à perfectione spirituali, & sanctimonia hominum maximè illustrium: Hæc non acquiritur, nisi ab absolutissima diuinæ voluntatis executione; Quære virum, qui maximè *sit secundum cor Dei*, (b) *& qui* perfectissimè *faciat omnes eius voluntates*, & reperisti sanctissimum inter mortales, & futurum aliquando inter cælites beatissimum.

Tertius desumitur à consideratione Angelorum, quorum summum præcipuumque encomium est, quod sint ministri Dei, ad intelligendam faciendamque eius voluntatem paratissimi.

Quartus, altiùs ad Reginam vsque angelorum assurgens, ostendit illam solius obedientiæ merito, & accommodando se diuinæ voluntati, euasisse in Dei matrem: quod adeò verum est vt ipse eius filius, Christus Dominus, non dubitauerit profiteri, se eum, quicumque fecisset voluntatem Patris sui, loco suæ matris habiturum: & responsum illud, quod dedit mulieri, beatum ventrem qui illum

(a) 1. Reg. 15. (b) Act. 13.

lùm portasset, exclamanti, an non planè cessit in commendationem obedientiæ, quando asseruit, beatiorem hinc esse matrem suam, quòd ancillæ instar, Dei dictis auscultaret, quàm quod sua mater esset?

Quintus nos admonet Filio, qui, cùm Deus sit, sua maior est matre, & tam prope quidem nos admouet, vt nulla re euadamus illi similiores, quàm obedientia, cùm ipse nihil fecerit, nisi inductus ab hac virtute, & quidquid fecit, sumat pretium (a) & valorem suum à dignitate personæ ipsius, & ab eius obedientia, ita vt illa dici possit, nos redemisse, nobis nostram salutem asseruisse. O dignitatem!

Pro sexto, denique & supremo gradu, qui in Deo desinit, obedientia in gratia exercita, nos reddit illi quam simillimos, quantum scilicet obtineri hæc à nobis similitudo potest, dum reddit nos conformes eius voluntati: non enim beneficio memoriæ, neque intellectus euadimus Deo similes, sed per voluntatem: nostra autem voluntas nunquam illi similior efficitur, quàm volendo, exequendoque, quod ille vult. Tales appellantur (b) Dij in in sacris litteris, non propterea solùm, quòd ijs diuina voluntas significata sit, sed multò magis, quòd mandata sit executioni, & opere ipso perfecta. Fiunt hac ratione boni vt Deus; sancti, vt Deus; sapientes, potentes, &

(a) *Prou.* 21 (b) *Ioan.* 10. *& ps* 81.

Deo similes, quantùm fert humana conditio; ita vt tanta majestas, alioqui maximè zelotypa Diuinitatis suæ, ne sui nominis vsurpationem vllus sibi audeat arrogare, eam tamen communem esse patiatur cum ijs, qui obedientiæ virtute præcellere & eximij esse nitantur: vnde inferas, licèt, an non secum ferat dignitatem, quæ sufficiat explendæ glorioſiſſimi cuiusque hominis ambitioni. Si circa hanc veritatem nondum acquiescit animus, lege Platum (a) de dignitate religiosæ obedientiæ: si verò satis agnoscis eius meritum & excellentiam, supplex deprecare, quod hactenus alibi, quam in præstanda Deo obedientia captaueris gloriam & dignitatem, cùm nulla sit alibi, quæ tam licitè, tam honestè, tamque meritò captetur.

(a) *Lib. 2. cap. 5.*

Punctum tertium.

VErum quidem est, stimulum præstandæ obedientiæ religiosæ sumi debere à consideratione diuini numinis, cui nos consecrauimus deuouimusque tanquam supremo rerum omnium domino, & cui votum nostrum eadem animi promptitudine atque alacritate, quâ obtulimus reddere desideramus: Quia tamen ea honoris & gloriæ cupiditas erigere se potest, seu dominandi, præcipiendique studio, seu fastidio tam promptè, atque perfectè, quàm

quàm par est, obediendi: poterit coerceri adhibitâ etiam hac consideratione, quòd nunquam tantum honoris simus præcipiendo, quantum obediendo consecuturi; quia totus ille honor, qui in imperijs est, nisi aliter, quàm illum profert congenita naturæ cupiditas, accipiatur, nihil est aliud, quàm vanus honor sæculi, quàm maledictum germen corruptæ naturæ, quàm sibilus tartarei serpentis: & quod, quæso, decus in illis, præ ea gloria, quam adiri vidimus obsequendo diuinæ voluntati? Imo è contrario, honor est, inanem hunc honorem aspernari, & meritò propterea dictum à Sapiente videtur, (a) virum obedientem non loqui, nisi victorias, nisi triumphos; cùm reipsa hostes omnes suos, Mundum, Carnem & Dæmonem expugnet: Mundum sanè, dum vilipendit eius vanitates: Carnem, dum eius cupiditates coercet, dum se penitus Deo consecrat, holocausto, quod offerri queat, perfectissimo; quandoquidem traditis appetitionibus, voluntate, libero arbitrio, facultate iudicandi, quoad actiones vitæ suæ vniuersas, nihil sibi reliquum facit; dæmonem denique, dum illi resistit, continuâ illâ subiectione, quâ pendet à nutu superioris sui, qui modus debellandi hunc hostem, non nisi cæcis ictibus, & per insidias adorientem, securissimus est. Quid ergo, anime honoris cupide? si imperandi ambis dignitatem

(a) *Prou.* 21.

vbi consequi melius illam poteris, quàm in obedientia, cuius beneficio hostibus tuis imperas, quorum aliàs imperata facere cogereris, si, quo tua te stimulat ambitio, hominibus imperares. Obediens item de mundo, cæterisque suis hostibus triumphat, quod nihil sit ad animam aliquam, eorum faucibus eripiendam, Deoque conciliandam apriùs, efficaciusque, quàm illius conuersioni incumbere ex obedientia & voluntate superiorum; sic enim Deum habet propitium & conatus suos promouentem; quin, vt nouerint homines, quanto in pretio Deus habeat obedientiam, ipsemet obedit obedienti, illius gratia facit quod aliàs facturus non esset, patrat insolita naturæ gratiæque miracula, annuit omnibus eius postulatis; obsequitur enim voluntati eorum, quos ipse habet suæ obsequentes, & sicut obediens illum præ cæteris hominibus honorat, illius se gloriæ immolando, & certissimis argumentis profitendo se illum agnoscere supremum Dominum suum, pari ratione Deus, qui glorificantes se glorificat, maiorem obedienti, quàm cæteris hominibus honorem exhibet, illius precibus, desideriis & voluntatibus morem gerendo. O Deus! nimium id honoris est illi, qui non alium ob finem vouit obedientiam, quàm ut humilis & abiectus, non autem honoratus tibi deseruiret! Fili hoc fit in documentum tuum, vt velis ea ratione mihi semper deseruire,

uire, & vt, si fortè superbia te stimulet imperandi cupidine, memineris te nunquam tantum honoris imperando, quantum obtemperando, seruiendoque adepturum.

MEDITATIO QVINTA.

De Renouatione Votorum.

Pro primo die collectionis, quâ ad Renouationem paramur.

Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua, & venit, quærens fructum in illa, & non inuenit. Dixit autem ad cultorem vineæ: Ecce anni tres sunt, ex quo venio, quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio, succide ergo illam; vt quid etiam terram occupat? at ille respondens dicit illi: Dimitte illam & hoc anno, vsque dum fodiam circa illam, & mittam stercora; & si quidem fecerit fructum: sin autem, in futurum succides eam. Luc. 13.

Argumentum meditationum, pro Triduo, quod votorum innouationem antecedit,

cedit, desumetur ex hac parabola, quam Christus nobis in sacro suo Euangelio, ob eosdem fines reliquit, propter quos innouatio instituta est. Hi fines ad tria possunt capita reuocari, quæ inter se connexa sunt, respiciuntque tres temporis differentias, præteritum, præsens, & futurum. 1. Ergo caput est, vt, quoad præterita, agnoscamus, nos non alia de causa vocatos ad religionem, quàm quâ plantatur arbor in horto quodam, nempe ad fructus producendos, congruos vocationi nostræ. Secundum, quoad præsentia, est, vt expendamus seriò, num tales fructus, vti par esset, proferamus. Et tertium quod futura nos versari, nisi prouiderimus, in summo periculo amittendarum diuinarum gratiarum, & labendi in miserrimam conditionem animæ à Deo destitutæ. Atque istud est, quod parabola nobis proponit ob oculos, & cui seriò debemus animum applicare, iuxta votum illud Moysis, quod S. Bernardus in rem nostram præsentem conuertit: *(a) Vtinam saperent & intelligerent, ac nouissima prouiderent!* Ordiendo igitur hodie à præteritis, intuebimur beneficium, finem, & obligationem vocationis religiosæ, vt tantò clarius deinde pareat, vtrum pro eo, ac debemus, illi satisfaciamus,

Finis huis meditationis erit, sese confirmare intelligentia & assensu huiusce veritatis:

(a) *Deut. 32. v. Bern. serm. 2. de Apost. Pet. & Paul.*

tatis: ideò nos ad religionem vocatos, vt intra fructus edamus consentaneos vocationi nostræ.

Forma in hisce punctis, quæ vberem materiam suppeditant.

1. De beneficio vocationis.
2. De fine & fructu vocationis nostræ.
3. De obligatione pertingendi ad hunc finem, & hunc fructum producendi.

Punctum Primum.

S. Paulus, (a) de negotio salutis tractaturus, passim initium facit ab agendis Deo gratiis, & demonstratione tenerrimi sensus, ob collatum ijs (ad quos scribebat) vocationis beneficium. Ratio verò hinc exordiendi est, quod, cùm beneficium hoc, sit fundamentum & fons omnium gratiarum nobis collatarum, item & obligationum, quibus tenemur illi respondere, nunquam simus satis harum gratiarum & obligationum magnitudinem agnituri, neque quid neglexerimus, aut quantum defuerimus officio nostro; nisi priùs agnouerimus, esse à sola Dei benignitate, quòd viuamus in hoc statu, esse illam benignitatem eximiam, & misericordiam omnino singularem, quàm nobis exhibuit, præ tot alijs, qui virtute nos & meritis antecedebant, qui minus, quàm nos, illum offenderant, quique

(a) *Rom.* 1. 1. *Cor.* 1.

que maius fuissent obsequium illi præstituri. (a) *O fons amoris perpetui, quid dicam de te* ! vide reliqua loco citato.

Si sentiamus animum commoueri, quod fieri pronum est in hac materia, tam tenera, laxandæ sunt affectibus habenæ, & permittendum animo, vt excurrat in commendationem huius tanti beneficij, quod nunquam satis agnosci neque pro dignitate commendari potest: si verò tam vehemens affectus non est, sitque intellectui libera ratiocinandi facultas, reuocare potes ingentia emolumenta huius diuini beneficii, ad illa sex, quæ duobus versiculis Psalmi 114. continentur: *Eripuit animam meam de morte, oculos meos à lacrymis, pedes meos à lapsu. Placebo Domino, in regione viuorum.* Vbi, cum Regio vate, aduertes in priori versiculo, Deum nos inprimis à triplici ingenti malo vindicasse: primò à morte animæ, quæ mors est sempiterna, actum erat de nobis, perieramus, nisi Deus nos respexisset. Deinde, à miserijs tum spiritualibus tum temporaneis, quibus mundus, sine vllo ad salutem commodo tam refertus est. Tandem etiam à continuis labendi, & non in dies modò, sed & momenta singula peccandi periculis & occasionibus, in quas ruere videmus plerosque mortalium & turmatim alios ab alijs propelli. In posteriore autem versu tria videbis emolumenta, quod nullum aliud tibi

(a) *Lib. 3. Imitat. Christi. c. 10.*

tibi negotium incumbat, quàm vt placeas Deo: quod in regione viuas & societate eorum, qui promouere eò te possunt: & quòd in securo sis itinere, quo pertingas ad vitam immortalem, vbi pars maxima beatitatis erit: certos esse, quòd illi placeamus. An non videntur hæc ampla ad cogitandũ argumenta? an non efficacia cogitantibus, ad excitandos tantorum beneficiorũ memores, gratosq; affectus? O Deus adijce hoc istis, quæso, beneficijs, vt memorẽ me gratumq; illis exhibeam.

Punctum secundum.

EST finis quidam communis omnibus hominibus vt scilicet seruiant Deo atque illi seruiendo, eiusque mandatis obtemperando, asserant salutem suam; Est quidem peculiaris religiosis omnibus, vt obsequendo, diuinis consilijs, quæ in votis religioni nuncupatis continentur, incumbant perfectioni suæ; sed & est alius peculiaris cuique religioso, iuxta cuiusque institutum & gradum vel munus, quod tibi obtinet, vt nempe quivis attendat conseruandis donis sibi diuinitùs collatis, vt partes omnes muneris sui exequatur, cùm ex superiorum suorum arbitrio, tum pro modulo gratiarum, quas ad hoc, omnino singulares & congruas, accepit. Quemadmodum ficulnea hæc Euangelica, arbor erat, quam ratione loci, temporis ac cul-

culturæ,oportebat æquè,atque aliàs,fructum proferre,sed fructum peculiarem,sibique proprium,atque ab aliarum fructibus diuersum ficum enim edere debet ficulnea, vt cerasus cerasum, pomus pomum, & ita de cæteris: ita propter fructum aliquem peculiarem scias ad religionem te vocatum, ibi te plantatum,irrigatum,excultumque. Considera paulisper,quis ille sit,qui à te exigitur; neque inhære dumtaxat æternæ cuidam actioni, ad munus tuum spectanti, quasi nihil à te præter eam, desideraretur, sed scrutare mentis penetralia, quæ Deus scrutatur & in quæ semper intentos habet oculos: Intuere indolem à natura tibi congenitam, expende gratias,quæ tibi promptæ sunt ad eam excolendam, adeoque perficiendam vt sanctus euadas. (a) Certè hunc finem, & non viliorem fructum exspectat à te IESVS tuus: sed quia varij sunt gradus sanctitatis, tuum est, cognoscere,quis ad te pertineat, cognosces autem,explorato statu tuo naturali, & supernaturali:hoc est indole tua, & gratiis quarum ope potes efficere,vt illa virtutis habitum induat,vnde omnes tuæ cogitationes,tua dicta, factaque, tanquam à virtute promanantia, condecorentur,vt illi placeas, qui te hoc in loco collocauit,vt tali gradu virtutis placeres quo mereris tandem aliquando illi placere in eo

(a) *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra.* 1. Thess. 4.

eo cœlestis gloriæ gradu, quem ille tibi destinauit. Quid videtur ? punctum hoc magni momenti est ne leui pede illud transilias; in eo consistit negotium salutis & perfectionis tuæ, vt satagas cognoscere, & reddere hunc fructum peculiarem, quem à te Deus expectat. O Deus, iam nunc vehementer metuo ne sim infelix illa ficulnea ficu vacua, satis enim iam nunc animadverto exiguam me dedisse operam, vt inquirerem ignoscerémque quid à me peculiariter, in hoc vitæ statu, expectares.

Punctum tertium.

QVis finis iste sit, & quis fructus peculiaris, à te expectetur, penes Deum est & conscientiam tuam: at obligatio satisfaciendi tanta est, vt arbor non tam teneatur fructum suum edere, quàm tu tuum. Ita sanè nihil excogitabis, quo teneatur illa prodesse Domino suo, vt non sis reperturus grauiores causas, quæ eò te magis obstringant: duodecim omnino, alibi protuli in medium, in classes quatuor tributas, ex rationibus diuinis supernaturalibus, humanis & naturalibus, quæ singulæ nos ad excolendam naturam & ad spiritualisandam, (a) vt sic loquar, indolem nostram devinciunt. Permagni interest, earum nonnullas diligentiùs agita-

(a) *Lib. de ordine. p. 3. d st. 8.*

agitare animo, & quibusuis excogitatis rationibus ad officium suum sese cogere, quandoquidem corrupta natura tot falsò causas prætexat, quibus nos inde possit auocare. Age tantus Deus, quantus est noster ipse Iesus, qui tanta nostri causâ fecit, tulitque, innumerus numerus tot gratiarum nobis collatarum, & de quibus exactissima ratio exigetur, negotium tam graue, nostræ salutis & perfectionis; temporis, ad comparandam bonorum vel malorum æternitatem, tanta brevitas; professio tam solemnis volendi Deo deseruire in statu quodam perfectionis, & in perfectione sui status; iudicium Dei horribile aduersus negligentes; tot exempla pœnarum ab ijs exactarum; tot aculei conscientiæ nostræ, & denique totidem incitamenta, quot in sacris litteris pagellæ, quot lineæ, quot voces: hæc, inquam, omnia non haberent vim cogendi nos ad officium? (a) quomodo ergo implebuntur scripturæ? an fortè credes te minus iis teneri, quàm Dei Filium? si nescis, quibus verbis sacræ literæ inuectæ sint in negligentiam tuam, & in tuam naturam, quam tu in vitio tuo sustentas & foues, sanè perquam ignorans es: si verò scis, admodum es præfidens quòd ab iis non sinas te percelli. Fortasse cogitasti hactenus, vbi de peccato graviore & mortali non agitur, ibi grauem non esse obligationem: sed nisi hanc cogitationem excusseris,

(a) *Matth. 26.*

feris, periisti, ac egrè te colliges, nisi eidem obnunties quàm primùm, & nisi agnoscas perinde suas timori filiali, atque seruili esse obligationes.

Quem timor filialis non mouet, neque movebit (a) seruilis; nam ad hoc dumtaxat seruilis adhibetur, vt paretur aditus ad filialem: & filius si parenti diceret, se ad obsequia illi præstanda non teneri, eò quòd mancipii iure non teneretur, quid illi regereret parens? Ah Deus, pudori mihi est, audire te de hac materia loquentem, sed loquere, & ita me pudore opprime, vt nihil contra mutire possim, vtq; conuincar obligationum, quibus teneor posthac tibi fideliùs deseruire, quàm fecerim hactenus.

(a) *V. Augusti. tract. 9. in. ep. Ioannis.*

MEDITATIO SEXTA.

Pro secundo die Collectionis.

Ecce tres anni sunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio: succide ergo illam, vt quid etiam terram occupat? Luc. 13.

ARgumentum desumptum ex hisce verbis proponit, congruè ad præcedentem me-

meditationem, quomodò soleat Deus visitare animas nostras, & quærere fructum, effectumque gratiarum nobis concessarum, quomodò periculum sit, ne quæsitum & debitum à nobis fructum non inueniat: item expostulationem, & minas, quas intentat.

Finis hoc præcipuè spectabit, vt agnoscamus sterilitatem animæ nostræ, defectum fructus à nobis meritò producendi, quo tandem consulere nostris rationibus incipiamus.

Forma in hisce punctis.

1. De Cura, quam de religiosis animabus Deus gerit singularem.

2. De defectu mutuæ operæ, & fructûs, quem illic inuenit.

3. De causa expostulandi, minandi puniendique, æquissima.

Punctum primum.

QVando sapiens affirmat (a) *æqualiter Deo curam esse de omnibus*, clarè innuit, nullam omnino rem reperiri, cuius ille curam non gerat: sed cùm aliæ, præ aliis maiorem requirant, pro diuinorum consiliorum varietate, sanè Dei prouidenta, æquo suo iure vtitur dum quasdam præ aliis curat, atque vsus est sua potestate, dum quasdam creauit aliis præstantiores, aut dum has præ illis ad maiora

(a) *Sapient.* 6.

iora pro arbitrio suo destinauit, *Nunquid de bobus cura est Deo* ait (a) Paulus: imò verò est, sed non pariter, atque de homine quem præ cæteris de rebus creatis diligit, quæ non perinde, ac ille, pollent vsu rationis, neque facultate Deum cognoscendi & amandi, & vti dubiũ non est, quin Deus inter homines, tametsi omnes charos habeat, alium tamen alio habeat chariorem, ita fateri oportet, eum gerere maiorem curam illorum, quos arctiùs complectitur; hac enim cura peculiari, prodit amorem suum singularem: si electa dicitur ciuitas Ierusalem, & Israelis (b) populus præ cæteris gentibus & tanquam pupilla oculi dilectus, an non hoc inde est, quòd eius maiorem, quàm cæterarum vrbium & gentium curam suscepisse videretur? Etiam Christus Dominus sæpe testabatur (c) Apostolis suis, de ijs, esse foreque singulari quodam studio sollicitum, & Apostoli Christianos reddebant securos de hac prouidentia, quæ non esset minùs futura, ad conseruandos illos, quos vocauerat ad Dei cognitionem, seruitutemque fidelis, quàm fuerat ad locandos prona benignaque. Huius certissima demonstratio est in tribus primis capitibus Apocalypseos, vbi Christus se visendum obtulit S. Ioanni, iisq; verbis illum alloquitur, quæ satis prodũt, qualẽ de Episcopis Deoq; dicatis

(a) 1. *Cor.* 9. (b) *Is.* 41.
(c) *Luc.* 12. & 22. 1. *Thess.* 5.

dicatis hominibus, de quibus hic sermo est, curam gerat. Et vt neminem latear, eo illum more se gerere aduersus omnes, quos amat disertis verbis profitetur, *se, quos amat* (a) *arguere & castigare*, vultque istud publicè illis denuntiari, vt quam ille adhibet in monendo diligentiam, eandem illi redhibeant in auscultando, & vti ille promptus est ad eos invisendos, & ex interuallo, excitandos, ita eos pariter ad sui exceptionem paratissimos experiatur. Sicut ergo religiosis causa est, cur agnoscant gratias peculiares quas diuina bonitate perceperunt, ita persuasum habeant oportet, a se adhuc inter viuos constitutis, exigendam earum rationem; Deum velle earum fructum atque effecta cernere; ideo adire ad se, ac visitare mentis interiora, non secus ac reliqua, per superiores suis temporibus excutiuntur: & si reddere debeant rationem rei familiaris, bonorumque terrenorum, non minori iure, de bonis cælestibus præstandam. Sunt etenim conductores & villici illi, quibus dicitur: (b) *Reddite rationem villicationis vestræ*: sunt negotiatores, quibus idcirco talenta concredita sunt, vt ijs quæstum faciant, restituantque cum fœnore: sunt *terra illa, quæ sæpe venientem super se bibens imbrem, debet generare herbam opportunam illis, à quibus colitur*. Sũt denique hæc arbor, hæc ficulnea, ad quam ipse Dominus inuisit,

(a) *Apoc.* 3.
(b) *Luc.* 16. *Matth.* 25. *Hebr.* 6.

inuisit, & crebrò quidem, & animo fructum aliquē ex ea percipiendi. Quæ omnia reapse tam vera sunt, atque de illis verè proposita est parabola. Quid istorum credis? quid istorum te afficit? num animaduertisti hasce visitationes? an pro merito visitantem excepisti? an feciſti illius voto & expectationi satis? Hæc sunt, quæ agnoscere nunc debes, & post humillimè actas Deo gratias, de tam sollicita tui cura, obtestare illud, vt tibi patefaciat statum animæ tuæ, sterilitate & malignitatem illius, tuas negligentias & defectus. O Deus, cùm mihi non minùs necessarium sit gratiæ tuæ subsidium ad cognoscenda mea vitia, quàm ad ea non admittenda: largire mihi hanc gratiam, quâ cognoscam malum, quod admisi bonum omittendo, quod satis sciebam omitti sine scelere non posse.

Punctum secundum.

HIc enimuerò clarè & intelligere & loqui oportet, sepone metaphoras & figuras omnes, vt reuera cognoscas, quis esse deberes, & quis non sis. Interdum Deus anteuertit omnem intellectus operationem, & tametsi peccata sigillatim non proponat ob oculos, tantum tamen eorum sensum animo subijcit, vt toti diffluamus in lacrymas, & eorum detestationem. Aliquando detinebit nos consideratione duarum, trium ve noxa-

rum, quæ maximæ nos grauant, & circa illas suis vtetur in nos exprobrationibus vnde pudore suffundamur. Quòd si nullam sentiamus insolitam animi commotionem, & mens sit ad ratiocinandum meditandumque expedita, sumatur aliqua series virtutum, & circa earum singulas hæc tria expendantur 1. Quæ fuerint partes nostræ, quæque obligatio exercendi hanc virtutem. 2. Quid in ea omiserimus, quod agi oportuisset. 3. Quid commiserimus aduersus illam, per actus illi contrarios. Vnde oriuntur affectus contritionis, confessionis pœnitentiæ, & alii secundum gratiam, quam Deus suppeditabit.

Punctum tertium.

QValemcumque vitiorum tuorum notitiam adeptus tibi videaris, crede tamen & plura numero & magnitudine grauiora adhuc te latere; metue, ne ex his aliquod sit mortiferum: agnosce, venialium culparum pleraſque esse à negligentia, ab immoderato affectu, & à malitia, qui sunt tres peccatorum fontes maximè periculosi, & de quibus seueriſſimas pœnas exigere Deus consueuit. Audi præcipua capita, propter quæ meritò de te queri, & castigare te potest.

Primò, immerenti tantas gratias vltrò contulerat, vt vel ob istos peculiares fauores æquissimum fuisset te maiorem conferre dili-

diligentiam, qua ijs responderes, & illi satisfaceres.

Secundò, aliqua tantùm vigilantia opus erat, & moderatione, qua naturam tuam eiusque propensiones subijceres rationi & gratiæ: at tu illis obsequi, quàm Deo tuo maluisti.

Tertiò, si de damno tuo agebatur, non erat illud, nisi modici honoris, voluptatulæ, vel commoditatis alicuius, & quid hæc omnia, si cum gratijs componantur quarum tu damnum subijsti, maximè, cùm tibi religioso non fuerit amplius integrum sectari honores, voluptates neque commoda temporalia, cum incommodo seruitij ipsius & suæ perfectionis, non magis sanè, quàm si viuere desijsses? tum etiam, quod modicam illam, quam feciſſes, talium bonorum cessionem, poterat ipse pro sua potentia & bonitate abundè rependere, & centuplo maioribus compensare: & tu interea, nulla habita ratione promissorum ipsius, neque tuorum, nihil spectas aliud, quàm commoda tua, tua emolumenta, vel potiùs tua damna. Hoc enimuerò nimis quàm iniquum est.

Quartò, si causaris fragilitatem naturæ tuæ & virtutum difficultatem, an nescis, à te nihil exigi, nisi cui perficiendo paratam habes gratiam, nisi quod alij plures hactenus, & his maiora, perfecerunt, nisi quod tu ipse aliàs in tyrocinio, peregisti, quodque cùm lubet, satis potes?

Quintò, si difficultatem aliquam experiris, tota illla à defectu virtutis, animi, amoris, aut considerationis oritur: nam si polleres virtute, non modò non molestiam, sed meram etiam voluptatem sentires; & apud animum tuum si pœnas expenderes, quas tu promeruisti, quas sæculares huius vitæ gratia subeunt, quas ipse, alia, quàm perfectionis tuæ promouendæ, causa, tibi ipse toties creas, quas IESVS & sancti sustinuêre; & præterea gloriam æternam, quæ illarum est merces: exclamare cogereris cum D. Paulo, (a) *non esse condignas passiones ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis*, aut profiteri, D. Paulum in hisce verbis fuisse hallucinatum.

Sextò, cùm mundo nuntium remittebas, cùm nuncupabas vota in religione, quando deinde, vbi sperare potest, sensisti te moueri aliquo perfectionis tuæ desiderio, qui stimuli, quæ argumenta, quales considerationes te permouebant? Ecquid, an non illi simili, illæ rationes æquè modò veræ, ac legitimæ sunt, atque tum erant? minúsne nunc amabilis est Deus? minúsne tu propterea illius seruus es, quod eius domum diutiùs inhabitaris? minimè profectò, sed quia ætate iam processisti, & iunioribus antestas, tibi ipsi fucum facis, cùm è contrario agnoscere deberes, tibi ab ætate grandiori, à maiori vsu rationis, ab isto gratiarum affluxu accedere

(a) 2. Cor. 4.

accedere maius onus officio tuo satisfaciendi.

Septimò, quam à studijs, ab officio negotiorum tuorum mole prætexis excusationem, inepta est; nam Deus aliud à te obsequium non expetit, quàm in tuis studijs, & officio, modo eius intuitu & vti par est, illa peragas; atque ita tibi cuncta cadent feliciùs, si nihil spectes in illis, nisi Deum: quidquid enim alterius cuiuscunque boni spectaueris, nihil ad Deum est, quem consequi in illis potes.

Octauò, quid feciſſe te velles, hora mortis & iudicij impendente? & cur illa potiùs hora, quàm modò, nisi quod modò careas timore Dei pariter & amore, qui eò te stimulent, quod flagres amore tui, qui inde te auertit, & quod ampliùs te diligas, quàm Deum; alia præter hæc momenta sunt, præsertim ex parte amoris; sed capere illa non potes, nisi priùs hæc te permoueant.

MEDITATIO SEPTIMA.

Pro tertio die Collectionis.

Domine, dimitte illam & hoc anno, vsque dum fodiam circa illam & mittam stercora; & si quidem fecerit fructum, sin autem, in futurum succidas eam. Luc. 13.

Argumentum elicitum ex postremis verbis propositæ parabolæ deducere nos debet in clariorem notitiam huius pœnæ horribilis, quæ euenit animæ improbi religiosi, quæque nobis exhibetur in comminatione facta siculneæ, vt succidatur : & quidquid sit de præteritis, in futurum maximè metuenda nobis est hæc comminatio, nisi seria morum emendatione, & perfecta spiritus innouatione prospiciamus.

Finis est, sic agnoscere periculum nostrum, vt ad prospiciendum moueamur.

Forma in hisce punctis.

1. Qualis sit pœna, quæ in comminatione siculneæ facta, exprimitur.

2. Periculum esse, ne propter præterita, & multò magis propter futura in miseriam illam

lam incidamus, nisi prouiderimus hac innouatione.

3. Quam prouidentiam, & quale remedium adhibere oporteat.

Punctum Primum.

OMissis pœnis alterius vitæ, quæ vitæ præsentis pœnas consequuntur, neque multa etiam ducta ratione pœnarum temporalium, earumque quæ sensum afficiunt, inducere in animum debemus, malum grauissimum, quod improbo religioso accidere possit, itemque pœnam periculosissimam, quam illi Deus denuntiat, esse, si priuet illum suis gratijs, si resecet ab interna spiritalique sua gubernatione, si licentiæ effrenatæ illum permittat, si denique patiatur, vt iam punitione euadat improbus, quem priùs sua malitia malum fecerat. Nota progressum qui in vitijs nostris solet euenire: Primò, non sunt, nisi effecta quædam concupiscentiæ, aut tentationis alicuius. deinde affectus sese insinuat, tum denique sequitur malitia, quæ captat eorundem patrandorum occasiones, quæque se in malis suis excusat; vnde oritur peccandi consuetudo, durities animi, obcæcatio, & obstinatio, quæ Dei pœna est, ita prima scelera castigantis per secunda, & secunda per derelictionem & subtractionem gratiæ, quâ miser destitutus, non poterit, vt prius, ab improba

proba peccandi consuetudine sese reuocare. Atque ita peccator euadit punitione improbus, qui se talem sua malitia reddiderat, qui status periculosissimus est, in quem incidere religiosus queat; nam non facilè inde emergit, cùm Dei sit pœna, & hæc pœna in eo consistat, vt denegetur gratia sine qua fieri nequit, vt se colligat, emergatque. Et hæc maledictio, quæ cadit in terram illam, cuius meminit (a) Paulus, quæ *super se venientem bibens imbrem, proferens autem spinas & tribulos, reproba est & maledicto proxima*, vbi reprobatio siue derelictio licèt nullum aliud illi malum, præter prius istud de nouo inferatur, dicitur eius maledictio quippe tota ipsius maledictio est, spinas proferre, quas iam priùs producebat; sed priusquam adhibebatur ijs euellendis cura, nunc verò posteaquam deserta est, spinæ succrescere sinuntur, & de inferendo in terram igne dumtaxat cogitatur: pari modo, anima religiosa, per nimiam morum licentiam fit improba & misera, resipiscendi tamen modus est haud difficilis, quamdiu Deus hanc pœnam illi non infligit, vt non possit nisi ægrè resipiscere, aut etiam, vt non agnoscat miseram, in qua versatur, conditionem, & nullo penitus periculi metu tangatur. Istud reipsa accidit illi ficulneæ, cui Christus suis verbis maledixit: (b) *Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum.* An non

(a) *Hebr.* 6. (b) *Matth.* 21.

non prius erat sine fructu? equidem, sed eò tamen redacta non erat, vt fructum non ferrer, nisi post maledictionem. Ita, licet eædem solùm culpæ admitterentur, neque in speciem, quis prior euaderet, tamen in statu versatur is periculosiori, quatenus in vitium iam obdurescit defectu gratiæ meritò subtractæ, qui cum illius auxilio facilè corrigere se potuisset. An non istud est, quod dicitur invitatis, qui venire ad cœnam recusarant: (a) *nemo illorum gustabit cœnam meam*? malum illud dumtaxat illis intentatur, quod iam subibant sed eorum malitia iam abit in pœnam, vt si deinde præstare vellent, quod ante noluerunt, tam facilè tamen non possent, simile verò est serpentem humi prius reptasse, quàm eò damnaretur, dicta illi nihilominùs imprecatio est, (b) *vt super pectus suum graderetur*, adeo vt in hoc non habuisset à natura, vi sententiæ aduersus illum pronuntiatæ fuisset eò redigendus. (c) O quàm horrendum est incidere in manus Dei viuentis? sed quantò horribilius est excidere illis manibus, eius cura destitui, quantumuis nihil pati videamus? Hæc summa & postrema pœnarum est: (d) Apage, procul à me, pœnas à te non exigam amplius; i, quò desideria cordis tui te

(a) *Luc.* 14.
(b) *Gen.* 3.
(c) *Heb.* 10.
(d) *v. Ezech.* 16. *& ps.* 80.

vocant; prosequere, quod natura dictat & genius. Absit ô Deus! ita scere, quæso, aduersus me, plectendo me potiùs alia quacunque pœna, quàm illa quæ tum subitur, cum desinis irasci, & nos cupiditatum nostrarum arbitrio permittis.

Punctum secundum.

QVando monet nos (a) Sapiens, ne de peccatis, licet confessis remissisque, simus sine metu, facit, vt circa præsentem materiam nos instruat, nos, tametsi securi essemus de peccatorum indulta venia, non tamen certos esse de pœna non exigenda, nam post culpæ condonationem, non continuò sequitur impunitas sed pœnæ restant Deo persoluendæ, quarum vna, vti mox dicebamus est, maiorem experiri difficultatem ad bonum præstandum, quàm priùs, & maiorem ad malum facilitatem, vnde fiat, vt à bono abhorreamus, & proniùs feramur in malum: quod cùm ita sit, an non satis est causæ, cur metuas, ne præterita tua peccata te reddant obnoxium huic pœnæ? ne te puta, quàm sis, nocentiorem, sed neque te nimiùm palpa: non exonerat te aliorum peccantium numerus, & quamquam inter omnes vnus punirere, queri de iniuria non posses. Nihil tam arcanum est, neque tam metuendum, quàm Dei iudicia,

(a) *Eccl. 5.*

cia,qui cùm gratiarum suarum sit arbiter & (a) Dominus illas largitur & negat pro summa sua potestate,quibus vult , neque fas est vlli expostulare , cur ita disponat. Et non existimes maximos peccatores semper maximè destitui,aut sola illa scelera , quæ tu grauiora censes , & quorum te reum non agnoscis,esse quæ hanc derelictionem mereantur; crede,te satis admisisse, vnde plecti merearis; subinde ab vno veniali peccato reddi aliquem huic pœnæ obnoxium;à tali culpa , quæ leuis hominibus videtur sæpe diuinam iustitiam grauius irritari. Coniice in Saulem & Dauidem oculos , videntur illorum crimina ne comparari quidem posse , imò Saulis esse leuissima,si cum Dauidis flagitiis conferantur; & tamen (b) Saul proiicitur, derelinquitur, non autem Dauid,vt discas,si nescis,ob multitudinem tuarum noxarum metuere, saltem vereri ob reuerentiam eius , qui earum est Iudex.

Verùm, vt vt sit de præteritis , & vt Angelus tuus tutelaris causam tuam egerit,vti profículnea locutus est cultor vineæ : hoc iam agitur, vt te emendes , ea solùm lege condonata est pœna;putásne, si anno sequenti nihil proruliset ficulnea, post maiorem adhibitam culturam , parcitum illi fuisset? Et tu , post hanc innouationem , & lustrata à Deo interiora tua,nisi fructum feceris , an non cense-

(a) *v. c. 9. ad Rom.* (b) 1. *Reg.* 16.

bis te magis reum, quàm fueris ante hanc collectionem, & priùs quàm hisce cognitionibus illustrareris? Benè sperare te oportet, & indulgere affectibus amoris, quantum eos diuina bonitas tibi impertiri dignabitur; sed nisi erumpant in opus, & nisi tu seriò cogites cauere vitia, quæ heri in tua viuendi ratione aduertisti, certus esto, te tantum causæ habere, vt metuas, puniri hac postremâ diuini numinis vindictâ, quantò minus metuis causam præbere te puniendi. Non est hoc sperare sed nimiâ efferri fiduciâ, si non timetur, vbi sanctissimus quisque contremiscit. Non est illi Dei amor, sed sui, vbi ad hoc quæruntur amoris argumenta, vt molliùs commodiusque viuatur; non est hoc vacare collectioni, quæ ad renouationis gratiam disponat animum, si non apprehenditur necessitas reuocandi se ad frugem meliorem. (4) O Deus, concede, quæso, vt cogitem potiùs, quid agere me oporteat ad euadendam hanc miseriam quàm vt insistam huic miseriæ cogitandæ! Fili, nunquam melius prospicies malo futuro, nisi perspecto melius eius periculo & miseria.

(a) *V. Eccl. 2.*

Punctum tertium.

POstea quàm igitur egeris humillimè gratias diuinæ bonitati, quod te pro merito tuo,

tuo non destituerit, postquàm insolito contritionis affectu veniam efflagitaueris, nota quid vinitor dicat se ficulneæ præstiturum; nempe, se ablaqueaturum illam, circumfodiendo, deinde, se missurum stercora. Hæc sunt, quæ præstare debet gratia innouationis, & ad quæ cõparandus es, vt plus fructuum, quàm feceris hactenus, producas. Abdicare se amore & æstimatione sui ipsius; exuere se omnibus naturæ cupiditatibus, quoad honorem, opes & voluptatem; nihil eorum deniq; desiderare, quæ naturæ genius prosequitur: hoc sanè est ficulneam ablaqueare. Sed ad illam rectè stercorandam, omnino opposita expetenda sunt; capis quid sit fimetum? est enimverò quidquid abiectissimum est, & maximè contrarium naturæ: est vilipensio tui ipsius, contemptio honoris, amor contemptionis tui, tuorum incommodorum, tuæ depressionis, & tuarum ærumnarum. Si præbes aurem gratiæ te alloquenti, & illius ductibus & desideriis te accommodas subibis in statum hunc felicissimum tantumque proficies futuris temporibus, quantum præteritis neglexisti; at si audire nolueris non magis verum est actum esse de te, nisi plus fructuum feras, quàm est certum, te nullum producturum, nisi relictis naturæ studiis, contraria gratiæ sequaris: nam hæc vna cuæ animæ causa est, quod naturæ propensionibus abripi te linas: quibus seriò & ex animo nuntius

tius remittendus est, vt promerearis gratiam perfectæ innouationis spiritus, & vt in ea te gratia conserues. O mi custos Angele præsta mihi optata hæc officia? anime mi, intenti simus in occasiones, nam illic operam suam præstat Angelus noster.

MEDITATIO OCTAVA:

Pro die Innouationis, & de spiritu vitæ religiosæ.

Quis mihi tribuat, vt sim iuxta menses pristinos secundùm dies, quibus custodiebat me Dominus, Iob c. 29.

Argumentum demonstrabit, dari gratiam innouationis, quæ vim habeat restituendi nos in primum statum feruoris, eiusque spiritus, quem nos vnà cum vocationis beneficio acceperamus, & à quo potuissemus, cum tempore forsan excidisse: eam gratiam conferri, dum vota iteramus; tantò ampliorem, quantò perfectiùs illam exoptauerimus: ideoque debere nos vti verbis & exemplo Jobi, cuius vita fuit vera nostræ innouationis imago.

Finis erit, vt discas pandere sinus omnes cor-

cordis tui per desideria tam inflammata, vt merearis accipere gratiam innouationis copiosissimam, & perfectissimè renouari.

Forma in hisce punctis.

1. Dari aliquam gratiam innovationis spiritus.

2. Illam dari vota iterantibus.

3. Tantò dari copiosorem, quantò magis desideratur.

Punctum primum.

QVandoquidem assumpserimus verba Iob, veluti fundum & arcam in qua meditationis nostræ materiam firmemus, & ex qua finem nobis propositum educamus: operæ pretium erit initio videre, quàm eius sancti viri vita fuerit præclara effigies innouationis nostræ quamque apta sit, ad clariorem huius intelligentiam animo imprimendam.

Considera tres status, in quibus fuit. Primò, priusquam tentaretur, quando pacata omnium bonorum possessione fruebatur; secundò, in ipsa tentatione, quando illa sua fortuna excidit nulla re, ex bonis omnibus, sibi præter vitam, relicta: & tertiò cùm rediit in priorem statum vbi duplicato fœnore recepit vniuersa. Ad hũc modũ religiosus sese innouãs considerare se potest in statu triplici: in priori, quando religioni nomen dedit, versaba-

turque

baturque in primo vocationis suæ feruore erat omnium mortalium felicissimus. In altero, cùm ab ardore isto remisit, cùm succubuit tentationibus, quæ illum præcipitarunt in statum, tepiditatis & languoris, ipsa Iobi conditione, licet (a) in fimo miserrimè confidentis, calamitosiorem, quandoquidem Deus nunquam dicturus fuisset de Iobo, quod de lepido homine pronuntiauit, se pati illum non posse, illius nausea euerti sibi stomachum, se illum vomitu proiecturum. In tertio denique statu, quando per innouationem spiritus, recipit duplicatum feruorem suum, & Iobi similitudinem absoluit. An non hic abunde est, cur stupeas laudesque Dei tui Potentiam, Bonitatem & Sapientiam? Potentiam in primo statu, quod te mundi periculis eduxerit, vt bonorum, quæ in religione sunt, faceret participem: eius Bonitatem, quod te sustinuerit prima sua gratia tam turpiter abutentem; & eius Sapientiam, quod tibi prospexerit de modo facili, & ad priorum bonorum recuperandam possessionem, tam efficaci? Ipsæ tuæ te perfectiones laudent ô Deus, quia tam immensæ sunt, vt comprehendi, nisi à seipsis non possint. Hisce breuiter, sed piè consideratis. Insiste paulò attentiùs huic animaduersioni, quod hæc gratia renouationis spiritus, non sit mera ceremonia pronuntiandi formulam votorum

(a) *Iob.* 3.

rum suorum, neque solum sumendi sacram Synaxim, aut peragendi alia pietatis exercitia, quæ tum vsurpantur, sed quod reipsa tum conferatur gratia, cuius meminit Apostolus, (a) nos monens, vt renouemur spiritu, cuius ea vis sit & meritum, vt eius intuitu Deus animam eripiat è misero statu tepiditatis, in quem inciderat, ac restituat in primum vigorem ardoremque, nec primum modo, verùm etiam maiorem, quàm cum primo diuinis obsequijs se mancipauit, iuxta dispositionem, quam adferat huic diuinæ gratiæ recipiendæ.

Cùm enim moneamur, vt ea ratione renouemus nos, neque facere id possimus absque gratia aliqua peculiari, quæ nos in statum illum restituat, necessaria consecutione sequitur, esse aliquam, quæ habeat hunc effectum peculiarem, vti notum est, gratijs Sacramentorum, & ijs, quæ gratis datæ dicuntur, suos esse proprios & peculiares effectus: Ita proprium est huic gratiæ Innouationis, sic spiritum restaurare, vt amplius non affligatur istis languoribus & miserijs, à quibus humi serpebat potiùs, quàm decurrebat viam diuinorum mandatorum. Est instar perfectæ sanitatis, post diuturnos corporis morbos recuperatæ; aut similis recenti adolescentiæ, quam vitæ fructus olim in paradiso restituisset, si in innocentia, constitissemus; aut denique

(a) *Ephes.* 4.

nique instar restitutionis Iobi quæ optimè exprimit huius gratiæ facultatem. O quanta felicitas, quantæ opes, qualis è cælo fauor! fierine poterit hodie, vt reuocer in statum vitæ pristinum, vbi solius Numinis ductu & imperio res omnes meæ gerebantur? Ita est, Animemi, poterit, si pariter expandere didicerimus cor hisce desiderijs, atque os modo aperimus in hæc verba, vel ad formulam votorum iterandam.

Punctum secundum.

QVamquam alia sint subsidia, aliaque tempora, quibus hæc gratia possit obtineri, dies tamen dicta votorum innouationi, tempus est, quo possimus illam expectare certiori fiducia propter triplicem hanc rationem, nisi aliunde obex opponatur. Prima, quòd cùm hæc innouatio votorum præcipuè sit instituta ad spiritus restaurationem, dubitari non possit, quin Deus, qui pium hunc morem fundatoribus, aut superioribus ordinum religiosorum suggessit, cum ijsdem quoque operetur gratiam impertiendo, sine qua, nihil aliud foret hæc innouatio, quàm externa quædam ceremonia. II. quòd quicumque se disponunt ad hanc innouationem, ijdem quoque se comparent ad spiritum instaurandum, adeoque, si aliàs vnquam, certè hoc potissimum die, quo adhibetur

optima

optima dispolitio, sperari hæc gratia potest. Tertia est, quod talis sit inter duas hasce innouationes votorum & spiritus, consensio, vt fieri vna rectè nequeat, quin succedat altera. Quid enim est vota innouare, nisi contestari se velle redire in eum statum, in quo quis fuerat, dum vota primum nuncuparet? at, in quo statu tunc erat? Quid est se deuouere, nisi ita se Deo dedere, vt illius solius causa deinceps quis viuat quasi mundo cæterisque rebus omnibus defunctus? Atqui hoc propriè est renouari spiritu, in eo consistit spiritus innouatio, vt exuamus veterem hominem, quem resumpseramus, & induamus nouum, qui nos excitet ad seruiendum Deo in spiritu & veritate: Atque adeò, cùm renouationis spiritus idem sit finis, idemque effectus, qui renouationis votorum, numquam sperari melius potest, nos spiritu innouandos, quàm cùm prima vota innouamus, præsertim cùm innouatio votorum non habeat minorem vim ad impetrandam gratiam innouando spiritui necessariam, quàm prima eorundem nuncupatio fuerit, ad obtinendum illum spiritum & feruorem, quo tum vrgebamus, efficax. Huic considerationi paulò diutiùs immorare, seriò tibi inculcans, quòd sicut prima, quam fecimus, votorum nuncupatio tanti fuit meriti, vt nobis obtinuerit ardorem spiritus, qui requirebatur ad dignam seruitutem illi præstandam, cuius obse-

quio

quio mancipabamur : ita etiam eorundem votorum renouatio, cum priori, nihil in meriti magnitudine concedat, sit habitura parem effectum, adeoque primum nobis ardorem recuperatura. Vnde patet appositissimè iuxta ac æquissimè sperari hodie posse hanc gratiam, modò velis eodem spiritu vota renouare, quo illa primo die nuncupasti, & quidni velis? & quid impediat? quod istud impedimentum, quod à tanto te priuet bono? an dicere auderes te facti tui voti pœnitere? Nisi pari feruore, ac æquè ex animo renoues, atque illud primum obtulisti, manifestè prodis te illius olim oblati pœnitere. Qui corda scrutatur, facilè dereget in tuo, quod dicere, non auderes, caue sis, Quin conijce oculos in obligationem perfectionemque votorum tuorum, & dic cum Iesu tuo, crucem suam & supplicia intuente: *Ecce venio, vt faciam, Deus, voluntatem tuam*; volo vota, illa accepto, illis me offero, illis me dedo, illis penitus, iuxta voluntatem tuam me committo.

Punctum tertium.

SI præterea cumulamus vota & desideria redeundi in primum statum feruoris, quo modo Iob exoptabat pristinæ fortunæ conditionique restitui, erit ad obtinendam gratiam perfectæ innouationis tantò auctiorem, quanto

quanto desideria hæc fuerint ardentiora, efficaciora que.

Mirum est, hunc ea sanctitate virum æstuasse prioris fortunæ desiderio, aut Deum, qui decreuerat rem omnem illi restituere, voluisse vel permisisse vt tali desiderio prius æstuaret. Sed id factum est, vt ex ipso disceremus, Deum velle istam innouationis gratiam à nobis desiderari, ramque ardenter quidem, quàm cupidè Iob suam fortunam exoptabat, atque vt speremus nos illam obtenturos, vti Iob suis desiderijs suam consecutus est. Ita vbique sacræ paginæ & sancti Patres nos cohortantur ad desideranda bona spiritualia, quæ expectamus, & ad hæc expectanda pro modo & magnitudine desiderij quod de ijs conceperimus. Ratio est, quia non dantur nisi iuxta dispositionem & aptitudinem animæ ad hæc recipienda comparatæ, istis autem desiderijs anima redditur aptior, dum testatur ea magni à se fieri, & quodammodo Deum obstringit, (a) vt ea sibi largiatur, cùm nihil illi iucundius sit quàm nobis benefacere, & satisfacere iustis nostris desiderijs. Verùm sunt & aliæ rationes prorsus ad excitandum huius gratiæ desiderium accommodatæ. Nam primò, cùm non recesserimus à primo feruore nostro, nisi non satis æstimando res spirituales

&

(a) *Desiderium sinus cordis est, capiemus, si quantum possumus, extendamus.* Aug. in ps. 34.

& interiores, & sinendo nos nimium abripi effundique in exteriores, & quæ sensum afficiunt; non possumus hanc culpam meliore modo resarcire; neque aptius promereri gratiam expectatam, quam si per desideria nostra testemur, nos eam pro merito æstimare, cæterisque rebus omnibus anteferre. Quanta Dei bonitas, vt possessionem rei tam expetendæ, collocet in ipsius expetentis desiderio!

Secundò, cùm necesse sit hanc gratiam esse potentem admodum atque copiosam, vt extricare nos possit peruersis illis habitibus, quos præterita negligentia & tepor nobis forsitan iniecit, nostris sanè desiderijs eadem tale sumit incrementum, roburque, vt verè tum dici queat, *vbi abundauit delictum, ibi superabundare & gratiam.* (a)

Denique cum debeamus ad hanc gratiam aliquid, operæ nostræ conferre, idque fieri maximè oporteat in occasionibus, vbi maximè sumus imbecilli: necesse est, illic potissimùm innouare proposita nostra, ideoque desiderandum vt in ijs simus animo forti generosoque, prouidendo casus particulares, & desideria nostra conceptis finibus exprimendo, vti Iob declarabat se in nihil aliud intendere, quàm in dispositiones (b) & prouidentiam Dei, vt illi obsequeretur, quàm in diui-

nas

(a) *Rom.* 5.
(b) *Vide c.* 29.

nas eius arbitrio penitus conformaret; Alioqui enim, nisi modo desideremus fortiter casus illos particulares, vti gratia à nobis exigit, tanta naturæ vis est, vt abreptura nos sit in contrarium, & cras ijdem futuri simus qui fuimus antehac. Quid animaduertisti hac collectione tua, cui peculiarem curam adhibere sit necesse? Istud ipsum est, quod expetere oportet, huc imploranda, applicandaque est gratia, & quantum generatim expetis te innouare, tantum desideres necesse est, te gerere in hisce particularibus casibus, vti faciendum esse animaduertisti. Ex animo igitur dic cum Jobo, & pariter atque ille desidera, dicens: Éne felicitas hodie mihi accidet, vt restituar in statum vitæ pristinum, vbi non alio, quàm diuini numinis ductu gubernabar: quando nihil sectabar aliud, quàm obsequi; quando in obedientia mea solum Dei nutum spectabam; quando meæ mihi regulæ erant instar præceptorum cælestium, & veluti totidem significationes voluntatum diuinarum; quando deficientibus superioribus aut regulis, non aliunde petebam consilium, quàm à ratione, & à gratia, vt illi naturam subijcerem; quando domesticorum infimum me censebam, satisque magnum putabam me quod in domo Dei versarer; quando denique nihil aliud agitabam animo, quàm quomodo mihi ipsi morerer, vt non viuerem, nisi vitâ Iesu, quæ sola hominis religiosi vita est?

est? Ah! vita beata, quomodo te amisi, aut quomodo non desiderabo te recuperare amissam, cùm solis hodie desiderijs sit opus vt recuperêre, & te semel recuperata, nihil vltra quærendum sit desiderandumque, nisi studium & cura, ne amplius amittaris.

A. M. D. G.

FINIS.




Th
4480